



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

ANALYSIS|| FIDEI CA=||THOLICAE,||

Valencia, Gregorio de


Ingolstadii, 1585


VD16 V 55

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47934)



Th. 2809.





ANALYSIS
FIDEI CA-
THOLICAE,

HOC EST,

RATIO METHODICA
EAM IN UNIVERSVM FIDEM
EX CERTIS PRINCIPIIS PROBANDI, QUAM
*sancta Romana Ecclesia, aduersus multipli-
ces Sectariorum errores,
profitetur.*

Cum triplici INDICE, Scripturarum, Rerum, Et peculiari-
ter eorum argumentorum, quæ euidentius ostendunt,
omnes, quotquot fidei Romanæ Ecclesiæ repugnant, ab-
errare à vera & Catholica Religione.

AUCTORE

GREGORIO DE VALENTIA,
SOCIETATIS IESV.



Cum Gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

INGOLSTADII,

Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.

Anno cl. lb. xxcv.

ANALYSIS

FIDELIA

THEOLOGICA

RATIO METHODOICA

IN UNIVERSUM FIDEM

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS



ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS


ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS

ET CERTIS ENIGMIBUS THEOLOGICIS



SERENISSIMO
PRINCIPI AC DO-
MINO, DOMINO GVILHELMO,
COMITI PALATINO RHENI, ET
vtriusq; Bauariæ Duci, &c. GREGORIUS de VALEN-
TIA, Societatis IESV, æternam à DEO Optimo
Max. felicitatem precatur.



AM multa sunt, Princeps
Serenissime, pro veritate
Catholicę fidei, aduersus
impia & sacrilega Secta-
riorum placita, nostris
hisce temporibus ab hominibus doctissi-
mis explicata; vt si veritas ipsa solùm, & nõ
etiam magis modus quidam quærendi ve-
ritatem (quod Diuus Augustinus sibi per-
suadebat) in quæstionibus de Religione la-
teret; omnis in eo genere scribendi præterea
labor videri non immeritò posset superua-
caneus. Siue enim rerum in differendo co-
piam,

* 2

piam,

Lib. de utilita-
te credendi,
cap. 8.

piam, siue vim ac multitudinem argumen-
 torum, siue testimoniorum pondera, siue
 quæuis alia veritatis ipsius firmamēta qua-
 rimus, quid est, obsecro, quod in omnibus
 saltem, aut certè in pluribus horum tempo-
 rum Scriptoribus, magnoperè desiderari
 queat? Et tamen complures indies sunt ho-
 mines eruditi, qui iisdem de rebus, non mo-
 dò sine iusta vituperatione, sed etiam cum
 laude & commendatione multorum, ali-
 quid sibi esse identidem scribendum pu-
 tant, vt cùm non noua planè, sed nouè que-
 dam dicuntur (quod magnæ apud omnes
 existimationis, idemque vetus auctor, Vin-
 centius Lyrinensis fieri præcipit) magis ac
 magis veritatis inueniendæ modus mon-
 stretur, tandemque intelligatur aliquando
 illustrius (vt ille auctor inquit) quod antea
 obscurius credebatur; & posteritas intelle-
 ctum gratuletur, quod antè vetustas non
 satis perspicuè planeque perceptum vene-
 rabatur. Quo quidē in genere, cùm omnes
 benè institutæ de religione disputationes,
 vtiles sint, tum ille, omnium iudicio, maxi-
 mè

In lib. aduer-
 sus hereses.

in lib. aduer-
 sus hereses.

870

870

s *

mè

mè sunt necessariae, quae non vnum modò
 aut alterum quæstionis genus tractant, sed
 rei summam continent, eaq; principia do-
 ctriinæ ostendunt & confirmant, ex quibus
 est ab errore veritas in quauis controuersia
 discernenda. Etenim vt ij, qui Sectariorum
 fraude à Christi Ecclesia sunt abducti, rur-
 sus ad eam, hoc est, ad veritatis domicilium,
 relicto mendacio, reuertantur; doctrinam
 illis Ecclesiæ vniuersam aliqua demum ra-
 tione probari posse necesse est: cuius vniuer-
 sæ doctrinæ disceptatio, nisi verissimo ali-
 quo compendio demonstrationis, certisq;
 principiis comprehendatur, quando tan-
 dem in tanta quæstionum tum multitudi-
 ne, tum varietate terminari poterit? Nam
 quòd ipsius veritatis hostes Sectarij, horū
 quoq; principiorum, veritatis compendio
 concludendæ, inimicissimi sunt, nec nisi
 infinitam illam rationem, de singulis sigil-
 latim doctrinæ partibus ex solis Scripturis
 disputandi, vtrò citroque vsurpari volunt;
 quid mirum? Nempe homines astuti, nec
 magnoperè disputandi cupidi, non eo con-
 filio

filio idagunt, vt ipsi multum disputent, sed vt nunquam satis constare possit, aberrare eos in vniuersum à vera doctrina, si nunquã (quodeuenire est necesse) immensa illa de singulis doctrinæ partib⁹ ex Scripturis solis disputatio absoluat. Ergo, quoniam ab omnibus, quoquomodo possunt, pia cautæque vigilantia, vt D. Augustinus inquit, aduersus fraudulentas hereticorum calliditates, fides munienda atque confirmanda est; mihi etiam, Princeps Serenissime, post tam multos, tamque fructuosos aliorum labores, tentandum existimaui, vtrum modo quodam probatio vniuersæ fidei Catholicæ ita succinctè & aptè colligi tradiq; posset, vt & locus omnis tergiuersandi Sectariis obstruatur, & rectâ, sine impedimentis, in sola Ecclesia Catholica Romana sincerissimam veritatem Christianæ religionis reperiri, facile possit concludi. Animaduerto enim, cum multa, quæ ad hoc etiam institutum pertinent, variè & copiosè scripta sint, tamen à plerisque adhuc certam rationem desiderari, quæ & initium & progressum & termi-

Lib. de fide &
symbolo. c. 1.

DEDICATORIA.

terminum disputationis de tota summa
veræ fidei rectè, breuiter, ac perspicuè con-
tineat, ne, quod vsu sepe venire solet, de ipso
in primis modo probationis tum delibera-
re opus sit, cum est doctrina Ecclesiæ Catho-
licæ aut in priuato congressu, aut etiam pu-
blicè confirmanda. Quod si minus id, quod
mihi ad Dei gloriam proposui, præstare vi-
debor; illud saltem nemini futurum ingra-
tum spero, quòd admonebit certè Lecto-
rem hæc nostra methodus, quo loco & ordi-
ne, quæ sunt ab aliis etiam de fidei princi-
piis prolixè & accuratè mandata literis, op-
portunissimè, in disputatione de vera fide,
vsurpari possint. Huncautē Librum meum,
vt in Ser.^m V.^a nomine apparere vellem, ra-
tiones aliquot magnæ & illustres apud me
effecerunt. Primùm enim haud scio, Prin-
ceps Ser.^m, an non in ipsam etiã rationem,
legemque bonæ fidei à me quodam modo
peccatum esse videri pōsset, si Librum & in
Germania, & Ingolstadij, & in hoc Societa-
tis IESV Collegio, à me pro fide Catholica
elaboratū, alteri præterquam ei, qui & fidei

* 4

Catho-

Catholicæ in Germania columen est clarif-
 simum, & Academia Ingolstadiensis à pro-
 genitoribus suis magnificè institutæ con-
 seruator parensque optimus, & huius Col-
 legij fundator munificentissimus, & Socie-
 tatis IESV patronus singularis ac fautor, di-
 cauissem. Deinde, cuiam potius inscri-
 ptionem huius probationis fidei vel con-
 uenire magis, vel gratiorem esse futuram,
 existimare potui, quàm ei, qui & colit ipse
 mirificè, atque aliis etiam probat, præstan-
 tissimarum videlicet quarumcumque vir-
 tutum assidua exercitatione, fidem atq; re-
 ligionem Catholicam, & ab omnibus eam
 coli similiter atque probari, incensissimo
 diuinæ gloriæ studio exoptat. Cæterum ipse
 etiã sentio & intelligo, Ser.^m Princeps, quan-
 to perè mihi iam verendū sit, ne, si rationes
 reliquas consilij huius mei reddere ita verè,
 vti possem accœpi, pergam, non tam ego
 munus gratum Ser.^m V.^e offerā, quàm illius
 singularem animi moderationem & mihi
 & omnibus perspectam, offendam, dum ea
 videlicet de præclarissimis suis in omni ge-
 nere

DEDICATORIA.

nere virtutibus speciatim dicam, quæ licet
S.^{us} V.^{us} ista ipsa ratione vitæ suæ necessario
prædicat, ab aliis tamen, vt oratione item
prædicentur, non æquo animo pati solet.
Quare comprimam hoc loco me, & tacitus
diuinam Maiestatem precabor, vt quæ tot,
tamque illustribus suæ sanctissimæ gratiæ
donis, ad Ecclesiæ Catholicæ in his locis fir-
missimum præsidium, S.^{em} V.^{am} hæctenus
ornauit, eandem etiam sua benedictione è
cælo in rebus omnibus semper protegere,
indiesq; magis ac magis ad diuini Nominis
gloriam sempiternam augere, clementer
dignetur. Ingolstadij, 30. Martij.

Anno Domini

1585.




* 5

Hæc



*Hæc Catholica fidei Analysis Catholica est, & erudita, hisq̄, præsertim temporibus perne-
cessaria; ut, quam sequuntur Catholici cer-
tissimam credendi regulam, eam etiam ñ a-
gnoscant, qui sectarum impliciti erroribus,
in ipsis fidei principiis, adeoq̄, in ipso Chri-
stiana Religione limine tam turpiter, tamq̄,
perniciosè aberrant. Ita testor ego*

ALBERTVS HVNGERVS, SS. Theol. D. Pro-
fessor & Procancellarius in Academia In-
golfstadiana.



*Maximo cum religionis Christianæ fructu at-
que utilitate hæc R. P. GREGORII de VA-
LENTIA fidei Catholica Analysis typis man-
dari & publicari potest, cum veritatis Or-
thodoxæ principia aduersus Sectariorum
errores orthodoxè solideq̄, confirmet.*

PETRVS STEVARTIVS LEODIVS, SS.
Theol. D. & Professor, ac eiusdem facul-
tatis Theologica Ingolstadij, pro tem-
pore Decanus.

PHILIPPI MENZELII
MED. DOCTORIS, ET IN ACADEMIA
INGOLSTADIENSI ORDINARII
Professoris, de huius Libri argumen-
to, Carmen.

Emporibus summis, mundo minitante ruinam,
Præmonet illa DEI vox indubitata loquentis;
Affore falsidicos passim denso agmine Vates,
Qui CHRISTVM foris atque domi, per tecta, per agros,
Sacrilego simul ore fremant, monstrentq; crepantes,
Seducantq; ipsos (paterentur Numina) iustos.

Atque ea multiniis erroribus amplior inde
Quippe fenestra patet, quod nec rationis ad unguem
Exploranda venit, sensusq; supra euolat omnes
Dia Fides, argumentum mirabile, & ad res
Non apparentes mortalia pectora tollens.

At non interea mundi pater optimus ille;
Quum saluos homines, nullo discrimine, cunctos
Esse velit: non ille viam, solumq; negavit,
Quod regat ambiguos per tot diuortia gressus,
Et Fidei solidam ducat nos usque sub arcem.

Sunt rata dicta, manet nunquam violabile verbum
CHRISTE supreme, tuum; falliq; & falledæ nescis.
Auspice te, sacri si ius accepit ouilis
Clauiger omne senex, bis terq; vocatus; & idem
Est Fidei rupes, qua cætus ubique piorum
Nititur in terris, contra flammantis Auerni
Insidias, & portarum infelicia claustra,

Præsidio

Præsidio saluusq; tuo, pugnansq; per orbem:
Quæ mala mens ea sit, quis me mihi lubricus error
Auferat in tantum, recta ut regione viarum
Excedens, ultrò ambages, atque auia secter?
Me verò & veterum vestigia fida parentum,
Quæ proauorum at aui, mundi melioribus annis,
Impressere, tenent augusto hoc tramite euntem.
Me retinet concors pietas: miracula rerum
Alliciunt: sancti rutilantia signa cruoris,
Insequor, hac CHRISTI pro religione cadentium,
Quo maduit tellus, rubuerunt æquora Ponti.
Cetera quid memorem? Tu, quisquis ad æthera rectam
Nescius ire viam, cunctaris, & anxius heres,
Huc oculos, animumq; refer mihi, candide Lector:
En liber hic facili certum te tramite sistet,
(Ni refugis) claramq; facem per mille salebras
Præferet, ut metæ victor potiare cupita.

Vos quoque, deserta quos PETRI naue volentes
Pontus habet, sauisq; freti circumsonat æstus,
Si mens laua sinit, si quis modò corde rigenti
Sensus adhuc superest, hunc, agmina naufraga, portum
Arripite: has tabulas manibus prensate fideles.
Aut hinc certa salus manet, aut spes omnis adempta est.

F I N I S.

PRÆFA.



PRAEFATIO AD
PIVM LECTOREM.

Vi tam insipientes sunt, & usque
adeo ratione carent, ut quod na-
turali ratione notum atque evi-
dens est, diffiteantur, in cordeq; suo
dicant, non esse ullum Deum: ij nihil esse arbi-
trantur cur sit de religione satagendum. Qui-
bus autem & species rerum omniu, quam pro-
fecto ex aliquo verissima pulchritudinis fonte
manare credendum est, & interior nescio qua
conscientia (qua, ut Divus Augustinus inquit,
meliores quosq; animos quasi publice priva-
timq; adhortatur) Deum querendum, Deoq;
seruiendum esse persuasit; hi de vera fide, sine
qua placere Deo non potest, aut invenienda, aut
conseruanda, necesse est sint cum primis solliciti.
Porrò in negotio fidei duæ in primis res humana
rationi, praesertim solertis hominis, generatim
deliberanda occurrunt. Prima, sit ne ad conse-
quendam salutem necessario fides adhibenda
Christiana doctrina? Secunda, si assentiri ei

A oport-

I

Psalms. 13.

Lib. de utilita-
te credendi,
cap. 16.

Hebrae. 11.

Dua res à ra-
tione humana
de fide cogitan-
tur.

I.

II.

oportet, qua vel nota vel regula utendum sit ad discernendum, utra potius sit ei doctrina sententia subiecta, cum ea de re questio incidit. Et prior quidem deliberatio ad eos propriè spectat, qui libros sacros non habent pro diuinis oraculis. Nam apud quos hi libri in auctoritate sunt, ij ut de Christiana doctrina veritate non dubitant, ita nec ambigunt de eiusdem necessitate. Hoc enim ipsum ea doctrina multis in locis tradit, fore ut qui non crediderint, sempiterna morte mulctentur. Posterior aut cogitatio est cura de nota et regula genuinã et veram sententiam doctrina Christiana à falsa et adulterina discernendi, eiusmodi certè est quam etiam atque etiam ij quoque versare animo debeant, qui fidem Christiana doctrina accommodauerunt. Nam qui Christiano nomine censerì volunt, et tamen à fide vera doctrinaque Christi aberrant, idcirco aberrant, quia regulam nesciunt ex qua oporteret existimare de veritate doctrinae. Neque aliam ob causam de fide atque adeò de religione tam multa controuersia hisce praesertim temporibus, cum tristissima perniciè multorum, sine ullo fine agitantur,

nisi

Marci 16.
Ioan. 3.
Ad Rom. 10.
1. Corint. 1.
2. Thessal. 2.
Ad Hebr. 11.
&c.

nisi quia de regula ad fidei controuersias omnes
 dirimendas non conuenit. Quae si constiterit,
 vno eodemq; modo de veritate in vniuersis lo-
 cis controuersis facillimè constare poterit, si ad
 quaestiones omnes ea regula videlicet applicabi-
 tur. Igitur quod iam dudum, stimulante, ut
 ego confido, Domino, praestare ad eius gloriam
 proximorumq; utilitatem cupiui, id modo per-
 ficere aggredior, nõ meis viribus, sed illius tan-
 tum auxilio fretus, qui dedit etiam optare &
 velle, ut scilicet iis, qui de vera fide vel reputa-
 re ipsi secum, vel cum aliis tractare velint, qua-
 si viam ab initio ad finem vsq; rectam demon-
 strent, quae ad certissimam regulam, & velut
 indicem verae fidei: atque adeo ad fidem veram,
 sine errore perducatur. Non polliceor me de iis re-
 bus, quas tractaturus eum ad finem necessariò
 sum, inaudita prorsus allaturum, quod mini-
 mè in hoc genere desideratur; Sed rebus ipsis
 modum adhibere, commodamq; ex iisdem ac
 planam ad veritatem, ut dixi, viam sternere,
 eamq; argumentis bonis communire, & me-
 thodica doctrinae explicatione, propitio Domi-
 no, illustrare conabor. Atq; ut studiosi vera fi-

Scopus huius
 operis.

Distributio eorum qua tractanda sunt.

dei rectius $\&$ ingredi eam viam, quam illis ostensurus sum, $\&$ in ea progredi possint, visum est ab initio hic statim tanquam ad oculum ipsis indicare sententias eas, quibus ordine, velut quibusdam intelligentiæ gradibus, hoc libro ad destinatum terminum veritatis eos dirigere decreui.

- I. **N**ecessè omnino ad salutem est, firma fide credere, doctrinam, supra rationis naturalis captum à Christo traditam esse diuinam, adeoq; certissimam.

Obiisdem etiam ex argumentis, quibus olim sanctissimi Patres veritatem Christianæ religionis asseruerunt, nos colligemus, doctrinam Sæcliariorum non re, sed nomine tantum esse Christianam.

- II. **N**on fatis autem ad salutem est credere in genere vniuersam doctrinam Christianam esse veram; nec etiam omnino sufficit aliqua eius doctrinæ capita in specie tenere: sed simul quoque necesse est, nihil falsi determinatè, quod in aliqua fidei quæstione cum vera sententia Christianæ doctrinæ pugnet, pertinaciter credere.

Atq; hic quidem eorum perniciosissimus error ex instituto redarguetur, qui apud Sæclarios, ex quadam inuenienda veritatis (cùm in Ecclesia eam querere nolint) desperatione, sibi persuadent, quemlibet secundum suam qualemcunque fidem, modo ex præscripto conscientie suæ, salutem consequenturum.

Nec

Nec dubitandum est, quin aliqua exstet auctoritas, ad iudicandum de fidei controuersis omnibus, infallibilis, per quã in omni determinata quæstione cognoscere fideles omnes commodè possint, quæ sit Christi verissima sententia & doctrina.

III.

Quo loco certissima quedam fundamenta iacentur, ex quibus potest facile intelligi poterit, nullam à Sectariis agnosci auctoritatem talem, qua ad omnes omnino fidei quæstiones determinandas sit ipsa satis.

IV

Auctoritas hæc infallibilis non est tantùm diuina, neq; tantùm humana, sed humana diuinitùs inspirata.

III.

Qua assertio aduersus insanum etiam quorundam Sectariorum errorem confirmanda erit, qui somniarunt, à Deo ipso propriè unumquemque fidelem, sine alicuius humana auctoritatis magisterio, de fide doceri.

Auctoritas hæc humana inspirata diuinitùs, quæ de controuersis fidei omnibus iudicare valeat, nõ vnus tantùm vel alterius hominis quondam vita defuncti, aut etiam aliquorum propria est, qui olim vel scripto, vel voce sententiam diuinam explicauerint, posteritatiq; commendarint, sed omnibus seculis apud fideles ipsos viget præsens, & pronunciare perspicuè ac palam de fidei controuersis omnibus potest.

V.

IIV

Hoc autem in loco evidentibus argumentis error ille principalis Sectariorum redarguetur, quod Scripturam solam iudicem omnium fidei controuersiarum esse velint. Itemque questio de Scriptura difficultatibus atque obscuritate ita tractabitur, ut planè appareat, Sectarios haecenus statum eius questionis minimè intellexisse; nec repugnare illos amplius (si rem ipsam perceperint) ullo modo posse.

VI. **C**VM hæc auctoritas apud Christi fideles vigeat, non alibi aut quæri debet, aut inueniri potest, nisi apud veram Christi Ecclesiam, hoc est, apud congregationem verè fidelium. Ea verò congregatio non alia est quàm cœtus eorum qui Romano Pontifici pro tempore existenti parent.

Potissimam igitur illam questionem de vera Christi Ecclesia, de qua ratione eam certissimè dignoscendi, ita hoc in loco explicabimus, ut planè etiam constet, ne tractatam quidem hæcenus propriè à Sectariis, sed declinatam ab his prorsus, cuiusdam tergiversationis artificio, eiusmodi questionem fuisse: ne, si propriis argumentis (quemadmodum oportet) de ea disputetur; nemo dubitare possit, ipsos à vera Christi Ecclesia defecisse. Id autem nos demonstrabimus: atque simul etiam planum faciemus, illis ipsis cauillationibus, quas recentiores Sectarij, ut defendant, se non esse extra Ecclesiam, singulariter excogitauisse videntur, multò etiam magis eos reninci.

VII. **I**S ipse Pontifex Romanus est, in quo, tanquam in Ecclesiæ totius capite, auctoritas illa residet.

Ad hanc autem rem confirmandam, Diui Petri & Romani Pontificis in Ecclesia Primatus cōmoda methodo à nobis probabitur: itemque, redarguetur aliquantò evidentius pertinacia Sectariorum in hac tota questione.

Quo-

Quotiescunq; igitur Romanus Pontifex in fidei quæstionibus definiendis auctoritate istiusmodi utitur; ab omnibus fidelibus tanquam doctrina fidei recipi diuino præcepto debet ea sententia quam ille decernit esse sententiam fidei. Toties autem ea ipsum auctoritate uti credendum est, quoties in controuersia fidei sic alterutram sententiã determinat, ut ad eam recipiendã obligare velit vniuersam Ecclesiam.

Ut autem hic locus plenè explicetur, multa de vi ac usu eius auctoritatis, qua est Romanus Pontifex ad definiendum res fidei præditus, necessario explicanda erunt: itemq; exponemus quatenus etiam oporteat in determinandis fidei controuersis quasdam adhibere quasi regulas, cuiusmodi sunt in primis Scriptura sacra, Traditio, Concilia, concors sententia Doctorum Ecclesie, &c. De quarum etiam regularum auctoritate & usu summatim dicendum erit, ac tum ad extremum Analysis tota concludetur.


Has ordine sententias ubi totidem libri nostri partibus, adiuvante Deo, confirmauerimus, tam facile veræ fidei studiosis erit, repudiatis erroribus, vel inuenire, vel conseruare doctrinæ sana in legitima Christi Ecclesia veritatem, quàm est facile cognoscere, quid Romanus Pontifex de vnaquaque fidei controuersia credendum proponat. Et nihilominus tamen graues causse sunt, cur præterea homines eruditi non modò utiliter, sed necessario eti-

Fructus huius tractationis.

In quæstionibus fides non tantum communi fidei regulis, sed etiam propriis cuiusq; loci argumentis, idcirco ostendendum est, ut hereticorum pertinacia magis reuindatur.

am

am faciant, cum aduersus refractarios obsti-
natosq; fidei hostes ex pluribus aliis etiã Theo-
logicis locis argumenta ad singulas controuer-
sias accommodata pro veritate ducunt, remq;
tractant ex propriis. Quoniam verò series &
ratio rerum à me propositarum ea est, ut nisi
multa simul disputentur, ad quorum intelli-
gentiam doctrina & eruditione aliqua opus
est, explicari commodè nō possit, adiciam sub
libri finem pro minus etiam eruditis (omnibus
enim prodesse vellem, si Dominus etiam vellet)
peculiarem indicem rationum faciliorem qua
passim in hoc volumine pro cuiusq; loci institu-
to à me proponentur, quarum ea erit vis, ut
& mediocri prudentia sola sine exquisita do-
ctrina comprehendi possint, & id ipsum tamen
manifestò efficiant quod maximè rem conti-
net; videlicet in Ecclesia tantum Romana ve-
ritatem reperiri, & Sectarios omnes, quot quot
Romane Ecclesie, atq; adeò Pontificis Romani,
sunt hostes, in errore versari. Sed aggrediar
id quod institui, atq; ut disputatio sit planior,
formabo ubicunq; potero veritatis probatio-
nem rectis ac firmis argumentandi modis.



A N A L Y S I S
FIDEI CATHO-
LICAE, &c.

P A R S P R I M A.

NECESSARIUM
OMNINO AD SALVTEM

esse firma fide credere, doctrinam supra ra-
tionis naturalis captum à Christo traditam, esse
diuinam adeoq; verissimam.



DVæ caussæ sunt, quam ob rem
arbitratissimus ab hac sententia nobis
exordiendum esse. Vna est: quoniam ab
eiusmodi assertionem, tanquam à capite,
reliqua pendent, quæ ex instituto nostro
tractanda sunt; nec sine illa plenè satisfit inquisitioni ra-
tionis humanæ, quæ in fidei negotio ante omnia secum
reputare posset, vtrum omnino sit necesse Christianæ
doctrinæ fidem adhibere. Altera: quoniam vt hunc eti-
am locum confirmemus, ipsa ratio horum temporum
nonnihil postulare videtur. Etenim qui se variis sectis,
deserta veritate, tradiderunt; si suæ quidem perfidiæ con-
uenienter ratiocinati fuerint; facillimè possunt ethnici
tandem (quod plerisque iam illorum contigit) euadere;
ita vt præcipuum hunc etiam articulum fidei, de verita-
te in vniuersum necessitateque doctrinæ Christianæ, vnà
cum

B cum

*Cur nonnun-
quam Sectarij
tandem eva-
dant erubesc.*

cum aliis vel vocent in dubium vel reiiciant penitus. Quod sanè si faciant, mirum videri nō debet. Quid enim ij credant, qui Ecclesiæ magisterium cōtemnunt? Certè si vltus articulus fidei est, qui auctoritate atque magisterio Ecclesiæ, (Ecclesiæ, inquam, Catholicæ Romanæ, quæ sola Ecclesia vera est, vt infra ostendemus, quæque sola pro Ecclesia in orbe semper est habita) vt credatur, indigeat, hic maximè est, de veritate Scripturæ sacræ adeoque de necessitate Christianæ doctrinæ. Si enim singuli quique fidei articuli, qui naturalis rationis captum excedunt, per se difficiles ad credendum sunt, ideoque oportet eos Ecclesiæ certissima auctoritate hominibus commendari: quantò magis ipsa veritas vniuersæ Scripturæ, qua non vnus tantum, aut alter, sed omnes fermè eiusmodi fidei articuli continentur, quæque tam varia & multa in omni genere, rerum etiam quandoque minutissimarum, tradit, eiusdem Ecclesiæ testimonio atque approbatione indigebit, vt ab ipso Spiritu sancto dictata esse credatur? Equidem hoc ego cum attentius perpendo, rem esse potius maximè admirabilem iudico, si quisquam ex Sectariis est, qui repudiata Ecclesiæ auctoritate, à qua & Scripturas ipsas accepimus, aliquid omnino credat. Firma certè fide nihil credunt.

Sed vt ad sententiam propositam redeamus, hic vnus locus, ex omnibus quos in hoc libro tractandos suscipi, est, in quo Scripturæ sacræ auctoritatem ad probandum quidem vsurpare minimè licet. Nam confirmandum primo loco est, necessariò credi debere, doctrinam Christi, atque ad eò Scripturam sacræ (qua eiusmodi doctrinæ magna ex parte continetur) esse diuinam atque certissimam. Ita fit, vt si Scripturæ auctoritatem tantquam certam hoc loco ad probandum sumerem, id in
 proba-

probatione vitiose sumerem quod est iam mihi proba-
tione efficiendum. Quod quamuis ita sit, non ideo ta-
men in hac prima disputationis nostrae parte Scriptura
penitus muta esse debet. Quin & hic quoque opportu-
nas inde sententias inducere possumus, si non rem con-
firmandi, certe illustrandi causa.

Sed quamam igitur ratione hoc quod in primis po-
nimus, Christianam doctrinam necessario ut veram at-
que diuinam recipi debere, probari oportet? Sanè cum
necessitas credendi doctrinam Christianam vnus qui-
dam articulus eiusdem Christianae doctrinae sit; nec eui-
denti aliqua ratione constet; iisdem argumentis probari
debet, quibus veritas in vniuersum Christianae doctrinae
confirmatur. Et verò Deus ipse in primis est, qui Chri-
stianam doctrinam, atque adeò Scripturam sacram ve-
ram esse, voce reuelationis suae, & interno quodam in-
stinctu atque impulsu humanis mentibus contestatur
atque persuadet, ut in ea ipsa Scriptura multis in locis est
expressum. Sed quia rationi humanae reuelatio ipsa di-
uina non euidenter patet: aliis quibusdam præter diui-
nam reuelationem argumentis opus est, quibus homi-
nes etiam inducti prudenter sibi persuadeant doctrinam
Christianam veram esse. Nec verò eiusmodi argumen-
ta ad eam rem requiruntur, ut propter illa proprie, certò
ac firmiter homines credant (certitudo enim & firmitas
fidei, atque adeò ipsius assensio per se, diuinæ reuelationi
soli, tanquam fundamento quidem, innititur) sed ut cla-
riora quaedam habeant motiua, quibus prudenter ani-
mum inducant velle certò ac firmiter propter diuinam
reuelationem, adiuuante Deo, credere.

Etenim acuratè sunt animi motus duo in iis qui fi-
dem amplectuntur discernendi. Nam & prudentia etiam

B 2 dicente

*Necessitas Chri-
stiana fides,
qua ratione,
probari debeat.*

*Diuina reue-
latio est causa
atque ratio cre-
dendi.*

*Psal. 93. &
118. 1. 50.
Matth. 26. 10.
an. 6. 1. Ad
Thess. 2. 8.
Lege Diuum
Prosperum 8.
quit. lib. 2.
de vocat. ge-
nium, ca. 9.
Quomodo præ-
ter diuinam re-
uelationem alia
quaedam argu-
menta necessa-
ria sint ad cre-
dendum.*

*Duplex animi
motus in eo qui
credit, distin-
guendus, quo-*

*rum Sterque-
sua quadam
ratione nisi-
shr.*

*a Parte VI.
VII. & VIII.*

*Marci ultimo.
Ioan. 15. Rom.
10. Idq; cõfir-
matur exem-
plo eorũ qui
crediderũt, vt
videre est Luc.
23. Act. 2. 3. 4.
15. &c.
Lib. de vera
relig. cap. 24.*

dictante iudicant dignam esse Christi doctrinam, quæ certò ac firmiter credatur; & demum credunt assensione fidei, adiuti diuinitus, eam veram esse. Quod assensione fidei certa, atque firma, adiuti diuinitus, credunt doctrinam Christi veram esse: id in solum diuinum testimonium, quod reuelatione continetur, tanquam in causam quidem rationemq; credendi, referri debet; itemq; in Ecclesiæ propositionem, tanquam in quandam sanè conditionem, sine qua Christiana quidem fide minimè crederetur, vt infrà^a suis locis magis intelligetur. Quod autem prudenter in primis deliberant, atq; statuunt, meritò eam à se doctrinam, tanquam diuinā ac veram, certò ac firmiter credi posse: id verò prudentiæ quoddam iudicium est, quod propriè argumentis aliis præter diuinam reuelationem nititur. Quæ sanè argumenta incitamenta quædam ad prudenter credendum necessaria (vt & Scriptura indicat, & experientia ipsa cõstat) dici possunt; sed ratio propriè causâq; credendi cõferri non debent. Non enim propter illa propriè, sed propter diuinæ reuelationis auctoritatem demum creditur, vt dictum est. Itaque præclare D. August: *Ratio, inquit, auctoritatem non deserit, cum consideratur cur sit credendum.* Nempe quia vbi de fide agitur, eò propriè pertinet ratio, vt intelligatur, prudenter animum induci, vt propter auctoritatem diuinæ reuelationis, licet alioqui obscuræ, Christi doctrinæ fide adhibeat.

Quæ cum ita explico, minimè sanè nego, quin in ipsa tamen, & prudentiæ quoq; illud consilium, in eo qui credit, diuina item reuelatione nitatur, sitq; proinde certissimum; & vicissim etiam assensus ipse fidei argumentis illis fulciatur, quæ præter diuinam reuelationem adducuntur. Sed expono tantum quodnam sit certè cuiusq;

actus

actus fundamentum proprium, cum affirmo, assensum ipsum fidei, diuina reuelatione; prudentiæ autem illud consilium credendi, argumentis aliis, præter diuinam reuelationem, niti. Et loquor sanè in hac explicatione de assensu ipso fidei, non qualiscunque, sed Christianæ & supernaturalis, cuius nimirum instituitur à me Analysis. Nam assensum alioquæ humanæ cuiusdam fidei (quam, acquisitam Theologi nominant) de eadem veritate Christianæ doctrinæ, illis etiam argumentis, quæ præter diuinam reuelationem adhibentur, tanquam fundamento, niti posse, explorata res est. Sed ipsum tandem assensum Christianæ supernaturalisque fidei negamus eiusmodi argumentis propriè niti.

Atque hanc videlicet explicationem idcirco adhibendam hoc loco existimaui, vt ex ea intelligatur, non illico fore vel nostram fidem infirmam, vel consilium nostrum in credendo imprudens ac leue, si vt velimus credere, eiusmodi etiam aliquibus argumentis moueamur, quæ non sint ex suo genere prorsus infallibilia; vt antiquitate, vt multitudine, vt consensione hominum, & id genus aliis. Nam (quod sæpe dico) non his argumentis propriè fides nostra innititur, sed prudentiæ quoddam consilium, quo ad credendum *cum iudicio*, (vt Clemens etiam Romanus loquitur) impellimur. Non est autem à maturo & graui prudentiæ consilio alienum, vbi euidencia rei non est, argumentis etiam bonis, licet non penitus per se infallibilibus, commoueri.

Lib. 8. Constitut. Apostolicæ cap. 1.

Ergo, argumentis, Christianæ fidei veritas atq; adeo necessitas, iis qui aut dubitant, aut non credunt, suaderi debet, non vt propter illa credant, sed vt animum inducant propter diuinam reuelationem credere; id quod Deo mentem illustrante & liberum adiuuante arbitrio,

um, facere possunt. Ea verò argumenta cùm pro cuiusque ingenio & naturæ perspicacitate multiplicia variis ex locis proferri possint: ego maximi ponderis illa esse duco, quæ non recenter excogitata, sed auctoritate iam pridem sunt confirmata communi, & summis etiam ingeniis eruditissimorum Patrum iam olim persuaserunt. Quæ sic à me nunc, propter doctrinæ ordinem initio propositum, breuiter repetetur, vt & lucem aliquam, Christo propitio, his addam, & modum, ex quo simul illud ipsum appareat quod antè docuimus; nempe argumentis eiusmodi, quæ præter diuinam reuelationem adducuntur, non ipsam fidem nostram, sed prudentiæ consilium deliberationemque credendi tanquam fundamento inniti. Atque vt rationes omnes, ordinis causa, certos ad locos & veluti ad sedes suas reuocemus, considerandum est, cas ab aliquo ferè ex quinque locis duci posse ac solere.

I. ab eorum conditione & auctoritate, qui fidem Christianam olim receperunt. II. à modo, quo in orbe recepta illa est. III. ab iis etiam, eorumque exitu, qui illam non receperunt, aut hostiliter etiam infectati sunt. IIII. ab ipsa per se ratione Christianæ doctrinæ. V. denique à dignitate virtuteque Doctoris eius, qui est Dominus noster Iesus Christus. Ex his igitur locis argumenta varia iam olim pro Christiana fide veteres Patres deprompserunt. Quæ quidem, vt confirmare plurimum, atque consolari verè Christianos, hoc est, Catholicos debent: ita quoque Sectarios pudore summo afficere: quod ex eiusmodi etiam communibus argumentis Christianæ doctrinæ perspicere liceat, eos à vera doctrina Christiana (in iis quidem dogmatibus quæ propria ipsorum sunt) turpissimè descivisse, quemadmodum sub cuiusque argumenti

*Loci quinque
ex quibus duci
possunt argu-
menta pro ne-
cessitate Chri-
stiana fidei.*

menti finem à nobis breuiter indicabitur, magisque postea confirmabimus toto progressu huius operis.

I. Ac primò quidem præclarissimum Ecclesiæ lumen Dianus Aurelius Augustinus, licet ipse incredibili esset ad iudicandum de re ingenio præditus, tamen vt ille sapè significat, huiusmodi quodam argumento ab auctoritate ducto maximè mouebatur. Prudentissimè creditur, quod omnes pene gentium nationes, & in his innumerabiles viri summa auctoritate, summo ingenio, & excellenti virtute, atque eximia variaque doctrina præditi, ita crediderunt, vt & rationem disciplinæ suæ reddere omniposcenti se pulchrè possent, & contrarios errores religionum aliarum (quod alia nulla disciplina ita præstitit) manifestè refellerent. Talis autem Christiana doctrina est. Illi igitur prudentissimè fides adhibetur. *Ego, inquit is, quem dico, Augustinus, nullis me video credidisse, nisi populorum atque gentium confirmata opinioni ac fame admodum celeberrima.* Et alio in loco: *Tenet me in Ecclesia* (inquit inter cetera) *consensus populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata.* Atque hæc & similia tum quidem Augustinus, cum ipse sanè neque Augustinum, neque reliquos, qui post ipsum in Ecclesia floruerunt, haberet, quorum etiam auctoritate moueretur. Nos, qui & Augustinum ipsum, & alios è fidelium numero innumerabiles Ecclesiæ Doctores eruditissimos (quorum etiam Catalogi prolississimi existant) duces sequimur, quantò vehementius exemplo maiorum commoueri par est, ad Christianam fidem toto pectore complectendam? Habuerunt quoque supersticiosarum religionum cultores, maiores suos quos sequerentur: sed tanta præditos auctoritate, tanta doctrina, tanta probitate vitæ, tanta constantia,

A conditione eorum qui fidei Christianam olim receperunt, argumentum primum, quo potissimum usus est, D. August. lib. de vit. lit. credendij. cap. 14. & 16. & lib. de vera relig. ca. 24. & contra epist. fundam. cap. 4. Vtitur etiã eodem argumento eleganter Lactantius lib. 5. diuini institut. cap. 13. & alij passim. Lib. de vit. lit. creden. ca. 14. Contra epist. fundam. ca. 4. & dig. 1. b. 4.

¶ Vrsi hoc etiam argumētum maximè D. Iust. Mart. Apolog. 2. pro Christ. ad Antonin. Pium Imperat. ante medium.

Id Commemorat Tertul. in Apolog. aduers. Gent. c. 46. sub finè.

Meminit eius et Cicero, lib. 2. de legibus.

Prouerb. 22. v. 28. Actoꝝ. 3. &c.

tanta luce, tam deinde paratos instructosque tum ad suam disciplinam tuendam, tum ad alienas omnes religiones confutandas & euertendas, quàm nostri fuere maiores, quinam vnquam populi habuerunt? Neque verò cogitari potest, aliquod humanum^a commodum, aut diuitiarum, aut voluptatis, aut mundanæ gloriæ, quod mentem in deligenda religione excæcaret, propositum sibi habuisse eos, qui primis illis temporibus, reiecta vanitate patriæ superstitionis, Christiana sacra susceperunt. Quis enim nescit, quàm tunc acerbè cum Christianis hominibus agebatur? Ita nimirum, vt qui Christiani fierent, præter salutem animi & vitam æternam in coelis, aliud ex ea re nihil in hoc mundo nisi ignominiam, & crucem, ac ipsam ad eò mortem polliceri sibi potuerint. Quod vel ex vna illa appellatione, qua ethnici homines Christianis conuiciari erant soliti, luculenter intelligere licet. Sarmenticios enim (vt de cæteris ludibriis nihil dicam) vulgò appellabant à vitæ discrimine, in quo perpetuò versabantur: quòd scilicet ad palum deligati, sarmentisque suppositis passim comburentur. Apollinem ferunt Pithium percunctantibus de legitima religione Atheniensibus, oraculo respondisse, patriam religionem, & quam coluissent maiores, retinendam esse. Hoc consilium cum sequebantur Athenienses, quia in maioribus suis non nisi religionis errorem, quem imitarentur, habebant, miserè fallebantur. Nos autem, cum tam sincerè salutem animi solam, vt dictum est, maiores nostri in Christiana complectenda fide quæsiuerint; ac tales præterea, tamque in omni genere præstantes fuerint; consilium illud, non dico ab Appolline, sed à Deo, in Scripturis sanctis datum iure optimo sequemur, *Deoꝝ patrum nostrorum* (vt eiusdem Scripturæ vtar phrasi) arctissimo

atissimo Christianæ religionis ac fidei vinculo adhaeremus.

CONTRA verò ex hoc ipso argumento, ad probandum doctrinam Sectariorum non re, sed nomine tantum esse Christianam, ita licet rationem ducere: Quæ verè Christiana doctrina est, ea maiorum etiam auctoritate, hoc est, consensu doctorum atque populorum, & fama (vt Augustinus loquitur) admodum celeberrima nititur. His autem Sectariorum doctrina minimè nititur. Non est igitur doctrina Sectariorum verè Christiana. Obsecro enim, quos populos? quos maiores? quamq; Christiani nominis existimatione atque fama celebres sequuntur? Ipsos, inquiunt, Prophetas & Apostolos sequimur. Equidem non requiro antiquiores. Sed cum quæstio omnis sit, vtrum Catholici, an Sectarij, Prophetas & Apostolos doctrinæ duces sequantur: habuerintq; etiam eiusmodi antiquissimi Patres, suos sine controuersia discipulos fidelissimos, famaque celeberrimos, quos ipsos quoque tanquam maiores sequi necesse sit eos qui nunc Apostolicam & Propheticam doctrinam verè complectuntur; quærimus sanè, quosnam etiã ex eo numero sequantur Sectarij? Num Augustinos, Hieronymos, Ambrosios, Gregorios? Num vel doctores, vel fideles reliquos, qui per oēs Ecclesiæ ætates, cum Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Gregorio, in doctrina Christiana Prophetica & Apostolica consentientes fuerunt? Non magis certè quàm ipsos Concilij Tridentini Patres, à quibus isti nuper ex consensu omnium temporum superiorum condemnati sunt. Etenim doctrinam Diui Augustini (vt vtar compendio) Catholicam doctrinam maiorum esse, ne ipsi quidem audent diffiteri Sectarij. Num verò aliud D. Augustinus, aliud Concilij Tridentini Patres, de quæstio-

*Accommodatio
huius argumē-
ti ad probandū
doctrinam Se-
ctariorum non
esse verè Chris-
tianam.*

C nibus

In Confessione
Augustini-
ana,

Lege Iacobū
Billium in e-
pistola nun-
cupatoria o-
peris D. Ioan-
nis Damasc.
postremò ex-
cusi Parisijs,
anno 1577.

nibus fidei controuersis docuerunt? Quid? Nōne iam ipse Augustinus in ea confessione, quæ cum ingenti istorum fremitu ab omnibus teritur, definitiones illas Tridentini Concilij, ad verbum ex ipso Concilij codice recitatas, doctrina sua comprobauit, iisque quasi propria manu subscripsit? Nam quid ego de diligentia Catholicorum auctorum in singulis locis controuersis ex sententia tum Augustini, tum aliorum Ecclesiæ doctorum, aduersus istorum pertinaciam tractandis dicam? An aliquis est vel mediocriter in eo genere disputationum scriptisque tum Sectariorum, tum ipsorum Patrum versatus, qui non videat, toto cœlo, ab erudita illa Orthodoxa quæ antiquitate distare faciem istam omnem Lutherana, Calviniana quæ doctrina? Quod nisi ita sit, cur (vt proditum est) de iis discipulis penitus desperare solitus erat Lutherus, qui veterum Patrum monumenta paulò diligentius in causa religionis consulere cœpissent? Cur toties à Patrum sententia ad Scripturam, hoc est, à certa antiquitatis interpretatione, quam sibi aduersari vident, ad sua commenta vanissimè prouocant? At citant & ipsi testimonia Patrum. Deus bone, qua fide! Equidem (vt de me ipso hoc in loco profitear) nullam hos totos annos duodecim vel docendo publicè in schola, vel scribendo, pertractaui controuersam de fide quaestionem, in qua non aliquot insignes istorum corruptelas in allegandis veterum testimoniis manifestissimè deprehenderim. Quo in fraudis genere, cum illi omnes exercitatissimi sunt, tunc examinatore ille Concilij Tridentini Kemnicus maximè excellit. Qui quàm multa & magna mihi semper exempla, ad hanc istorum improbitatem in ordinario ipso cursu prælectionum mearum exagitandam suppeditauerit, omnes aliquando, si Dominus voluerit, clarissi-

clarissimè intelligent. Sed quoniam de antiquitate Catholicæ atque Apostolicæ doctrinæ Ecclesiæ Romanæ, à qua isti desciuerunt, infra quoq; certo loco dicendum est, illos ego nunc (vt ad alia argumenta pergam) rursus interrogo, si non Augustinum, non doctores & fideles alios populos, cum Augustino consentientes, doctrinæ duces habent, quosnam alios doctores & populos Christianos fama admodum celeberrimos (vt Augustinus loquitur) tanquam maiores suos sequantur? Nempe (vt vno verbo expediam) illos omnes populos ac doctores Lutheranos & Calvinianos isti sequuntur, qui multis ante Lutheri & Caluini nomen auditum seculis in orbe illustres & notifuerunt: id est, nullos penitus. Nam de consensu cum priscis hæreticis in Ecclesia olim notis & proscriptis, quorum isti (vt infra certo loco docebimus) opiniones instaurârunt, opinor, minimè gloriari volunt.

II. Alterum argumentum duci solet à constantia martyrum hoc pacto: Nullo modo verisimile est, falsam eam esse doctrinam quam innumerabiles omnis ordinis, sexus, & ætatis homines, qui & Deo placendi veræque religionis agnoscendæ colendæque cupidissimi erant, & singulari vitæ probitate atque sanctimonia conspici, sic amplexi sunt, vt illi res omnes ac vitam ipsam, exquisitissimis tormentorum generibus admiranda patientia tolerandis, postponere non dubitauerint. Talis autem, vt constat, est Christiana doctrina. Non est igitur verisimile eam falsam esse. Id probatur ex prouidentia, ex bonitate Dei, ex eiusdem erga hominum genus multis modis testata caritate. Ex Dei prouidentia: quia cum homines ad eum finem ipse creauerit, vt sibi vera religione atq; cultu seruirent; aut nullis omnino (quod incredibile est) aut illis maximè, secundum rectissimam suæ prouidentia rationem,

C 2

Parte VI.

Parte VI. cum ostendetur solam Ecclesiam Romanam esse Apostolicam.

Argumentum secundum, ab eodem loco ductum, quo D. Iust. Mart. restatur, apol. 1. ad Senatum Rom. se maximè fuisse motum ad suscipiendam fidem. Vfus etiam illo est Lactantius, lib. 5. diuin. instit. cap. 13. & 14. & alij antiqui scriptores passim.

tionem, opitulari ad eam rem putandus est, qui tam ardentem ipsi seruire cupiuerunt, ut quò placerent illi, non modò sanctissimè, ex ipsa lege naturæ, vixerint, verùm etiam (quod omnium maximum est) constantissimè mortem pro illo oppetiuerint. Ex Dei bonitate & caritate erga homines: nam quàm esset ab illa alienum; imò verò quàm crudele esset, permittere atque pati, ut homines ea voluntate, eo studio religionis, eo desiderio salutis, ea vitæ innocentia, in negotio summo quod ad salutem æternam spectat, fallerentur, ac vitam etiam sine utilitate prodigerent? Hoc certè nemo qui modò conuenienter rationi iudicet persuadere sibi possit de Deo: siquidem eum & sapientem, & prouidum, & clementem, & nostri amantissimum esse, illa cognitionis luce, quæ mentibus nostris est innata, compertum omnes habemus. Quod si iam ipsius etiam diuinæ doctrinæ testimoniis probare nobis liceret, Deum inquirentes se non deserere, in promptu plurima eaque luculenta haberemus. *Quæretis me*, inquit ipse Deus per Hieremiam, & *inuenietis, cum quæseritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis*. Et per Amos: *Quærite me & viuetis*. Quod, ut cætera loca præteream, adeò certum & constitutum in diuinis libris est, ut Apostolus id in primis, tanquam immotum quoddam principium fidei, credi oportere docuerit. *Accedentem ad Deum*, inquit, *oportet credere quia est, & quia inquirentibus se remunerator est*. Sed initio istius primi capituli præfati sumus, non licere iam nobis, cum veritatem Christianæ doctrinæ probare instituimus, ex Christianæ doctrinæ testimoniis probationem ducere. Quanquam, ut etiam monuimus, vtiliter ex illa quoque sententiæ proponuntur hoc loco gratia explanationis, atq; etiam ut appareat, eam cum iis, quæ ratione naturali nota sunt, pulchrè

Hieremiæ 29.

Amos 5.

Hebr. II.

pulchrè consentire. Quoniam igitur compertum est, innumerabiles eiusmodi martyres, quales iam descripsimus, veræ religionis inveniendæ, & Deo placendi cupidissimos, &c. fidem Christianam complexos fuisse: Et incredibile est, vt ostendimus, tales esse in re tanta deceptos; certò certius concludimus, doctrinam Christianam prorsus dignissimam esse, quæ pro vera atque certa habeatur. Sed nonne, dicit aliquis, proditum est, ethnicos etiam quosdam, specie religionis falsa deceptos, demonibus deuouere se esse solitos? Negari non potest. Verùm ij profectò res aut credunt alioqui aut faciunt tam pugnâtes cum ipsa etiam ratione & lege nature; vt facillè appareat, illos ea re non à diuina prouidentia in vera religione dirigi, sed secundum æquissimam diuinæ prouidentia rationem pœnas meritas vel stultitiæ vel improbitatis dare. Nostri verò plerique martyres, ex Christianæ religionis instituto priusquam mortem opterent, innocentissimè vixerunt: nihilque contrà, quamuis quædam, vt post dicemus, supra rationem, crediderint. Quam obrem & Diuus Ambrosius, eorum esse illam vocem in Psalmis, non incommodè interpretatur: *Principes persecuti sunt me gratis. Quia cum nihil malè fecerint* (ait Ambrosius) *peiora latronibus subire tormenta sint coacti.* Non igitur Deo vindice ob aliqua scelera (vt quidam ethnici) sed adiutore Deo vitam pro veritate profudisse Christiani martyres existimari debent.

NVM VERÒ etiam & hoc argumento doctrinam quoque suam confirmare Sectarij poterunt? Nihil profectò minus: quin imò vt probemus ipsi, eorum doctrinam non esse reuera Christianam, iure optimo possumus ex eo argumento ita rationem deducere: Vera Christi doctrina sanguine etiam innumerabilium sine controuer-

Ita ferè occurrit huic obiectioni Diu^o Chrysof. homel. 4. in 1. ep. ad Corinth.

In expositione Psalm. 118.

Accommodatio huius argumenti in Sectarios.

sia martyrum mundo testata est, vt haftenus est ostēsum.
 Non habet autem id testimonium Sectariorum doctri-
 na. Non est ea igitur verè Christiana doctrina. Quī enim
 pro ea doctrina mortem oppetere potuerunt martyres,
 quam vel in veteribus hæreticis martyres ipsi execrati
 sunt, vel multis seculis post martyrum tempora (sicut
 præcedenti argumento vidimus) Martinus Lutherus &
 id genus nouatores excitauerunt? Quid quod præcipui
 ac maximi quiq; martyres contrariam istorum errori-
 bus doctrinam, hoc est, doctrinam quam hodie profite-
 tur Ecclesia Catholica, disertis verbis asseruerunt? Mar-
 tyres fuerūt Dionysius, Ignatius, Martialis, Iustinus, Ire-
 næus, Cyprianus, Hypolitus, & amplius triginta Romani
 Pontifices ex primis, atq; plures alij. Horum verò, quis
 nesciat, nos aduersum Sectarios passim pugnare testimo-
 niis? Quid? An non hoc ipso nomine Sectarij Centuria-
 tores in cælum ponunt os suum, impudentissimeq; san-
 ctos eiusmodi martyres reprehendunt, quòd senserint
 nobiscum, atque adeò (ipsorum quidem iudicio) à pura
 atque Apostolica doctrina (scilicet) degenerauerint? Sic
 enim de discipulis ipsis Apostolorum sanctissimisq;ue
 martyribus Ignatio, Policarpo, Irenæo, Iustino, &c. cen-
 sent: ^a Deploratione (inquiunt) dignum est, quòd tam
 citò magnæ obscuraciones magnorum articulorum fi-
 dei sensim inciderunt. Summi enim in Ecclesia Doctores
 (nempe illi quos iam nominavi, quosq; ipsi Centu-
 riatōres ex illo seculo solos commemorant) suas qual-
 dam opiniones parum commodas, suosq; natos habue-
 runt, quibus sequentibus temporibus Ecclesia quassata
 & turbata est. Nam doctrina de libero arbitrio statim hoc
 seculo coepit viciari, nimiumq; viribus humanis tribu-
 tum est, &c. Operibus iustificatorum plusquam debe-
 bant

^a In præfatio-
 ne Centuria
 2. ad Ducem
 Saxoniam.

bant ascripserunt; quod fortè (inquiunt) ex errore de necessitate operum ad salutem promanavit. Martyria Sanctorum sentire cœperunt esse peccatorum expiationes.] Item: ^b Videas (inquiunt) in doctorum huius seculi (ante annum videlicet trecentimum) non obscura (hoc est, clara) vestigia inuocationis Sanctorum.] Item inquiunt: ^c Ex Ignatij epistolis apparet, homines iam tum paulo impensius cœpisse amare & venerari Virginitatis statum. Nam in epistola ad Antiochenos inquit: *Virgines videant cui se consecrârint.* Et ad Heronem: *Virgines custodi tanquam Sacraria Christi.* Item ad Tharsenses: *Eas que in Virginitate sunt honorate, sicut sacras Christi.* Rursus Centuriatores impetum propterea faciunt in eundem Christi martyrem Ignatium, quod ad Philipenses in hæc verba scripserit: *Dies festos nolite inhonorare: Quadragesimam verò nolite pro nihilo habere. Imitationem enim continet Dei conuersationis: Hebdomadam etiam passionis nolite despiciere.* Quid hîc Centuriatores? Nimirum ^d affirmant, Ignatium contra doctrinam Pauli (*Nemo vos iudicet in cibo aut parte diei festi*) ita scripsisse. Quid autem de Dionysio? ^e Non sentit (inquiunt) Apostolicè quod monachorum ordinem, vt sublimiorem & excellentiorem reliquis, commendat.] Quod ipsum superstitione admodum ab eodem Dionysio traditum esse, pluribus etiam verbis ^f Philippus Melanchthon asseuerat. Porro ^g censent isti fidesolarij, perperam Iustinum martyrem scripsisse, totam legis iustitiam esse diligere Deum plusquàm se ipsum, & proximum vt seipsum.] Quæ tamen sententia non tam est Iustini, quàm ipsius Christi. ^h Sic & martyrem Irenæum de oblatione, hoc est, de sacrosancto Missæ sacrificio, satis loqui incommodè, cum ait: *Novi Testamenti novam docuit Christus oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo Deo offert.*]

^b Cent. 3. c. 4. pag. 83.

^c Centuria 2. ca. 4. pag. 64.

^d Cent. 2. c. 8. pag. 167.

^e Cent. 1. li. 2. cap. 10. pag. 625.

^f In libello de Ecclesia.

^g Cent. 2. ca. 4. pag. 58.

Matth. 22.

^h Cent. 2. c. 4. pag. 63.

Irenæus lib. 4. cap. 32.

fert.]

i Cent. 2. ca. 4.
pagin. 58. &
cap. 10. pag.
221.
k Cent. 3. ca. 4.
pag. 83.
l Lib. 2. ep. 3.
ad Cæcil.

m Cent. 3. c. 4.
pag. 84.
n Lib. 4. ep. 8.
ad Corn.

o Cent. 2. ca.
4. & in aliis
passim.

Argumentum
tertium ab
eodem loco
ductum, quo
vsi sunt Iusti-
nus Martyr,
Apolog. 2. pro
Christian. ad
Antonin. Piū.
Imperat.
Tertull. libro
ad Scapulam,
Cartagin. Pre-
fidem.
Lactantius li-
bro 3. diuin.
instit. cap. 26.
&c.

Apocal. 2.

fert.] Item que eundem martyrem Irenæumⁱ reprehendunt, quod liberum arbitrium, etiam in spiritualibus, passim defendat. ^k Item de martyre Cypriano: Superstitiosè (inquiunt isti) ait, ^l Eucharistiā in Altari sanctificari, & sacerdotes sanctificare calicem, & vice Christi fungi ac Deo Patri sacrificium offerre.] Atque etiam in eodem vehementer ^m ipsis displicet, quod asseruerit, "Romanā Ecclesiam ab omnibus aliis pro matrice & radice Catholicæ Ecclesiæ agnoscendam esse.] Quid multa? Hæc & id genus Catholica dogmata (ne alia plurima nominatim à Sectariis eodem modo reprehensa persequar) quæ primis etiam illis seculis martyrum, sanctissimè à nostris maioribus iuxta Apostolicam traditionem defensa sunt, non aliud isti, quàm peculiare, incommodas, mōstruosas opiniones, stipulas, nœuos, & errores, quia nunc etiam à Papistis videlicet, similiter retinentur, contumeliosè ^o appellant. Quod cum ita sit, quid habet obsecro commune doctrina Sectariorum cum doctrina Martyrum?

III. Est etiam pro fide nostra magnum argumentum illud, quod ex admirabili quadam animi mutatione eorum, qui eam cōplectuntur & colunt, sumitur. Primum enim, si ex Christianæ religionis instituto viuunt, singulare quoddam animi robur, magnamq; facultatem (vt illorum vita testatur) ad grauiora peccata omnia contra naturæ legem vitanda obtinent. Quæ facultate cum careant ij, qui Christianæ religionis sunt expertes, apparet profectò, illam naturalem non esse, sed à Deo tributam, tanquam testimonium etiam quoddam veritatis Christianæ doctrinæ. Deinde cuiusmodi luce, & quibus interdum spiritualibus delitiis animo perfundantur ij, qui secundam Christianam religionem sanctè ac piè viuunt; id verò *neq; nouit aliquis nisi qui accipit*, neq; illi ipsi qui no-
runt

runt & experti sunt, vlla possunt oratione explicare. Certè ex illorum rectissimis factis, & tranquillitate atq; constantia vitæ, perspicuum est, in eorum animis aliquid verari atque inesse diuinum, quod nec humanitùs soleat contingere, & veritatem, sine qua rectè se habere aut requiescere mens nostra nullo modo potest, necessariò sociam habeat. Hoc argumento Malachias Propheta, vel potius ipse Deus per Malachiam, ad probandam hominibus Christianam religionem, quæ veteri legi successura erat, tanquam validissimo, vsus etiam fuisse videtur. *Erunt, inquit, mihi in die quam ego facio, in peculium, & parcam eis, sicut parcat vir filio suo seruienti sibi. Et conuertimini & videbitis quid sit inter iustum & impium, inter seruientem Deo, & non seruientem ei.* Vides, quibus verbis, futuram in melius animorum mutationem, quæ experimento etiam probari possit, proponit, vt homines ad legitimum Dei in Ecclesia cultum spe quoq; experiundi alliciatur? Ducebat item ab eadem mutatione rationem Apostolus Paulus, qua persuaderet Ephesiis studium virtutum. *Eratis enim, inquit, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate. fructus enim lucis est in omni bonitate & iustitia & veritate, &c.* Deniq; non nisi dextera excelsi mutationem hanc in his, qui Christianam religionem susceperunt, fuisse, vel inde colligi potest, quòd ipsis etiam ethnicis, quibus Christus fuit lapis offensionis, maxime admirabilis exstitit. Nemo est enim, qui falsum existimet narrauisse Diuum Petrum in illo loco, vbi recens Christianos adhortatus inter cætera dicit: *Sufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium consumandam, iis qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, commessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus.* In quo inquit,

Malach 3.

Ad Ephes. 5.

1. Petri 3.

D adm-

admirantur (vel obstupescunt, vt habet alia litera) non concurrentibus vobis in eandem luxuria confusionem.

*Retorquetur
argumentum
hoc in Sectario-
rum doctrinā
Pseudochristi-
anam.*

QVO EX argumento doctrinam Sectariorum verè Christianam non esse ita certissimè ostenditur: Qui ex doctrinæ Christianæ instituto viuunt, ij & magnam in se experiuntur ad euitanda grauiora peccata facultatem, & reliquis ferè sunt innocentia atque omnis probitatis exemplum. At non eadem vis ac ratio doctrinæ Sectariorum est; quinimò hæc facillimè ipsa mores peruertit, & ad omnem vitæ licentiam homines facit procliuēs. Doctrina igitur Sectariorum nihil præter nomen habet commune cum vera Christi doctrina. Etenim, si non alio tremore & labore præterquam sola fide salutem quisque suam operari debet; si conscientia ratio, ad obtinendam remissionem peccatorum, reddenda Deiministris non est; si ieiuniis nullis caro domari & coërceri debet; si denique conuenienter reliquis Sectariorum placitis, ad libertatem carnis excogitatis, vita instituitur; quid mirum erit, si eius alumni doctrinæ, nullo certo disciplina freno cohibiti, sed habentis potius ad omnem carnis cupiditatem laxatis, desideria carnis in omnigenere perficiant? Exierunt ex Ecclesia (vt de hæreticis Diuus Ioannes inquit) & transierunt ad istorum castra magno suo malo quandoque nonnulli. An hi vnquam meliores apud istos sunt facti, posteaquam ex Lutherana doctrinæ ratione viuere cœperunt? An mutatio in eorum vita dexteræ excelsi, aliis admirantibus (vt D. Petrus de recens Christianis dicit) notari potuit? Num exemplis illustribus & frequentibus, caritatis, orationis, pœnitentiæ, patientiæ, modestiæ, humilitatis, omnisque continentia vitæ, quæ apud Sectarum prædicantes viderint,

*An qui deserta
religione Ca-
tholica, ad Se-
ctarios transe-
unt, fiant apud
illos meliores?*

rint, ad pietatis studium vehementius inflammati sunt? Quis nescit, apud istos fermè iacere hæc omnia, præter suum illud Verbum, & nimis solam suam (vel potius nullam) fidem? Sed ne ego in istorum vita, quibuscum parum ipse verfor, curiosius fortè inquirere videar, domesticos eorum testes vnum aut alterum de fructu sui Euangelij profitentes audiamus. Bucerus igitur de eiusmodi hominibus Euangelicis loquens: Maxima, inquit, eorum pars visa est id tantum ex Euangelio Christi petiisse, vt iugum qualiscunq; disciplinæ, poenitentia, & religionis vniuersæ, quæ in Papatu reliqua fuit, abiicerent, proq; carnis suæ arbitrio ac libidine instituerent agerentque omnia. Tum non ingratum eis fuit audire, iustificari nos fide in Christum, non bonis operibus, quorum nullo tenebantur studio. Nec pauci eorum qualemcunque Euangelij prædicationem eo tantum receperunt, vt in opes inuaderent Ecclesiasticas.] Haftenus Bucerus. Tum etiam de laxatione disciplinæ pluribus verbis conqueri VVigandus: Rapere, inquit, Ecclesiastica bona, scortari, inebriari, aliaque id genus innumera peccata, eo magis inualescunt quotidie quia libertatem crescendi habent.] Et vnde nam potius crescendi libertatem, VVigande, innumera, vt inquis, peccata nunc habent, quam ex relaxata apud vos (quemadmodum antè diximus) Christianæ religionis sanctissima disciplina? Cuius profectò rei & aliud quoddam illustre admodum testimonium, idemq; publicum, primariae ciuitatis Lutheranae, Dominicus^a Sotus, auctor imprimis grauis, & ob summam doctrinæ atq; prudentiæ existimationem, Inuictissimi Imperatoris Caroli V. in ipsa etiam Germania à sacris confessionibus, ita ad verbum commemorat: *Verecundia, inquit, consistendi vehementissimè homines à peruersis moribus arcet. Id quod me*

D 2 (inquit)

Testimonia Sottariorum de pessimis Euangelij suis fructibus.
Bucerus lib. 1. de regno Christi, cap. 4.

VVigandus in Admonitione de bonis & malis Germaniæ, præsertim ab anno 1517. cum recenseret malum 11.

^a Lib. 4. sententiarum, distinctione 18. q. 4. art. 1.

(inquit) teste Germani ipsi publicè dum inter eos agebam fatebantur. Qua de re ex inelyta Norinberga ciuitate missa est ad Casarem legatio, per quam ciues illi petebant, vt Caesar Imperatori iure confessionem auricularem induceret. Aiebant enim se vsu & more intellexisse, Rempublicam suam, postquam confessio cessauerat, vitiis contra iustitiam & alias virtutes scaturire, quæ illis antea fuerant incognita. Risum autem (inquit Sotus) ea legatio mouit. Nam cum fateri omnino renuerent, per absolutionem sacerdotis culpas remitti, & diuino iussu teneri homines ad confessionem: quomodo plebs induci posset Casarea lege occulta sua scelera secretò confiteri.] Ergo à fructibus etiã eorum doctrinæ, falsi isti Prophetæ, iuxta præceptum Christi, cognosci debent.

Matth. 7.

A modo, quo fides olim recepta est, argumentū quartum, quo est vltis Diuus Iustinus Martyr Apolog. 2. ad Antonin. Pium, paulò post medium. Chrysostom⁹ homel. 34. in Matth. & homel. 4. & 5. in ep. ad Corin. D. Augusti, lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 5. Damascenus lib. 4. fidei Orthodoxæ, cap. 4. &c.

Marci 16.

Matth. 10.

III. Præterea: quæ doctrina diuinitus est hominibus probata, ea sine dubitatione est vera. Atqui doctrinam Christianam esse probatam diuinitus, modus certè, quo in orbem est introducta, declarat. Nam à paucissimis hominibus, nulla neq; humana cruditione eloquentiæ instructis, neq; potētia & vi armatis, neq; nobilitate claris, neq; opulentia præstātibus; & præterea eiusmodi res docentibus, quæ magna ex parte hominum voluntatibus, atq; ad eò ipsi carni repugnant; plurimi sapientissimi, eloquentissimi, potentissimi, nobilissimi, opulentissimi, vna vi veritatis, Domino cooperante, & sermonem eorum admirabiliter confirmante, victi ac superati sunt, eoq; demum adducti, vt desertis patriis religionibus, quæ vel ipsa diuinitate valde confirmatæ erant, Christianam disciplinam amplecterentur. Quod profectò naturaliter, id est, absq; aliqua maiore virtute planeq; diuina, non magis fieri potuit, quàm vt ferocissimi lupi, à māsuetissimis agnis superarentur. Itaq; cum Apostoli, qui, vt agni inter lupos sunt missi, lupos vicerint: id est, cum absq; vllis humanis præ-

sidiis

fidii orbem Christo subdiderint; nemo prudens dubitare debet, quin insit in Christiana doctrina vis veritatis, quam ipse Deus sanctissimorum illorum hominum ministerio atque opera mundo probauerit. Quod ipsum pulcherrima sanè ratione confirmat Diuus Augustinus. Si enim priusquam Christianam fidem mundus completeretur, sapientium philosophorum aliquis interrogatus fuisset, vtrum censeret, sine virtute diuina per vnum vel per paucos homines nulla neque potentia excellentes, neque humana doctrina claros persuaderi mundo illa posse, quæ Christum & Apostolos persuasisse iam cernimus: Respondisset credo ille (inquit Augustinus) non posse hoc ab hominibus fieri, nisi quos ipsa Dei virtus atque sapientia commendasset, vt omnia contemnendo quæ prauis homines cupiunt, & omnia perpetiundo quæ horrescunt, genus humanum ad tam salubrem fidem summo amoretq; auctoritate cõpenteretur. Hoc igitur cum iam factum videamus, non nisi diuina planè ope esse factum, confitendum est. Huius argumenti vim, quæ est sanè maxima, intelligi à Corinthiis voluit Apostolus, quos idè illis verbis commonefaciebat: *Videte, inquit, fratres vocationem vestram. Quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret.* Ac rursus ad eosdem: *Non secundum carnem, inquit, militamus. Nam arma militia nostræ, non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Certè vel hæc ipsa Diui Pauli verba suaapte

Lib. de verare.
lig. cap. j.

1. Cor. 1.

2. Cor. 10.

grauitate declarant, Apostolos in persuadenda Christiana doctrina, quemadmodum diximus, maiori vi fuisse vsos, quàm sit vlla humana. Quo & illud eiusdem Apostoli pertinet: *Sermo meus, inquit, non in persuasibilibus humana sapientia verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.*

1. Cor. 2.

Reuincit hoc argumentum pseudoapostolos Sectarios.

Parte præferta VI. vbi probabitur solam Ecclesiam Romanam legitimam Ecclesiam esse & Apostolicam doctrinam sequi.

¶ Marci vlt. Quintum argumentum ab eodem loco, quod & vrger

IAM verò, si Sectariorum doctrina, illa ipsa doctrina Apostolica est, quam duodecim illi viri sine humana sapientia verbis, mundo vniuerso persuaserunt: qui nunc fit tandem, vt eam tam multi Sectarij prædicantes, iidemque verborum etiam artifices non admodum imperiti, ne diuturno quidem multorum iam annorum spatio, probare orbi potuerint? Nempe quia militant prorsus secundum carnem, non autem, vt Apostoli, in virtute Dei & potentia spiritus. Verùm, quia non istos propugnare, sed oppugnare planè doctrinam Apostolicam, atque adeò Ecclesiam ipsam Christi infra suis locis accurate probandum est; satis nunc erit, si Lector notet, posse istorum doctrinam ita redargui ex hoc loco: Quæ doctrina ab iis nouatoribus propriè ac singulariter defenditur, qui & vita, & moribus, & virtute atque efficacia in docendo, plurimùm distant ab Apostolis; eam nullo modo verisimile est doctrinam esse verè Christianam & Apostolicam, qualis olim orbi ab ipsis Apostolis probata est, duratura secundum Christi promissiones in Catholica Ecclesia perpetuò. At doctrina Lutherana & Calviniana à talibus nouatoribus ita defenditur. Quare minimè verisimile videri debet, eam esse doctrinam verè Christianam & Apostolicam.

V. Pertinent & ad hunc locum miracula: quæ vel ob eam rem maximè, quasi antonomasticos, nominari solent signa, quia cum primis significant atque declarant, eam

eam doctrinam diuinitus probari, atque adeo veram esse, cuius ad confirmationem edantur. Quo quidem ex loco ita licet formare rationem. Non dubium est, quin ea doctrina prudentissimè existimetur vera esse, quæ miraculis diuina planè virtute editis, confirmata atque probata orbi est. Eiusmodi est autem Christiana doctrina. Quare dubium nullum est, quin vera planeque diuina esse prudentissimè putetur. Sed vnde, dicit aliquis, intelligi potest, eiusmodi miracula & diuinitus facta esse, & etiam fuisse facta ad confirmationem Christi doctrinæ? Ego verò ad huius argumenti conclusionem, quæ est, doctrinam Christi dignissimam esse fide, primùm non necesse esse puto, vt ista duo simul, prorsus euidenter constent. Nam si sic constarent; euidenti etiam consequentia rationis nobis esset nota Christianæ doctrinæ veritas. Et tamen illam sola fide, in qua non est euidentia, tenemus. Vt igitur propter miracula etiam, prudenter ahiimum inducamus ad assentiendum Christianæ doctrinæ, satis erit, si alia quadam, sed tamen magna illa quoque, certitudine, quam moralem nominant, nobis constet, ea & diuinitus esse facta, & simul ad eam rem facta fuisse, vt Christi doctrina confirmaretur.

Deinde quin sint pleraque miracula ex illis patrata non alicuius creaturæ virtute naturali, sed planè potentia diuina, plusquam morali certitudine perspicuum est. Nam à seculo non est auditum, quòd naturaliter aperti sint oculi cæci nati, aut mortui planè ad vitam resurrexerint. Quæ ac plura eiusdem generis admirabilia à Christo eiusque ministris præter naturæ consuetudinem fuisse gesta, si quis neget, hic omnem omnino historiam eadem ratione in dubium reuocare possit, vt egregiè conuincit sanctus Augustinus. Commemorantur quidem apud

D. Chrysof. hom. 3. in 2. ad Corinth. & D. August. lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 8. & lib. de vtilit. cred. ca. 16. & passim alij. quin etiã ipse D. Paul. ad Hebr. 2.

Ioan. 9.

Lib. 10. de ciuit. cap. 18.

Lib. 10. de ci-
uit, Dei, ca. 16.

Ioan. 15.

Lib. 2. cap. 7.

apud veteres Scriptores profanos aliqua prodigia, quæ aliarum religionum hominibus acciderunt, quæ persequitur diligenter Dignus Augustinus: Sed non talia, nec tanta, nec tam testata ac illa, quæ sunt à Christo & eius ministris pro nostra religione facta. Itaque nemo profecto similia aliqua mirabilium operum exempla opponi posse existimabat, cum Christus ipse non minus fidenter illud quam verè affirmaret: Si opera, inquit, non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Quod ipsum eruditè sanè ac copiosè Michael Medina, auctor valdè diligens, in suo opere de recta in Deum fide persequutus est.

Sed & omnia eiusmodi opera Christi admirabilia, in vniuersum gesta fuisse diuina virtute, ita compertum est, ut nemo ea de re prudenter dubitare possit. Hoc patet tum ex illorum operum magnitudine; tum ex singulari innocentia & perfectissima sanctimonia vitæ eius, per quem fiebant, nempe Christi Domini; tum ex modo quo idem admirandas eiusmodi res operabatur. Nam neque vllius rei naturalis, quæ ad illos effectus natura sua valeret, adminiculo, sed solo verbo atque imperio, vel certè prece neque malignorum spirituum prestigiiis atque opera credibile est, adiutum cum fuisse, cui tantum, tamque apertum fuit cum illis nequam spiritibus bellum, ut non modò sanctissimis studiis in omni vita corum conatibus aduersaretur, verum etiam reluctantes ipsos atque inuitos è corporibus humanis summa vi pelleret. Qua ratione ad hanc ipsam rem ille utens: *Si Satanas*, inquit, *Satanam eiicit, quomodo stabit regnum eius?* Itaque reliquum est, ut Dei ope supra humanas suas, & omnium etiam creaturarum vires ad eas res peragendas usus fuerit. Huc accedit, illum vno & eodem ferè modo

Matth. 12.

do miracula, quæ fecit, omnia patrauisse, nempe admirabili imperio. Quare, vt opera quædam maiore virtute, quàm sine dubitatione sit aliqua vis creata, fecit (nempe illuminandis cæcis à natiuitate, & mortuis excitandis) ita & reliqua omnia fecisse putadus est, quæ similiter fecit.

Quod autem in argumento quoque sumebamus, miracula hæc ad eam rem diuinitus facta per Christum fuisse, vt Christiana confirmaretur doctrina: id verò, si non euidenter (quis enim, præsertim citra lumen fidei, vt iam loquimur, cognouit penitus atque vidit sensum & consilium Domini?) at ita certè compertum est, vt non nisi imprudenter ac temerè in dubium reuocari possit. Primùm, quoniam ipse Christus Dominus id testabatur: in cuius spectatissima virtute, quid obsecro iure desiderari potuit, quominus eius auctoritati ac testimonio in ea re à prudentibus fides haberetur? Magnus vir ac sapientissimus erat Ioannes Baptista, neque indoctos aut imprudentes habebat & ipse discipulos. Anne igitur hi temerè fidem Christo adhibuerunt, cum is, vt suam illis auctoritatem probaret: opera eiusmodi mirabilia ad dignitatem doctrinamque suam comprobandam pertinere significauit? *Euntes, inquit, renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, mortui resurgunt, leprosi mundantur, pauperes euangelizantur, & beati qui non fuerint scandalizati in me.* Certè operum Christi tam admirabilium ea quoque vis fuit, vt credere oporteat sapientes non modò per se esse vera, quæ ille docuit, sed hoc ipsum etiam verissimum esse, quod asseuerauit, opera quæ ipse faceret testimonium de se præbere, id est, ad ipsius confirmandam doctrinam diuinitus fuisse patrata.

Matth. 11.

Ioan. 10.

E. Sed

Sed & valde præterea hoc idem diuinę erga homines prouidentię suauissima, atque ad eorum salutem aptissima ratio confirmat. Nam si Deus ad confirmandam aliquam doctrinam veram (non enim ad falsam potuit) aut omnino ad alium finem, quàm ad cõciliandam auctoritatem Christo, miracula illa tam stupenda edidit, cur non vllum hominibus dedit eius finis indicium, ne in re tanta vsq; adeò verisimiliter falli possent? Quid enim ipsi aliud cogitare poterant, nisi in eius gratiam miracula illa fieri, per quem omnino fiebant? aut quomodo diuinassent aliò illa referri, cùm nihil ipsis ostenderetur vllò modo quò alioquì pertinerent? Aut igitur miraculorum illorum finis non alter fuit, quàm vt Christi doctrina probaretur, aut Deus cum finem non monstrans, in re maximè necessaria defuit hominibus. At Dei prouidentia hominũ saluti non deest. Non igitur nisi ad eam rem diuina illa miracula fuerunt, vt Christianę doctrinę fides adhiberetur. Quę ratio docet, prudenter admodum illos omnes fecisse, qui propter miracula, quę à Christo fieri cernebant, inducebãtur, vt ei fidem accommodarent. Sic Regulus cum domo sua tota, sic Centurio, sic alij, de quibus passim legimus, ad fidem adducti sunt.

Ioan. 4.
Lucę 23.
Act. 3. & 4. &c.

Sed perspicitur nescio quo pacto magis huius argumenti vis, si proponitur illã formã & modo: quo est à D. Augustino propositum. Is igitur pro religione nostra contendens contra ethnicos, hunc ferè in modum à miraculis argumentatur. Aut Christiana religio diuinis miraculis orbi probata est, aut nullis miraculis est confirmata. Si aliquibus miraculis probata est, diuina est igitur & digna quę recipiatur: sin autem nullis; multò etiam magis est fide digna. Quod enim maius miraculum ad il-

lius

Lib. 22. de ci-
uit Dei, cap. 5.

lius veritatem auctoritatemque persuadendam proferri potest, quam si nullis testata miraculis, eam tamen vim per se habuerit, ut ab uniuerso orbe sit suscepta?

Sed ut hunc locum magis firmemus, ad extremum breuiter dicendum est, quæ sit illarum sententiarum vis, in quibus Christus nihilominus significat non esse miraculis in negotio fidei innitendum. Faciet enim signa & prodigia magna Antichristus, facient etiam & fecerunt sæpenumerò alij seductores; quibus tamen non est credendum. Hoc si ita est, quæ potest pro fide nostra tam firmum argumentum à miraculis duci, quam hæcenus contendimus? Hoc ita expeditur. Non prohibet Christus, seductorum miraculis credere, quia nullis miraculis sit credendum. Nam ad confirmandam doctrinam suam & ipse miracula fecit, & ut à suis etiam discipulis fierent, omnino voluit. Quod ipsum esse alioqui consilium Dei, quandocumq; opus fuit auctoritatem hominibus aliquibus in negotio religionis diuinitus addi, ex sacris quidem literis non est obscurum. Quid ergo commune factio illa Christi significat? Nimirum, ut seductorum miraculis ne commoueamur, quia eiusmodi sunt, ut si illorum ratio dispiciatur, haud difficile intelligi possit, non vera miracula ea esse per virtutem Dei facta, sed signa, ut Apostolus loquitur, planè mendacia in virtute Satana. Primum quoniam ex eorum aliis fructibus, hoc est, ex vita, ex consiliis, ex actionibus denique cæteris apparet quod pertineant & cuius adminiculo edantur ab illis ea signa. Referunt enim ea vel ad ambitionem plerumq; & gloriam vanam, vel certè ad oppugnandam doctrinam veram, quæ sit aliis multis ac magnis argumentis probata: Quod est in primis studium dæmonis. Quæ autem opera verè admirabilia sunt diuinæq; virtute edita, non nisi ad opti-

E 2 mum

Matth. 7. & 24

2. Thessal. 2.

Marci 16.

2. Thess. 2.

Quæ ratione
falsa miracula
à veris discernenda sint.
Matth. 7.

August. lib. 10.
de ciuit. Dei,
cap. 12.

Exod. 8.

Lib. 2. de reſta
in Deum fide,
cap. 7. & de in-
ceps.

2. Theſſ. 2.

Quo

mum sanctissimumque finem spectant, vt docet etiam præclare Diuus Augustinus. Itaque miracula, quæ primò pro religione Christiana verissimè à Deo (aliis argumentis id contestantibus) facta sunt; meritò quibusque aliis impostorum Christi que hostium signis auctoritatem atque fidem derogant. Deinde pleraque istorum facinora aut meræ præstigiæ sunt, aut res certè non prorsus per se admirabiles, sed potius eiusmodi, quæ in causam aliquam naturalem, tamen si occultam & abditam referri à peritioribus possint. Atque inde porro fit, vt minimè seductores isti quidquid admirabiliter diuina virtute, pro confirmanda veritate religionis Christianæ, aut etiam olim Mosaicæ, factum est, similiter facere possint. Quod Magi Pharaonis ostenderunt, cùm nequiuissent similiter vt Moyses efficere ciniphes. Multò minus valent aut cæcis oculorum lumen, aut mortuis veram atque solidam vitam restituere. Quamquam commemorantur quoque in his generibus multæ apud ethnicos præstigiæ, quas redarguit Michael Medina diligenter, quem auctorem antea nominavi. Nec verò, quod Apostolus Paulus scripsit, futurum aduentum Antichristi *in omni virtute*, ita intellexit, quasi facturus sit aut facere possit ille homo nequissimus omnia quæcunque fieri possunt admirabilia: Sed quia in omni genere miraculorum enitetur operâ diaboli, cuius erit præcipuum organum, homines ludificari. Quare non absolutè dicit, venturum illum in omni virtute: sed addit etiam, *secundum operationem Satana & signis & prodigiis mendacibus*. Quam ob rem igitur iis miraculis, quæ pro religione Christiana adduci solent, moueri debeamus, aliis autem non item, ita breuiter explicâsse ad institutum nostrum satis nunc erit.

Quo ipso argumento à miraculis, tantum abest, ut Sectarij ad confirmationem doctrinae suae uti possint, ut ex eo etiam rationem petere facillimum sit, qua planum fiat, non esse reuera Christianam illorum doctrinam. Sic enim licet argumentari: Si quam doctrinam singularem (hoc est, abhorrentem à recepta communiq; sententia orbis) Deus aliquando eorum hominum ministerio persuaderi voluit, qui auctoritate, secundum humanum iudicium, impares ceteris viderentur; eam doctrinam necesse fuit supernaturalibus aliquibus miraculis diuinitus comprobari, ut verissimè Diuus Augustinus disputat, & exemplum praedicationis Apostolorum & Prophetarum, & ratio ipsa docet: Non enim alioqui posset eiusmodi doctrina prudenter recipi, ab his praesertim, qui rationem ipsam per se doctrinae diiudicare satis non possunt, sed auctoritate potissimum docentis commoueri debent. At singularem illam doctrinam, quam orbe vniuerso reclamante profiteri isti coeperunt, nullis Deus miraculis mundo comprobauit. Neque vult igitur, neque voluit Deus, ut eam sibi homines istorum ministerio persuadeant; ac proinde neque Apostolica neque vere Christiana doctrina est. Quam rationem, quoniam infra sumus vberius confirmaturi, nihil attinet hinc dilatare.

VI. Splendescit praeterea maximè doctrinae atque fidei nostrae veritas ex eo, quod vel illorum etiam, qui ipsius lumen non receperunt, testimonia luculentissima extant de dignitate huius doctrinae auctoris, qui est Christus Dominus ac magister noster. Quo in genere nescio quid aut verius aut grauius dici potuit, quam illud quod est scriptum à Iosepho Iudeo, magnae existimationis auctore. Is cum in historia gentis suae ad id seculum felicis-

E 3 simum

Argumenti huius accommodatio contra Sectarios.

Lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 8.

Parte VI. vbi ostenditur, neque ordinariè neq; extraordinariè Sectarios esse legitimos ministros Euangelij.

Ab eorum testimonio, qui fidem Christianam non receperunt, argumentum sextum, quod maximum ad religionem confirmandam habere pondus

docet D. August. lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 47.

Lib. 18. antiquit, ca. 9.

Lib. 4. hist. Ecclesiast. ca. 13. & lib. 9. cap. 9. Lege etiã Apolog. 2. Iustini ad Antonin. Pium in fine.

Confutari etiã hoc argumento posse doctrinã Sectariorum.

simum peruenisset, quo Christus vnigenitus Dei Filius in terris visus & cum hominibus conuersatus est, de ipso hunc in modum (proculdubio ex communi valdeque celebri hominum opinione) scripsit: *Fuit autem, inquit, his temporibus Iesus sapiens vir. Si tamen virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium operũ effector, & doctor omnium eorum, qui libenter audiunt, quæ vera sunt. Et multos quidem Iudeorum, multos etiam ex gentibus sibi adiunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ gentis virum, cum Pilatus in crucem agendum decreuisset, non deseruerunt hi, qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertia die iterum viuus; secundum quod diuinitus inspirati Propheta vel hæc vel alia innumera miracula futura prædixerant. Sed & in hodiernum diem Christianorum qui ab ipso nuncupati sunt & nomen perseuerat & genus.* Huc & alia Imperatorum veterum Romanorum spectant testimonia præclara, quæ illi pro Christianis, quos alioquã crudelissimè persequebantur, ab ipsa veritate sunt coacti ferre; ex quibus Christianæ vitæ atq; doctrinæ institutum, optimum sanctissimumq; esse, omnino intelligitur. Sed quia breuitas in hoc mihi præsertim argumento maximè propostita est, ommissa non necessaria recitatione, moneo tantum Lectorẽ, vt ea de re, si libuerit, legat epistolas varias eiusmodi Imperatorum apud Eusebium. Omnia certè exteriorum hæc hominum testimonia eiusmodi sunt, vt non temerè proinde postulare possimus, vt in negotio & causa Christianæ religionis contra inimicos nostros, vel ipsi etiam inimici nostri sint iudices.

TALE VERÒ aliquod testimonium inimicorum Christianæ religionis, vel veterũ vel recentiorum, omnino pro suis opinionibus Sectarij non habent: nisi intestinos hostes, hoc est, hæreticos veteres, quorum isti discipuli

puli sunt, intelligas. Etenim, vt veteribus Christianis (quod & suprâ argumento primo vidimus, & infrâ etiam docebimus) Lutherana atque Caluiniana doctrina incognita fuit, sic & veteribus Christianæ religionis hostibus externis. Qui autem modò supersunt Ecclesiæ hostes, seu Turcæ, seu Ethnici, si modò rationis aliquam habent scintillam, ne possunt quidem sine summa execratione de istorum proteruita atque rebellione erga Ecclesiæ Dei Præpositos (cùm Christiani illi se profiteantur) audire. Nam quod fuerit nuper Ecclesiæ Græcæ de istorum opinionibus iudicium, quàmq; ipsi acerba & ignominiosa censura, cùm res iam vulgo notissima sit, quid attinet hoc in loco commemorare?

VII. Sedenim, cùm illustria & verbis & scriptis testimonia inimici Christianæ doctrinæ pro eadem ipsa doctrina præbuerint; haud scio tamen an nō illud testimonij genus multò luculentius esse existimari debeat, quòd illi ferè grauissimas & iustissimas acerbitatis suæ ac odij in Christum & homines Christianos pœnas Deo dederunt. Velut impij & Christicidæ Iudæi. Qui maximas calamitates, cò quod tempus non cognouerunt visitationis suæ, patiuntur in hanc vsque diem, vt prædixerat illis futurum Christus Dominus. Nam, si non ita est, quam obsecro aliam obcausam suspicari possumus, illos vsq; ad eò grauiter à Deo mulctari? Certè cùm & grauissimè, & iam inde à Christo per ipsos interfecto, & omnes communiter, & continenter, puniantur; necesse omnino est, crimen illud, propter quod ira acerbè puniuntur, & grauissimum esse, & in illa Christi tempora incidisse, & id omnibus illis aliqua ratione esse commune, & illius eos nunquam omnino pœnitere. Has verò peccati conditiones omnes, in nullo alio facinore gentis istius, præterquam

Parte VI. cùm redarguetur quod isti dicunt, propugnare se doctrinā Apostolicam, à qua Ecclesia Romana defecit.

Abeorundem cladibus argum. VII. quo maximè Tertull. in lib ad Scapul. est v. sus. Itemque D. Chrystost. orat. 3. aduersus Iudæos.

Luc 19. Vide D. Aug. lib. 5. de ciuit. Dei, cap. 18. & lib. 1. de consens. Euangel. cap. 13.

Calamitates, quas patiuntur Iudæi, pœnam esse eius peccati, quod in Christi tempore commiserant, ostenduntur.

quàm in eo quo Christum occiderunt, apparet esse coniunctas: In illo verò maximè. Etenim in ea re, si peccatum ab illis est, vt omnino est, grauissimè peccatum est (quippe qui auctorem interfecerint vitæ) & id illorum peccatum calamitates eas, quas tolerant, non ita multum antecessit; & commune illis omnibus, saltem consensu ac voluntate est; & eius nunquam ipsos pœnitet, imò de illo nefariè gloriantur. Quibus ex rebus colligitur, homines istos infelicissimos, non nisi illius sceleris, tam diuturno acerboque supplicio, pœnas dare, quòd impiè conati sint opprimere veritatem, hominemque Deum interfecerint, qui vera, vt ipse verissimè aiebat, loqueretur illis.

Act. 3.

Ioan. 8.

Oratione 3.
aduersus Iu.
dæos.

Quò & illa etiam Diui Chrysofomi accedit haud exigui ponderis ratio. Fingamus enim animo, id quod existimare nefas est, Christum, verum Deum, vt dicebat ipse, non fuisse, neque veram ad eò atque diuinam, vt profitebatur, doctrinam tradidisse. Dubium ita non est, quin in interficiendo eo, qui vsque ad eò impiè gloriam diuinam ad se transtulisset, magnum tunc fuisse à Iudæis gratissimumque obsequium præstitum Deo. Hoc autem posito, nequaquam certè esset diuinæ bonitati consentaneum, quòd post id facinus illa gens, tam multis, tam diuturnis, tam magnis ærumnis vexaretur. At in ea re diuinam bonitatem accusare nullo modo possumus. Non igitur illo facto diuinam illi gloriam propugnârunt, sed grauissimè offenderunt, eum qui verissimè erat Filius Dei occidendo. *Si Phinees* (inquit Diuus Chrysofomus) *unico perempto homine totam numinis iram aduersus populum placauit* (*Stetit enim Phinees & placauit, & cessauit quassatio*) *tamque multos homines eripuit ab ira diuina vnus hominis cades: multò magis hæc vobis oportuit accidere, si legis transgressor*

Oratione illa 3.

Psal. 105.

for erat quem vos crucifixistis. Cur igitur, queso, Phinees, viro legis transgressore perempto, iustus habitus est, & sacerdotio honoratus; vos autem cum in crucem egeritis virum impostorem, ut dicitis: non modò non infertis laudem & honorem, verùm etiam acerbiora patimini, quàm tum cum filios vestros mactaretis? An non istud perspicuum est, etiam vehementer tardis & hebetibus, quòd posteaquam aduersus seruatorem ac principem orbis impie egistis, talis sit de vobis sumpta vindicta?]
Iam verò supplicia & horribiles exitus aliorum, qui religionis Christianæ præcipui hostes extiterunt, non prolixum modò, sed etiam superuacaneum esset repetere, cum in promptu vnicuiq; sint iis de rebus historie. Legat, si quis velit, Tertullianum saltem & Eusebium & Nicephorum.

NEQVE committere possum, quin hoc etiam in loco Sectarios interrogem, quò tandem fiat, quòd res Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, tam habeant in omni genere faustum progressum, si ipsi (quod iactitare solent) velut alij quidam Apostoli, doctrinæ sanæ propugnatores sunt: Ecclesia verò Romana, non secus atque Iudeorum olim Synagoga, à doctrina vera, sinceraque religione desciiuit? Cur templa? cur sacerdotes? cur sacrificium? cur cærimoniarum atque ritus? cur certa descriptio formaque religionis in Ecclesia Romana magis, quàm in reliquiis ac sæce Iudæorum, durauit? Ita ne verò? portas inferorū aduersus sanam incorruptamq; doctrinā, quam Sectarij (scilicet) tuentur, tam diu Christus, contra promissiones suas, præualere pmisit? Tam diu etiā patitur doctrinæ lumen ministerio doctoris Lutheri (vt isti loquuntur) accensum, intra insolentem tantum partiunculam (vt Paciani verbis vtatur) *tuberg, collectū, & à reliquo corpore separatum*, tanquam sub modio inclusum contineri? Mitto, quòd

F non

Tertull. li. ad Scapulam.
Euseb. lib. 2. c. 4. & 7. & lib. 7. ca. 20. & lib. 9. cap. 8. & 9.
Niceph. lib. 2. c. 10. & 11. & c.
Huius argumenti accommodatio contra Sectarios.

In epistola ad Sympronianum.

non minus horribiles multorum Sectariorum exitus fuerunt, qui doctrinam Ecclesie Romanae his temporibus oppugnauerunt, quam eorum qui olim hostiliter eandem infectati sunt, ut nominatim etiam ab Erasmo Albero est literis proditum. Quod ipsum profecto argumento minimè leui est, non magis istorum doctrinam, quam veterum illorum Ecclesie hostium, esse reuera Christianam.

Lib. 2. contra Caroloostadianos.

Ab hostium item testimonio argumentum octauum, quo vsus est praesertim D. Aug. lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 47.

^a Lib. 1. de consensu Euang. cap. 14. & li. 18. de ciuit. Dei, ca. 46. & epist. 59. ad Paulin. in solutione 2. quaest.

^b Deut. 32.

^c Li. 18. de ciuit. Dei, cap. 46. & ep. 59. ad Paulin.

^d Psal. 58.

*Argumentum hu-
ius accommodatio contra Sectarios.*

Parte praesertim V. & VI.

VIII. Denique & illud nobis minimè leue argumentum inimici nostri, Iudaei, suppeditant, quod Scripturam veteris Testamenti ipsi probant ac retinent, unde clarissimè nostrae fidei mysteria confirmantur. Quare diuinitus magnoque nostro comodo factum esse censuit D. Augustinus, ut Iudaei in illa vastatione Hierosolymitana non omnes funditus deleti fuerint, sed aliqui etiam in varias mundi partes dispersi. Sic enim consecuti sumus, ut testimonia nostrae fidei secum ipsi, contra se & pro nobis, circumferant, nosque optimo iure vsurpare possimus illud: ^b *Et inimici nostri sint Iudices.* Quod & idem Augustinus indicat, à Deo postulatum fuisse voce illa Christi in Psalmis: ^d *Deus, inquit, ostēdit mihi super inimicos meos. Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.*

Quod cum ita sit; profecto non est, cur sibi Sectarij tantoperè de Scripturarum sola professione blandiantur. Quid enim illae nunc profunt Iudaeis? Aut quare ipsis non profunt, nisi quia eas illi ex proprio suo sensu (quod faciunt aequè pertinaciter Sectarij) interpretantur? Nam quod ex collatione Scripturarum dicunt verissimam se colligere sententiam, an non idem & Iudaeorum & omnium qui vnquam fuerunt haereticorum praetextus est? Quemadmodum igitur Iudaei, ita & Sectarij (quod inferius

ferius abunde probabitur) *Scripturas tenent ad speciem, non ad salutem*, inquit præclare D. Augustinus.

IX. Sed operæ precium est considerare deinceps, quàm multa quoque & magna pro se argumenta contineat ipsa ratio, atque conditio Christianæ doctrinæ. Primum enim, cum mysteriis magna ex parte contineatur planè contingentibus, quæ præsciri certò futura, nisi diuinitus non potuerunt; multa tamen ex illis ita planè prædicta sunt, vti postea euenisse constat. Id apparet maxime in rebus, quæ pertinet ad vitam & passionem ac mortem Christi. Rursus alia mysteria nostræ fidei, itè contingentia, quæ vel futura adhuc sunt, vel iam quidè præterita, sed per se tamen occultiora, quàm vt ex historiis etiam humanis sine controuersia ea iam euenisse constet; similiter atque illa, quæ sine controuersia iam acciderunt, sunt olim prædicta. Prorsus, vt ex simili prædictionum modo^a appareat, illa æquè certò atque ad eò perinde diuinitus prædicta esse, atque illa alia, quæ in externo euentu, de quo nulla iam controuersia est, sunt posita. Iam verò cum huiusmodi omnia mysteria sic prædicta diuinitus & certò sint, vt eadem ipsa prædictione fuerint quoque per se asserta: fit necessariò, vt omnino sint vera; siquidem sunt asserta ab ipso Deo, qui nec falli potest, nec fallere.

Hoc argumentum, quod ex prædictione fidei nostræ prophetica duci solet, hac forma & modo proponi debere, vt pro veritate doctrinæ Christianæ vim habeat; sicut habet sanè maximam; explicabo vno exemplo. Cum Isaias dixit: *Ecce virgo concipiet*: assueueratio ipsius futuri mysterij cum prædictione coniuncta est. Non enim tantum dixit, fore, vt virginem concepisse ab aliquibus crederetur: quo modo etiam hæreses & falsa dogmata præ-

F 2

dicta

August. lib. 3. de bapt. cõtra Donat. c. 19. Ab ipsa cõditione Christianæ doctrinæ argum. I X. ex prophetiis ductum, quo vsi sunt Iustinus Apol. 2. ad Antonin. Pium. Tertull. in Apolog. ca. 20. Clemes Alex. lib. 6. Strom. Aug. lib. de catech. rud. c. 26. & lib. 17. de ciuit. Dei, c. 15. & deinceps. & lib. 13. contra Faustum, cap. 8. & seq. Lactan. lib. 4. diuin. insti. ca. 9. & seq. & alij Patres passim.

^a Simili modo argumetur D. Aug. lib. de catechi. rudibus ca. 24. & 27. & lib. 22. de ciuit. Dei, c. 5. ad persuadenda mysteria fidei futura. Itè etiã ante Aug. Tertull. in Apolog. cap. 20. sub finem.

Quaratiõ pro fide nostra duci debeat à prophetis argumentum.

Isai, 7.

Matth. 7. &
alias.

De Sybillarū
vaticiniis lege
D. Clementē
Rom. lib. 5. cō-
stit. Apostolic.
ca. 6. & D. Iu-
stinū in orat.
parænetica ad
Gent. & La-
stantiū lib. 1.
instit. diuin.
ca. 6. & D. Au-
gust. lib. 18. de
ciuitate Dei,
cap. 23.

Ioan. 5.
Ibidem.

Roman. 1.

dicta diuinitus à Christo fuerunt, neque ta men idè sunt ipsa vera: Sed prædicendo illud mysterium, simul etiam ipsum per se asseueravit. *Virgo, inquit, concipiet.* Cùm ergo eiusmodi asseueratio mysterij contingentis, quæ prædictione illa cōtinetur, fuerit, vt antè ostensum est, planè diuina; verum prorsus id mysterium est. Atque hæc quidem argumentandi ex hoc loco forma, eodem modo ad probandum alia Christianæ fidei mysteria, quæ similiter sunt diuinitus prædicta, accommodari debet. Vt ad salutem humani generis per Christum partam; ad eius resurrectionem; ad ascensionem in cœlum; ad Spiritus sancti admirabilem aduentum; ad assistentem opem diuinam in operibus mirabilibus, quæ vel à Christo, vel ab illius discipulis in confirmationem Christianæ doctrinæ patrata sunt; ad iudicium futurum; ad resurrectionem carnis quam speramus; ad alia huius generis, quæ partim à Prophetis in Scripturis, partim etiam à Sybillis, fœminis è populo gentilium prophetissis, de Christianæ religionis mysteriis prænunciata fuerunt.

Hinc Christus ipse, vt vel hoc argumento auctoritatem doctrinæ suæ Iudæis probaret, Prophetarum de se vaticinia, quibus illi fidem habebant, obiicere eis erat solitus. *Scrutamini, inquit, Scripturas, in quibus vos dicitis vitam aternam contineri, quoniam illa testimonium perhibent de me. Et; Si crederetis Moysi, crederetis utiq; & mihi, quoniam de me ille scripsit.* Ab eodem argumento & sanctus Apostolus, vt auctoritatem Euangelio conciliaret, exorsus in epistola ad Romanos est: *Segregatus, inquit, in Euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui natus est ei ex semine David, secundum carnem.*

OBSECO

OBSECRO verò, vbinam Lutheri Euangelium, hoc est, Euangelicæ doctrinæ (vt Sectarij dici malunt) Lutheranam instaurationem, per Prophetas suos, aut per Apostolos, promiserat Deus? Equidem nullum Scripturæ locum video qui ad eam rem pertineat præterquam illos: ^a Oportet hereses esse. ^b Surgent pseudopropheta. ^c Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis demoniorum, in hypocrisis loquentium mendacia, & cauteriatam habentium conscientiam, &c. Hæ nimirum Euangelij Sectariorum sunt prophetiæ: nõ aliæ. Nam vbi perpetuò sonare oportuit vocem veri Euangelij, Deus ipse clarissimè significauit cum Ecclesia loquens per Esaiam. Spiritus, inquit, meus, qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui amodo & usq; in sempiternum. Cum quam verò Ecclesia hîc loquitur? Nempe cum ea, quæ sit congregatio eorum, de quibus per eundem Prophetam dicit: *Scietur in gentibus semen eorum, omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quoniam isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Hi verò & visi semper & cogniti ab omnibus, quinam alij sunt, nisi qui omnibus illis seculis ante Lutherum, Ecclesiæ sanctæ Romanæ membra fuerunt? Ab huius igitur Ecclesiæ ore si (iuxta illustrem illam Dei promissionem) nunquam recessit aut recedet Euangelij Verbum: quî potuit Deus velle ac promittere, vt Lutheri aliorumq; Sectariorum opera in eam Ecclesiam Verbum Euangelij (tanquam si recessisset) denuò reduceretur? Redarguamus igitur ex prophetiæ ratione Sectarios hoc modo: Verum Christi Euangelium, hoc est, veram Christi doctrinam, multò antè per Prophetas suos tanquam perpetuò in Ecclesia duraturam promiserat Deus. Lutheri autem aliorumque

F 3 Sectario-

Accommodatio
huius argumē-
ti contra Se-
ctariorum do-
ctrinam pseu-
doeuangelicam.

a 1. Cor. II.
b Matth. 24.
c 1. Tim. 4.

Isa. 59.

Isa. 61.

Seſtariorum Euangelium nunquam Deus promiſit: quin imò id planè priorem illam Dei promiſſionem euacuat, vt eſt oſtenſum. Non eſt igitur illud verum Chriſti Euangelium, ſed hæreſum potius ſentina quædam, quales & fuiſſe in Eccleſia futuras diuinitus prædictum eſt, & cæteri quoque hæretici (teſte D. Irenæo) Euangelij nomine ſimiliter palliare iam olim conſueuerunt.

Lib 3. aduerſ.
hæreſe cap. 11.
in fine.

Argumentum
decimum ab
eodè loco dit-
ctum, quo eſt
uſus Tertul. in
Apolog. ad-
uerſ. Gent. ca.
39. Iuſtinus in
Apolog. 2. ad
Antonin. Piū
non longè ab
initio, &c.

X. Deinde ſanctitas & reſtitudo Chriſtianæ doctrinæ ex omni parte ea profectò eſt, vt facile appareat, illam omnino veram ac ſalutarem hominibus eſſe. Nam primùm contra rationem docet nihil. Quanquam docet quidem ſupra rationem non pauca: ſed quæ ſunt tamen eiufmodi, vt ab argumentis omnibus eiufdem humanæ rationis quæcunque contra ſiant, defendi haud difficulter poſſint, ſint quæ luculenter deſenſa à Chriſtianis auctoribus. Sed neque iubet aliquid, quod ſit improbum; Imò verò naturæ leges vniuerſas ſanctiſſimè tuetur confirmat quæ, tum alia porro nonnulla præcepta addit, quibus modum religionis & per ſe optimum & ipſi rationi Chriſtianæ doctrinæ hominum quæ nature valdè conuenientem præſcribit. Quæ reſ quantam vim habere debeat, vt & qui nondum Chriſtianam religionem ſuſceperunt, animum ad eam applicent, & qui receperunt, conſtanter eandem teneant; Pſalmiſta etiam indicâſſe videtur. *Lex enim, inquit, Domini immaculata, conuertens animas, teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans paruulis, illuminans oculos. Quæſi diceret: Quia & immaculata prorfus eſt, & præclara docet: conuertendi vim habet animas. Quam etiam ob cauſam; Iudicia item Domini vera & iuſtificata ſe ſemetipſa eſſe dixit. Quia videlicet, cùm diuina doctrina, non niſi optima quæ quæ doceat, ſatis ſe ipſa probat. Contra verò nulla ſecta fuit, aut eſt hominum infidelium,*

Pſal. 18.

Ibidem,

quam

quam nostri non conuicerint aliqua vel docere absurda, vel sancire atque approbare planè impia.

TAL E verò illud est, non minus sceleratum, quàm peruulgatum, doctrinæ Lutheri decretum: ^a Si non vult vxor, veniat ancilla. Itemq; illa eiusdem aduersus ^b Christi sanctissimum consilium blasphemia, quam scripsit, præter morem suum, Græcè, vt tegetet aliquo modo turpissimæ sententiæ improbitatem: ἀγαμ. ♂ (celebs) planè ἀδυνατα τῆς ἑ (impossibilia sectatur) ἢ ὁ λωσ θεομαχῆ (& omnino cum Deo pugnat.) Vt præteream nunc alia istorum dissolutissima placita, quæ eum fructum suapte vi proferunt, de quo ipsos suprâ argumento tertio testificantes audiuius. Quamobrem non hæc Sectariorum doctrina, lex Domini sancta & immaculata, sed legis atq; doctrinæ Dominicæ præuaricatio, multis erroribus contaminata, reputari debet.

XI. Et verò cùm Christiana doctrina ferè doceat, quæ sunt hominum deprauatis voluntatibus atque studiis aduersa; cum quæ à tot, tamque diuersi generis hostibus oppugnata omnibus temporibus sit; nisi in ea inesset, magna vis veritatis, & patrociniò diuino prorsus niteretur; non potuisset vlllo modo vel in initio persuaderi, vel postea consistere. Nunc verò non modò oppugnationibus tum hæreticorum, tum tyrannorum firmior reddita est, verùm etiam hac in primis ratione mirabiliter aucta. Ita neque verendum est, ne vlllo vnquam tempore opprimatur. Nam si hostes illi sunt commodo, à quibus nam ei periculum interitus impendere potest? Quod si & stetit hætenus, sicut alia religio nulla, & perpetuò consistet, neq; ab vllis hostibus delebitur; auctoritate illam firma & stabili, id est, planè diuina, niti necesse est.

CONTRA verò, aduersus Sectariorum doctrinam hunc in modum & istud argumentum retorquere licet; Christia-

Argumenti huius accommodatio aduersus impiam Sectariorum doctrinam.

^a In concione quadam quæ habuit de eo ipso argumento obicenisimo.

^b Matth. 19.

^c In epistola ad VVolfgangum Reifembuchs.

Ab eodem loco argumentum vndecimum, quo est vsus Clemens Alexand. lib. 6. Stromatum in fine. & D. August. lib. de vera relig. cap. 3. & 4. &c.

Argumenti huius contra Sectariorum doctrinam.

*Et in omni mini-
mè Christianã,
accommodatio.*

Christiana doctrina, vel ea ratione maximè commenda-
tur, quòd cum disciplinam cõrineat repugnantem alio-
quì propensis hominum cupiditatibus, tamen mirabili-
ter iisdem hominibus probata est. At qui doctrina Secta-
riorum prurit carni & auribus, congruit quæ his planè qui
ex sanguinibus, & ex voluntate carnis, & ex voluntate vi-
ri, non ex Deo, nati sunt; & vix tamen paucis nationibus
hactenus persuaderi potuit. Nihil igitur doctrina Secta-
riorum est minus reuera, quàm Christiana doctrina.

Ab eodem lo-
co argumen-
tum duodeci-
mum, ex ordi-
ne quem Chri-
stiana discipli-
na continet
ductū, de quo
multa præcla-
rè D. Gregor.
Nazian. in o-
rat. de mode-
rat. in disput.
seruanda.
3. Reg. 10.

*Huius argu-
menti accom-
modatio contra
Sectarios.*

Parte VI. cum
ostendetur so-
lam Ecclesiã
Romanam ef-
se rectè ordi-
natam.

Ab eodem lo-
co argumentū
decimum ter-
tium, quo usus
est Clemens.

XII. His accedit in magna differentia officiorum &
graduum pulcherrimus ordo religionis, quem tenet
Christiana disciplina. Qui profectò est indicium ab eo il-
lam constitutam esse, à quo omnia, quæ sunt, ordinatissi-
ma sunt. Nam si Regina Saba ex ordine atque ratione
familiæ Salomonis rectè colligebat, res illius regis singu-
lari Dei prouidentia atque ope contineri: Quid nos de
Ecclesia Christi censere debemus? in qua tantò admi-
rabilior est ordo atque consensus, quanto latius illa, per
cunctum orbem diffusa, quàm domus Salomonis patet.

Hic verò de Babylonica confusione, quæ est in cœ-
tibus Sectariorum, quoniam inferiùs commodiori loco
de eadem dicturus sum, aliud nihil dicam, nisi non esse
mirum, si nullus apud illos vel in differentia vitæ statu-
um, vel in hierarchicis Ecclesiæ veris atque legitimis mi-
nisteriis ordo emineat, postquam omnem istam varietate-
m, ex qua ordo ipse existit, quoque est Christi Ecclesia
pulcherrimè circumdata, suis ex Synagogis procul eie-
cerunt.

XIII. Sed cum multa sint in ipsa Christiana doctrina,
quæ ipsa per se fidem illi atque auctoritatem conciliare
possunt: tamen mihi maximum illud esse videtur, quod
sua nescio qua admirabili vi, diuinè prorsus hominum

animos

animos afficit, atque ad virtutem impellit. Est scripta verbis simplicibus, & caret ferè artificio orationis & ornamentis. Nihilominus ita vehementer Lectoris mentem commouet, vt alia nulla doctrina. Quod argumento est, illius auctoritatem omnino diuinam esse, non humanam: hæc enim sine verborum arte & lenociniis ad efficiendum animorum motum non valet. Neque verò in vno aliquo vel altero genere, sed in omni prorsus, hæc doctrina hominibus *utilis est, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*. Docet ignorantes: solatur tristes: torpentes excitat: confirmat atque erigit afflictos. Denique nulla animorum ægritudo est, cui mederi non possit. Nam verissimè Sapiens: *Omnis, inquit, sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se*. Quam Scripturæ sanctæ virtutem cum essent Machabæi experti; licet hostibus vndique sæpti essent, magnisque difficultatibus premerentur; nulla re tamen indigere se aiebant, *habentes solatio sanctos libros, qui sunt, inquit, in manibus nostris*. Mihi quidem Machabeorum hoc testimonium sæpenumerò eiusmodi visum est, vt vel eo audito, qui non omnino sit malæ mentis, salutarem hanc & diuinam Scripturæ sacræ virtutem, etiam sine alia experientia, sentire possit. Vnde etiam Apostolus; *Quæcunque, inquit, scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus*.

HANC consolationem & hunc fructum ex Scriptura, si Sectarij perciperent, proculdubio Ecclesiam Catholicam, quam sine vlla dubitatione (vt Augustinus inquit) *Scriptura commendat*, & ad quam nos illa sæpe remittit, minimè vel insectarentur, vel contemnerent. Quod cum faciant; rursus hîc repeto ex eodem D. Augustino, *tenere illos Scripturam ad speciem non ad salutem, neque*

G magis,

Alexand. lib. 6. Stromat. n. 6. longè à fine. Et Lactan. lib. 3. diuin. instit. cap. 26. & c.

2. Tim. 3.

Prouerb. 30.

1. Machab. 12.

Rom. 15.

Accommodatio huius argumēti contra Sectarios.

August. lib. 1. contra Cres. coniu Gram. cap. 23. Lib. 3. de bapt. contra Dona. tist. cap. 19.

magis, ut probent suam doctrinam verè Christianam esse, Scripturam ipsis suffragari, quàm Iudæis, itidem Scripturæ tenacissimis, ut comprobent perfidiam suam.

Ab eodem loco argumentum, ex antiquitate sacræ doctrinæ, quæ omnium esse vetustissimam ostendit. Ioseph lib. 1. cõtra Appionem. Iustinus Apolog. 2. ad Antonin. Piu. Clemens Alexand. l. 1. Stromat. Tertul. in Apolog. ca. 19. August. lib. 18. de ciuitat. Dei, ca. 37. & seq. a Lege de hac re Tertul. in Apolog. cap. 19. & D. August. lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 43. & lib. 2. de doctr. Christ. ca. 15. b Ita testatur Iustinus, vbi supra, & alij.

Huius argumenti accommodatio contra Sectarios.

Id maximè Herbrandus passim inculcare solet, præsertim in Disputatione quam edidit de antiquissima religione. Genes. 3.

Christus, sententia Sectariorum, non contulit caput serpentis.

XIII. Huc accedit sanctarum etiam Scripturarum summa antiquitas, quæ bona sui parte longè antecesserunt omnia alia profanorum hominum monumenta. Itemque consensus earum maximus. Tum etiam in illis seruãdis, ac ex Hebraico sermone in Græcum per^a interpretes illos septuaginta admirabiliter transferendis, singularis prouidentia diuina. Denique tanta in eisdem sapientiæ vbertas, ut etiam profanarum scientiarum vetustissimi doctores ex hoc fonte^b hauserint, quidquid melius & verius tradiderunt. Quæ omnia procul dubio pondus auctoritatis doctrinæ nostræ addunt maximum.

Quod si antiquitas ipsa per se ad commedationem doctrinæ valet; certè doctrinæ nouitas, præsertim cum antiquitate è diametro pugnans, auctoritatem Sectariorum doctrinæ (ne habeatur pro verè Christiana) meritò apud omnes detrahet. Nam quod dicunt, se omnium primam & antiquissimam doctrinam profiteri ab ipso Deo in paradiso illis verbis traditam: *Ipsè* (sic enim malunt, quàm, *Ipsa*; licet eodem res recidat) *conteret caput tuum*; nõne valdè est ridiculum? Etenim quod vnigenitus Dei atque Mariæ virginis filius contriuerit passione sua caput, hoc est, vim diabolici serpentis, non ipsorum propria, imò non reuera ipsorum, sed Ecclesiæ Catholicæ, cuius ipsi quasi calcaneo insidiantur, doctrina est. Ipsorum autem doctrina propria est, reliquisse potius Christum integrum caput serpenti, imò nescio quo illud inuolucro mollissimè quasi confouisse; hoc est, nõ dele-

re penitus illum sua gratia in Baptismo peccatum originis (quod quasi caput operum diaboli in homine est) sed tanquam velo quodam tegere. Hoc commentum & reliqua absurdissima, quæ de iustificatione, aliisque locis isti propriè defendunt, quæro, quonam in loco paradisi Deus docuit?

XV. Iam ipse etiam Christiana doctrina, auctor, Christus multis certè de causis, quæ præter argumenta facta, ab ipso etiam persona peti possunt, fidem atque auctoritatem obtinere debet. Nam ut nihil nunc repetam de illius absoluta sapientia, de singulari innocentia vitæ, de patientia admiranda, de signis stupendis quæ illius & vitam & mortem & resurrectionem admirabilem mundo reddiderunt; de virtutibus denique omnibus, quæ conciliare doctrinæ alicuius apud homines auctoritatem possunt: nonne etiam veritatis se doctorem esse, multarum rerum prophetica prædictione, quas euenisse iam constat, luculentissimè probavit? Nonne Hierosolymitanae urbis ^a excidium; futuram in Ecclesia ^b perfidiam hæreticorum; ^c conuersionem Gentium; ^d prædicationem Evangelij vbique; ^e peccatum Petri; Iudæ ^f proditorem; Apostolorum ^g martyrium, &c. prædixit? Aut non hæc omnia quemadmodum prædixit, euenerunt? Quid quod intimas hominū cogitationes diuinitus sæpe ^h vidit, ad easque mirabiliter responsum accommodauit? Hæc certè tam insignis virtus argumento nobis esse debet, in omnibus eum doctrinæ partibus tradendis verissimi diuiniq; magistri munus expleuisse.

Hic verò mihi venit in mentem admirari, cum toties audiunt Sectarij, à Christo Domino inter cætera verissimè esse prædictum, hæreticos Christiano nomine palliatos, fuisse futuros; cur non aliquando tandem intel-

Ab ipsa Christi persona & prophetis eiusdem prædiction. argumentum decimum quintum, quod videt D. Chrysostr. orat. 2. & 3. aduers. Iudæos. August. lib. de catechi. rud. ca. 24. &c.

^a Lucæ 19.
^b Matth. 7.
^c Ioan. 12. & 17. &c.
^d Matth. 24.
^e Matth. 26.
^f Ioan. 13. &c.
^g Matth. 24.
^h Matth. 9. & 12. & Ioan. 16. &c.

Huius argumenti accommodatio contra doctrinam Sectariorum.

Formula probandi evidenter, Sectarios ex illorum hæreticorum numero esse quos Christus futuros fuisse prædixit.

ligant, ex eorum omnino se esse numero, atque ad eò nihil minus quàm doctrinam retinere verè Christianam? Neque enim difficile est hunc in modum ratiocinari: Hæretici, quos Christus Dominus prædixit futuros, illi homines omnino sunt, qui cum opinione quidem sua existiment, atque iacent, se propugnare veram atque Apostolicam doctrinam; se sequi prorsus sententiam Scripturæ; se in hoc non errare; se esse Christi veram Ecclesiam; alios qui ipsis contradicunt in errore versari, nec Ecclesiam veram esse, &c. hæretici, inquam, sunt ij qui cum hæc & similia opinione quidem sua ita de se iacent: eius tamen coetus auctoritate & sententia qui pro Ecclesia Christi vera in orbe uniuerso ante natam controuersiam habitus fuerit & postea etiam à cæteris omnibus habeatur, hæretici iudicantur. Tales autem prorsus sunt omnes Sectarij, tum Lutherani, tum Calviniani. Igitur omnes illi ex eorum hæreticorum sunt numero (cogor ita loqui propter argumenti consequentiam) quos Christus verè prædixit fuisse futuros. Obsecro, quid in vilo quæstionis genere certius concludi potest? Vtrum enim Maiorem, an Minorem, an Consequentiam negabunt? Quid? Diffiteri ne possunt, quin sententia eius cæterus fidelium, qui pro vera Ecclesia ante Lutherum in uniuerso orbe habebantur, & postea etiam à reliquis præter ipsos habentur, hæretici sint iudicati? At hoc & sciunt ipsi plus satis, & animo iniquissimo (quod est etiam hæreticorum ingenium) ferunt. An verò negabunt iudicium reliqui orbis terrarum satis esse vt iure habeatur hæretici? Quorum nam igitur præterea iudicium requiritur, si non sufficit iudicium aliorum omnium præter ipsos? Certè nullum superest nisi iudicium etiam ipsorum. Quid igitur? Hæretici merito non habebuntur, nisi qui sua etiam sententia

rentia propria sint hæretici? Nulli igitur omnino hæretici in Ecclesia Christi vel fuerunt vel erunt aliquando; falsoque Christus hæreticos aliquos fuisse futuros prophetauit. Quis enim vnquam aut fuit aut erit hæreticus, qui se ipse etiam hæreticum esse profiteatur? An non etiam Manichæi, Ariani, Pelagiani & reliqui omnes sine controuersia hæretici, errare se aut hæreticos esse pernegabant? Nonne, vt meritò haberentur hæretici, iudicium satis fuit reliquorum fidelium cœtus, qui ante cōtrouersiam communiter ab omnibus pro vera Ecclesia agnoscebatur? Sed de hoc aduersus istos inuictissimo argumento * infra nobis redibit oportune sermo.

XVI. Porro doctrinam omnem à Christo traditam (vt argumento præcedenti concludebamus) esse diuinam atque verissimam, vel ipse profectò in docendo admirabilis modus, atque energia, qua ille ad stuporem vsque maximum auditorum, vt solitus erat, persuadere possit. Quis enim hominum vnquam ita locutus est, vt ille homo? Aut de quo legimus tantum dicendo potuisse, vt turbæ maximæ relictis domibus, ad agros & ad montes desertos audiendi causa toto triduo, atq; etiam oblitæ necessarij cibi, sequerentur? An hoc efficere potuit humana vis, præsertim vani alicuius & mēdacis magistri? Negemus, hæc ita vt narrantur accidisse; & planè barbari erimus, qui pati ratione historiis aliarum rerum, quas ipsi non vidimus; nullam debeamus adhibere fidem; vt argumentatur rectissimè D. Augustinus. Sed loquebatur ille fortassis humanæ sapientiæ verbis. Nihil Imò simplicissima oratione, & planissimis sententiis, ac vulgaribus similitudinibus vsus est. Quo magis est perspicuum illius in dicendo vim fuisse planè diuinam. *Beati* (inquit in eo sermone quem ad multas vndique

* Parte VIII. sub finem loci, de Conciliis, cum redarguimus vanissimos prætextus Kemotij, qui frustra probare nititur, se sine nota hæresis examinandū suscepisse Cœcilium Trid.

Abeodè loco argumentum XVI. ex modo & efficacitate sermonū Christi, de qua re pulchrè D. Chrysostr. homilia. 26. in Matt. & Hieron. li. 1. com. in Matth. circa cap. 9. & Ioan. 7. & Matth. 15. & Marci 8.

Lib. 10. de ciuitate Dei, cap. 18.

Matth. 5.

dique turbas concurrentes in monte habuit) *Pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati mites, &c.* Quid hac & sequenti oratione tota lenius esse potest: Et tamen, cum cōsummāset Iesus omnia verba haec, admirabantur turba super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scriba eorum & Pharisei. Nempe homo erat non tantum homo, sed idem Deus. Vnde & illud etiam, quod proditum est, eueniebat, vt quos ipse discipulos deligeret; ad vnam statim eius vocem diuina vi attracti, confestim sequerentur, vt Matthaeus & alij Apostoli. Quod cum Iulianus, & alij Christianae religionis hostes, velut leuiter à discipulis Christi factum impie deriserunt; validius etiam nobis hoc argumentum pro fide nostra reddiderunt: si quidem eo ipso agnouerunt tamen, id factum esse, quod nisi diuina Christi docentis atque vocantis virtute accidisse, non est verisimile.

Matth. 7.

Matth. 9.

Ita refert Diuus Hierony. lib. 1. cōment. in Matth. circa cap. 9.

*Accommodatio
huius argumē-
ti contra Se-
ctarios.*

Iacob. 3.

IAM VERÒ, qui cum illa Christi in docendo moderatione summa atque puritate, arrogātiā, superbiam, obscenitatem, & procacissimam maledicētiā, quae est passim in Lutheri aliorumque Sectariorum scriptis, contulerit; sibi ne persuadere poterit, istorum doctrinam de sursum esse, & non potius (vt ait Diuus Iacobus) terrenam, animalem, diabolicam? Quae enim de sursum est sapientia (inquit idem Apostolus) primū quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione. Quibus profectò verbis, quid nominatim de futuro esset in huius temporis Sectariorum doctrina, videri non iniuria posset sanctissimus hic Apostolus voluisse describere.

Ab eodē loco
argumentum
XVII. quod à
Diuo etiā Bo-

XVII. Omnino autem ex dignitate, atque praestantia Christi, magna mihi videtur pro illius doctrinae auctoritate

toritate ratio duci posse isto modo: Si Christus eiusmodi homo fuit, qui falsò contenderet se Filium Dei naturalem esse, veramque adeò doctrinam diuinitus tradere, necesse prorsus est, eum aut singulari, imò portentosa superbia & ambitione, aut stultitia & stupiditate mentis maxima præditum fuisse; qui videlicet dignitatem tantam vel nequiter, vel ignoranter atque stolidè sibi falsò arrogaret. Rursus verò, tam improbus vel tam stupidus si fuisset, facere aliter non poterat, quin aliquo vel in vita & conuersatione peccato, vel in doctrina manifesto errore, nonnullum indicium improbitatis aut stultitiæ suæ aliquando daret. Ostendit enim impietas atque insipientia sese; neque latere penitus diu potest. At nemo fuit vnquam, etiam ex inuidiosissimis & ad omnem cauillandi occasionem intentissimis hostibus, qui aliquod illius aut dictum aut factum posset probabiliter ^a arguere de vilo peccato vel errore: tamen si ^b multi falsi testes ad eam rem diligentissimè quæsi fuerint. Neque ambitione igitur improbus, neque verò insipiens homo fuit. Quod si talis non fuit: non falsò igitur contendit se Dei Filium naturalem esse veramque doctrinam diuinitus tradere.

CÆTERVM, quomodo (inquit præclarè Diuus Augustinus) *confidimus, ex diuinis literis accepisse nos Christum manifestum, si non inde accepimus & Ecclesiam manifestam?* Atqui Sectarij ex diuinis literis nondum didicerunt, Ecclesiam Christi manifestam, omniumq; oculis perpetuò expositam esse (vt infra suo loco videbimus.) Non igitur (auctore Diuo Augustino) considerare possunt, ex diuinis se literis didicisse Christum manifestum. Quod si hac fiducia freti esse nequeunt: certè non re, sed nomine tenus Christiani sunt.

XVIII. Et hætenus quidem eiusmodi argumēta pro aucto-

nauet. tractatur in stimulo diuini amo. p. 1. cap. 6.

^a Ioan. 8.

^b Matth. 26.

Accommodatio huius argumēti contra Sectarios.

Diuus Aug. epist. 48. ad Vincentium Rogatianum. Parte VI. circa 6. Eccl. proprietatem.

Ab ipsa dispositione animi eorum, qui ve-

rè fideles sunt,
argumentum.
XVIII.

auctoritate Christianæ doctrinæ fecimus, quæ per se ipsa satis esse prudentibus debeant, ut animum inducant vel le credere. Illud autem nescio an sit argumentum iis omnibus maius, quod qui verè Christiani sunt, ita se animo diuinitus affectos esse, quod ad fidem attinet, sentiunt, ut præcipuè quidem propter nullum argumentum quod vel hæctenus fecimus, vel ratione similiter excogitari possit, sed propter aliud nescio quid, quod alio quodam modo, & longè fortiùs quàm vlla argumenta, animis nostris persuadet (est autè id reuera diuinum ipsum testimonium) ad firmiter credendum moueri se intelligant. Hanc experientiam diuini testimonij & sensum, licet per se quidem non satis sit euidentis; tamen quoniam ab iis, qui credunt, propemodum clarè percipitur, & ab aliis etiam (iudicio quodam & significatione) in credentibus ipsis animaduerti potest: dico pro multis argumentis esse debere, ad fidem vel constantissimè retinendam, vel etiam de nouo suscipiendam. Etenim quod minimè vanus hic sensus sit, sed diuinus & solidus, & ex natura ortus supernaturalis fidei, quæ mentem ipsa per se in diuina reuelatione faciat ita firmiter acquiescere: fructus optimæ atque sanctissimæ vitæ ostendit eorum, qui ad normam Christianæ fidei actiones suas studiosè instituunt. Accedit eodem, quod etsi quandoque contingat, ut Angelus Satane in Angelum lucis sese transfiguret, hoc est, ut ij qui errant, lucem nihilominus veritatis sibi percipere videantur aliqua ex parte similem (nam proorsus similiter eos atque fideles affici non mihi persuadeo) ei quam persentiunt qui vera credunt: tamen non est vlllo modo diuinæ prouidentia consentaneum, ut tot Christi fideles, ac tales, & tam ordinariè, in orbe toto sic illudantur.

Qvo

Quo ipso argumento & Lutherus ipse aliquando, quasi clarissima voce, à conscientia propria in viam reuocabatur, monebaturq; verissimè (si voluisset audire) quantoperè à recto itinere veræ, Christianæq; doctrinæ declinare inciperet. Quoties (inquit ipse Lutherus) mihi palpitauit tremulum cor, & reprehendens obiecit fortissimum illud argumentum? Tu solus sapi? tot ne errant vniuersi? Tanta secula ignorauerunt? Quid si tu erres & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter? Infelicissimum verò te mortalium omnium, Luthere, quòd non tunc audieris, quid Dominus, secundum magnam misericordiam suam (cùm nondum esses cõsumptus) in te loqueretur. Quid enim ad fortissimum illud argumentum (vt ipse appellas) quo & sanctissimi olim Ecclesiæ Patres ad sese & alios confirmandos (vt infra videbimus) vti solebant, respondere poteras? Tandem, inquit, confirmauit me verbis suis Christus, vt iam non tremat nec palpitet, sed insultet cor meum his Papistis argumentis. Atqui ab Angelo potius Satanae in ista tua obstinatione, Luthere, obfirmatum fuisse te, illud ipsum fortissimum argumentum, à tanta aliorum auctoritate & fama Catholici nominis (vt Augustinus inquit) admodum celeberrima, certissimè concludebat. Sed scriptum est: *Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Ad eos verò omnes, qui Lutheri, aliorumque Sectariorum fraudibus irretiti tenentur, clamat adhuc Dominus, & vel hoc ipso horribili exemplo obstinationis Lutheri monet, vt ^a *magnum ipsi* (sicut in simili causa Diuus Cyrillus ait) *profectum faciant à peccatis aliorum,* ^b *querantq;*, vt Augustinus grauissimè inquit, *Christianam religionem in Ecclesia Catholica communionem, quæ Catholica*

H tholica.

Huius argumenti accommodatio contra Sectarios.
 In præfat. libri de abroganda Missa priuata ad Fratres Augustiniani ordinis, in Cœnobio VVittenbergenfi.
Quomodo repugnauerit Lutherus stimulis conscientie.

Parte VI. cùm ostendemus non Ecclesiã Romanã, sed Sectarios defecisse à doctrina Apostolica.

Prouerb. 18.

^a Lib. 4. in Ioan. cap. 13.

^b Lib. de vera relig. cap. 7.

tholica est, & Catholica nominatur, non solum à suis, verum etiam ab omnibus inimicis.

Postremum argumentum ab his omnibus; quæ habentur proposita sunt deductum.

XIX. Concludam ad extremum hunc locum, si de ratione vna breuissimè dixerò, quæ iure etiam optimo ad consolationem vsurpari ac repeti memoria potest. Vt maximè enim argumenta singula, quæ fecimus, tantam vim non haberent, vt vnumquodque per se mouere debeat (quanquam nullum est omnino quod non sit maximum) certè in omnibus simul ingensest pondus: si non vt constet euidenter Christianam doctrinam esse veram; certè vt euidenter intelligamus, eam quamuis per se non sit euidens, esse tamen fide & assensione prudentum dignissimam: quod si ne hoc quidem, certè vt error atque ignorantia, si quæ in assentiendo Christianæ doctrinæ esset (est autem in ea re potius summa verissimaque sapientia) omni culpa & reprehensione vacaret. Quid enim vnquam de rebus non euidentibus sine culpa creditum est, si credere quæ Christiana doctrina tot tantisque argumentis confirmata docet, culpa non vacat? Aut quomodo in extremo illo iudicio Deus propter studium, professionemque Christianæ religionis condemnare nos poterit, quam tot modis vel ipse probauit, vel certè probari sic permisit, vt nisi planè desipimus, nulla religio alia, ac multò minùs contemptus omnis religionis vel gratus Deo ipsi, vel rectæ rationi conueniens esse videri nobis possit? Nunquam igitur laudari satis illa cuiusdam oratio ad Deum poterit: Domine, si decepti sumus, tu nos decepisti. Quæ mihi vox & verissima, & consolationis plenissima, & profus cuiusmodi videtur quam omnibus portis inferorum in negotio fidei confidentissimè opponere possimus. Neque enim
video,

video, vt assentiamur Christiana doctrina, quid vehementius mouere nos possit, quam quod intelligimus, vt explicatum est, eam aut omnino esse veram, aut sine culpa prorsus veram à nobis iudicari.

HAC VERÒ consolatione, cum (vt argumentis etiam ipsis, hactenus pro Christiana doctrina factis) destituantur omnes Sectarij; nihil eis, dum ad regiam viam Ecclesiae Catholicae non redeunt, nisi vt planè desperent, superesse video.

Quae cum ita sint, apparet eos, qui Christianam doctrinam complectuntur, nequaquam indoctas² fabulas sequi, sed testimoniis eiusmodi niti, quae verè sunt, vt Psalmista loquitur, *credibilia nimis*. Deinde intelligitur, quaecunque aliam religionem à Christiana differentem, indignam esse prorsus cui adhibeant fidem prudentes. Iisdem enim argumentis vtrunque conuincitur: videlicet & nostram fidem credi prudenter, & quae cum ea pugnant, prudenter credi non posse. Primum, quoniam id ipsum inter caetera docet nostra fides, quae in vniuersum, vt probatum est, vera docet. Tum etiam, quoniam vt repugnantes doctrinae prudenter credantur, fieri per se quidem non potest: id est, si vtriusque partis argumenta satis cognita sint, & inter se bene conferantur. Quod ob eam rem ita dico; quoniam propter ignorantiam fieri ex accidenti potest, vt quis, antequam rationes & argumenta nostrae fidei percipiat, haud imprudenter assentiat doctrinae pugnantem cum iis fidei nostrae articulis, qui sunt supra captum naturalis rationis. Itaque hoc euincunt euidenter argumenta nostrae fidei, qui argumenta haec percipiat, hunc neque posse prudenter credere quod pugnet cum nostra fide, & prudentissimè futurum si complectatur illam, quoniam omnino nulla

H 2 reli-

Conclusio in
Sectarios.

2. Petri 2.

Psal. 92.

Quamlibet aliam religionem à disciplina Christiana differentem esse incredibilem.

*Præceptū cre-
dēdū quare in-
stitutū sit.*

religio est, aut fuit vnquam ita probata sicut est nostra. Ex qua re etiam illud intelligi debet, iure hominibus impositum esse diuinitus præceptum credendi; siquidem prudenter, ob argumenta iam explicata, possunt hoc facere, quamuis fidei doctrina non sit ipsa euidens. Quod erat igitur nobis primo loco argumentis docendum, id satis, vt arbitror, ostensum est: nempe necesse omnino ad salutem esse firma fide credere doctrinam à Christo traditam esse veram. Quoniam id ipsum hæc doctrina tradit, quam probauimus esse in vniuersum fide dignam & veram. Quod ipsum tamen, vt in initio etiam monui, potius propter diuina testimonia & reuelationem quæ latet, quàm propter vlla argumenta, persuasum habemus. Sed argumenta efficiunt tamen, vt animum inducamus propter diuinam reuelationem atq; testimonium, velle, adiuuante Deo, credere: vt in initio declaratum à nobis est. Deinceps in confirmatione earum assertionum, quæ sequuntur, auctoritate, quoque Christianæ doctrinæ, atq; ad eò Scripturæ sanctæ, quam argumentis hæctenus asseruimus, ad probandum vti licebit.





ANALYSIS

FIDEI CATHO-

LICAE, &c.

PARS SECVNDA.

NON SATIS AD SALVTEM EST CREDERE IN

genere uniuersam doctrinam Christianam esse veram, nec etiam omnino sufficit aliqua doctrina precipua capita in specie tenere, sed simul quoque necesse est, nihil falsè determinatè quod in aliqua fidei questione cum vera sententia doctrinae Christianae pugnet, pertinaciter credere.

SVnt, vt intelligo, non pauci, qui posteaquam Sectariorum fraude ab Ecclesia Catholica abducti, nullo se firmo fundamento ad veritatem in tanta doctrinarum varietate cognoscendam niti posse, nisi ad Ecclesiam redeant, animaduertunt: perniciosissima opinione conscientias exulceratis mederi, & desperationi, à qua non longè absunt, obsistere student. Sibi enim persuadent, modò aliquis Deum & Christum & precipua fidei capita fateatur, nihil interesse praeterea quid credat, aut quorum disciplinam sequatur, vt adipiscatur salutem. Aduersus quem errorem, assertio iam

H 3

posita

Non posse hominem secun-

*dum quamli-
ber fidem sal-
uari.*

PROBATIO I.

^a Philip. 3.

^b Eph. 4.

Hebr. 11.

posita confirmanda est, vt ordinem etiam, quem initio nobis proposuimus, persequamur.

AC primū quidem demonstrari hæc assertio potest hoc modo. Si de aliquibus omnino fidei capitibus cōtra sententiam veram aliorū Christianorum, quod velis credas; non vna & eadem fides erit apud te, quæ est apud verè Christianos omnes, sed alia diuersa: non enim *id ipsum* quod alij sapias, nec *in eadem permanebis regula*, sicut ad vnitatem fidei requirit^a Apostolus. Si autem non vna & eadem fides est apud te, quæ sit etiam apud verè Christianos omnes; non habebis fidem Christianam; hæc enim vbiq̄ue est^b vna, sicut *unum Baptisma*. Si autem fidem Christianam non habebis; Deo gratus esse non poteris. *Sine fide enim* (vtique Christiana) inquit Apostolus, *impossibile est placere Deo*. Quod si Deo gratus non eris; certè nec poteris saluus esse. Igitur, vt hoc vltimum ex primo concludamus, si quod velis credas, nequaquam poteris consequi salutem. Hoc certè probationis filum omni ex parte ferreum est, neque potest dirumpi vllō modo.

PROBATIO
II.

^a Matth. 28.

^b Mar. 16.

^c Matth. 7.

^d Rom. 16.

DEINDE, Nemo hæreticus, nemo Sectarius, nemo infidelis, nemo incredulus, nemo falsus propheta, aut magister mendax, aut lupo rapax, docēs peruersa, &c. nisi ante mortem resipuerit, salutem consequi poterit. Hoc enim manifestè Scriptura declarat, cum vniuersè de iis omnibus absq; vlla vel personarum vel erroris (qui quidem cum doctrina fidei pugnet) exceptione hunc in modum pronunciat: ^a *Docete omnes gentes. Qui non^b crediderit (non dicit, hoc aut illud, sed absolutè, Qui non crediderit) condemnabitur.* ^c *Attendite à falsis Prophetis, qui sunt lupi rapaces, &c.* ^d *Obseruetis eos, qui dissensiones, præter doctrinam quam vos accepistis faciunt, & declinate ab illis. Huiusmodi enim*

enim Christo Domino nostro non seruiunt.] ^e Doctrinis variis ^e Hebr. 13.
 & peregrinis nolite abduci.] ^f Hæreticum hominem post unam ^f Titum. 3.
 aut alteram admonitionem deuota, quoniam est proprio iudicio
 condemnatus. Si quis uobis euangelizauerit, ^g præter id quod ac- ^g Galat. 1.
 cepistis, anathema sit.] Si quis uenit ad uos & ^h hanc doctrinam ^h 2. Ioan. v. 10.
 non affert, nolite recipere, nec aue ei dixeritis.] Manifesta sunt
 opera carnis fornicatio, inuidia, dissensiones, ⁱ secta, &c. Qui ta- ⁱ Galat. 5.
 lia agunt, regnum Dei non possidebunt.] Erunt in uobis magi-
 stri mendaces qui introducent sectas ^k perditionis, superindu- ^k 2. Petri. 2.
 centes sibi celerem perditionem.] Nunc ne sim sententiis si-
 milibus recensendis prolixior, ita rationem concludo:
 Omnis qui obstinatè & contumaciter contra veram fi-
 dei sententiam arbitrato suo aliquid omnino credit, est
 hæreticus, infidelis, incredulus, sectarius; atque etiam, si
 alios quidem doceat, falsus propheta, magister mendax,
 lupus rapax, &c. Igitur cum nemo qui est talis salutem
 consequi possit, ut probatum est; nemo quoque poterit
 consequi salutem, qui pro libito contra sententiam fidei
 aliquid obstinatè & contumaciter credat.

SED & contra eos etiam, qui arbitrarentur unum-
 quemque non prorsus Atheum (sive is Christi doctri-
 nam recipiat sive non recipiat) secundum sectam uiuen-
 do suam, modò nihil contra conscientiam admitteret,
 saluari posse: licet nobis etiam, absque testimonio Scri-
 pturæ, huiusmodi sanè firma rectæ rationis argumen-
 tatione uti. Si qui libet secundum sectam suam salutem cõ-
 sequi potest, causa necessariò erit, quia vel omnes omni-
 no sectæ, quæ possint esse, placent atque probantur per se
 ipsæ Deo: vel quia omnes qui sectis addicti sint, excusari
 per inuincibilem ignorantiam poterunt: vel certè quia
 ipsa opinio, quantumcunque vincibilis, omnes excusabit
 qui secundum conscientiam suam, id est, congruenter
 cum

PROBATIO
 III.

*Non posse unum-
 quemque, secundum
 quamlibet
 sectam saluari
 ratione quoque
 euidenti de-
 monstratur.*

cum eo quod ipsi putant, uiuant, & sentiant. Sed neque omnes sectæ per se placent Deo: neque omnes qui sectis addicti sint, excusari per inuincibilem ignorantiam poterunt: ac multò etiam minus opinio qualiscunque, si sit vincibilis, excusabit. Igitur non omnes secundum quamlibet sectam salutem consequi poterunt.

*Non posse oēs
sectas placere
Deo.*

Iam confirmo singula. Ac primùm, non omnes certè sectas per se ipsas probari Deo, planissimum est. Nam cum plerasque opiniones differentium sectarum, atque adeò etiam nata ex opinionibus actionum studia, oporteat inter se pugnare: fieri nequit, ut quælibet sectæ per se sint diuinæ voluntati consentaneæ. Inde enim (quod est per absurdum) sequeretur, eundem ipsum Deum auersari quod approbat, & id vetare, quod sibi tamen placet. Etenim ex omnibus contrariis ac repugnantibus actionibus necesse est quasdam esse, cum recta ratione cõgruentes, ac proinde probari, vel etiam imperari à Deo: eas autem quæ ex contrario his repugnant, necesse est item esse hoc ipso à recta ratione auersas, ideoque peccata, Deo inuisa, ab eoq; prohibita. Ita si opiniones omnes & actiones quarumlibet sectarum Diuinæ voluntati consentaneæ sunt: cum quædam ex illis, ut ostensum est, Deo sint exosæ & ab eo prohibite: consequetur, ut dicebamus, aliquid auersari Deum, quod ipse tamen approbet, & id ipsum vetare, quod sibi tamen placet. Accedit quod si proprius etiam disciplinas inspicimus earum sectarum quarum notitiam tenemus, ut Gentilium, Iudæorum, Turcarum, hæreticorum; in singulis prauos errores, atq; adeò actionum instituta peruersissima facilè animaduertimus, quæ esse quidem media salutis consequendæ, ipsi grata Deo, neque cogitari sine summo scelere, neque dici sine atroci blasphemia potest.

Iam

Iam verò quòd per inuincibilem ignorantiam aliqui quandoque excusentur, fieri quidem potest: vt autem ita excusentur omnes, non est vllò modo probabile. Quis enim credat, omnino nullos esse ex omnibus Sectariis, qui & idoneo iudicio præditi sint, & opportunitatem aliquando habeant, ad cognoscendum veritatem? Quod si multis (vt sanè fit) facultas hæc suppetit: multi profectò possunt vera scientia comparanda vincere ignorantia errorem. Quare non omnes Sectarij ignorantia inuincibili excusabuntur.

Per ignorantiam inuincibilem non posse Sectarios omnes excusari.

Multò etiam minus ipsa opinio falsa excusabit (nam hoc erat in partitione nostra postremum) si voluntaria sit, hoc est, si in ea peruicaciter persistas, cum veritatem cognoscere bene possis. Inest enim vel maximè in ipsis etiam prauis opinionibus, cum alioquì deponi possunt, turpitudine: à qua proinde non magis honestari opus aliquod improbum potest, quàm illustrari (v. g.) obscurus locus à tenebris. Itaque & hæresis, cum error ipse sit peruersa de rebus diuinis opinionis, peccatum est maximum: nec ipsis etiam prædicis Philosophis, qui modo rationem sequerentur, ignotum fuit, summam esse impietatem in falsis atque improbabilibus sententiis de Deo. Denique nullum omnino esset peccatum in falsi cultus superstitione, si opinio ipsa falsa per se, tum etiam cum deponi potest, à peccato excusaret. Quis enim in eo genere delinquit, qui non falsò arbitretur obsequium se præstare Deo? Ergo falsa opinio, cum est quidem voluntaria & vincibilis, non modò nō omnes Sectarios, sed ne vllum quidem à peccato excusare ipsa potest. Quod quidem non modò ratio recta, vt ostensum est, docet, sed etiam ^a Scriptura diuina confirmat multis in locis.

Vincibilis ignorantia quare neminem Sectarium excuset.

Ubiunque significatur esse aliqua peccata ex ignorantia, vt Psal. 18. Ioan. 16. v. 2. & 1. ad Cor. 2. &c.

I Huc

*Confirmatur
adhuc magis il-
la eadem pro-
batio.*

*Etiā si Secta-
rij omnes per
ignorantia ex-
cusarentur: ta-
men non pos-
sent illi omnes
saluari.*

Huc accedit, quod si maximè vel inuincibilis igno-
rantia, vel opinio qualiscunque eos omnes (quod fieri
non potest) à peccato excusaret, qui sectis quibuscunque
dediti sunt: tamen inde non statim consequitur, ut quis-
que possit secundum sectam quamlibet adipisci salutem.
Namque ut salutem consequaris, satis tibi non est, ut à
peccato in prauis alioquin actionibus excuseris: sed præ-
terea etiam necesse est, ut aliquibus mediis consequen-
dæ salutis, per se rectis, & diuina prouidentia ad eam rem
institutis, utare. Cuiusmodi sunt, fides, pœnitentia, &c.
Ut enim Deus ipse hominibus præstituit finem vltimum,
id est, summam beatitudinem: sic etiam ad ipsum perti-
nuit media etiam aliqua & bona & necessaria constitue-
re ad perueniendum in eum finem. Quod si terminum
tantum & non etiam viam hominibus ostendisset, non
illius esset prouidentia perfecta. Non est autem conse-
quens, si per ignorantiam aut opinionem in prauis actio-
nibus à peccato excusaris, ut etiam utaris eiusmodi me-
diis, quæ per se sunt bona & necessaria ad salutem. Quo-
niam igitur (ut demonstratum est) neque omnes sectæ
per se placent Deo: neque omnes Sectarij per ignorantiam
inuincibilem aut opinionem excusabuntur; nec, si
maximè excusarentur, ideò futurum esset, ut omnes ad-
hiberent media per se necessaria ad salutem: perspicuum
est, eos desipere, qui in vniuersum omnibus, secundum
quamlibet sectæ disciplinam, salutem pollicentur.

PROBATIO
III. ab au-
ctorit. Patrū.

*In tractatu de
fide, Rufino
interprete, nõ
lõgè ab initio.*

LONGE verò secus sanctissimi & eruditissimi Patres ar-
bitrati sunt, qui vel si minimum aliquid cõtra fidem
credatur, eo ipso fidem atque salutem amitti constanter
tradiderunt. Ita enim scriptum reliquit B. Gregorius Na-
zianzenus: Nihil, inquit, periculosius his hæreticis esse
potest, qui cum integrè per omnia decurrant, vno tamen
verbo,

verbo, tanquam veneni gutta, veram illam ac simplicem fidem Dominicam, & exinde Apostolicæ traditionis, inficiunt.] Ac D. Hieronymus, ubi de Origenis erroribus agit, disertis verbis affirmat, *propter unum etiam verbum aut duo, que contraria essent fidei, multas hæreses eiectas esse ab Ecclesia.*] Hinc quoque D. Basilius apud Theodoretum: *Qui sunt, inquit, in sacris literis educati, ne unã quidem syllabam diuinorum dogmatum prodi sinunt, sed proistiis defensione, si opus sit, nullum non mortis genus libenter amplectuntur.*] Atque idem etiam D. Augustinus hæreticum hominem & ab Ecclesia alienum ita describit: *Qui in Ecclesia, inquit, Christi, morbidum aliquid prauumq; sapiunt (non dicit, qui de omnibus doctrinæ partibus prauè sentiunt; sed: Qui morbidum ALIQUID, si correpti ut sanum rectumq; sapiant resistunt contumaciter hæretici fiunt, & foras exeuntes habentur in inimicis.*] Et præclarè hoc idem ante Augustinum ita confirmauit Diuus Cyprianus: *Neque enim, inquit, Dominus noster Iesus Christus, cum in Euangelio suo testaretur, Aduersarios suos esse eos, qui secum non essent, aliquam speciem hæreseos designauit; sed omnes omnino hæreticos, qui secum non essent, & secum non colligentes gregem suum spargerent, Aduersarios suos esse ostendit, dicens: Qui non est mecum, aduersum me est. & qui mecum non colligit, spargit. Item Beatus Ioannes Apostolus, nec ipse ullam hæresim aut schisma discreuit, sed uniuersos qui de Ecclesia exissent Antichristos appellauit, dicens: Audistis, quia Antichristus venit, nunc autem Antichristi multi facti sunt. Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Vnde apparet, Aduersarios Domini Antichristos omnes esse, quos constat, à caritate atque ab unitate Ecclesiæ Catholicæ recessisse.] Nec quidquam potest ad hanc rem illa D. Athanasij sententiã proferri clarius: *Quicumque vult, inquit, saluus esse, ante omnia**

Lib. 3. Apolog. aduers. Ruffin. non multò post med.

Apud Theodoret. lib. 4. bist. Ecclesiast. cap. 17.

Lib. 18. de ciuit. Dei, ca. 51.

Cyprian. lib. 1. epist. 6. ad Magnum.

Luc. 11.

1. Ioan. 2.

In Symb.



opus est, ut teneat fidem Catholicam, quam nisi quisque INTEGRAM inuiolatamq; seruauerit, absque dubio in æternum peribit.] Sic ille in fidei symbolo, quod apud Aduersarios etiam obtinuit auctoritatem. Quod enim ibidem Athanasius subiungit: *Fides autem Catholica hæc est, &c.* nō significat, illos dūtaxat articulos, quos de mysterio sanctissimæ Trinitatis atque incarnationis commemorat, continere in vniuersum ipsam fidem integram: sed eos certè vel maximè etiam ad fidem integram pertinere: id quod ibi Diuus Athanasius ex instituto agebat. Itaque si quis negaret (v.g.) Baptismum esse Sacramentum, vel aliam eiusmodi sententiam fidei sine controuersia certam, neque tamen ab Athanasio propositam in eo symbolo; in æternum profectò, ex mente quoque sententiaque Athanasij, esset periturus, eò quòd fidem integram non seruaret.

Hebr. 11.

Quæ cum ita sint, non est profectò cur sine illa fide vnde quaque incorrupta atque integra, quam Apostolus sperandarum substantiam rerum (hoc est, quasi basim atque fundamentum spei vitæ æternæ) esse, verissimè definiuit, salutem sibi quisquam apud Sectarios pollicatur. Neque enim aliquis vllam excusationem perfidiæ suæ ob difficultatem inueniendæ sincerissimæ veritatis prætereundæ poterit, cum facile alioqui sit (inquit præclare Diuus Irenæus) *veritatem ab Ecclesia sumere, nempe inquam, tanquam in depositorium diues, plenissimè Apostoli contulerunt omnia quacumque sunt veritatis, ut omnis, QUI CUMQUE VELIT, summat ex ea potum vitæ. Hæc est enim* (inquit) *vitæ introitus, omnes autem reliqui, fures sunt & latrones: propter quod oportet deuitare quidem illos. Quæ autem sunt Ecclesiæ, cum magna diligentia diligere, ab eaq; accipere veritatis traditionem.* Ac sanè mihi Diuus Augustinus non modò Honoratum

Lib. 3. cap. 4.

Lib. de utilit.
cred. cap. 8.

noratum Manichæum (cui ille scribebat) sed etiã unumquemq; eorum, qui in indaganda nunc veritate extra Ecclesiam Catholicam inani labore se defatigant, saluberrimis illis verbis adhortari videtur: *Si iam, inquit, satis tibi iactatus videris, finemq; huiusmodi laboribus vis imponere, sequere viam CATHOLICÆ disciplina, quæ ab ipso Christo per Apostolos ad nos usq; manavit, & ab hinc ad posteros manatura est.* Sed quemadmodum sola Ecclesia Catholica Romana, legitima sit Christi Ecclesia, in qua veritas incorrupta doctrinæ, iuxta istorum sanctissimorũ Patrum, vel potius ipsius Christi præceptum, quærenda sit, suo loco postea demonstrabitur. Nunc ad ea, quæ sunt nobis deinceps proposita, progrediendum est. Parte YL



ANALYSIS

FIDEI CATHOLICÆ, &c.

PARTIS TERTIÆ

DUBITANDVM NON EST, QVIN ALIQUA EXISTET auctoritas ad iudicandum de fidei controuersis omnibus, infallibilis, per quam in omni determinata questione cognoscere fideles omnes commodè possint, quæ sit Christi verissima sententia & doctrina.

HAE C etiam assertio præcipue propter rem ipsam, & vt ex ordine proposito in veritate indaganda progrediamur, breuiter admodum confirmari debet. Et quidẽ putare quis posset, de hac assertione, sic generatim posita, nullam nobiscum vllis Sectariis esse controuersiam: Sed cum ab omnibus, qui volunt haberi Christiani, constitutum sit (& certè verbis nemo id apertè negat) esse aliquam auctoritatem, à qua possimus in omni quæstione discere Christi sententiam; illud tantummodò, de quo in sequentibus agemus, controuerti; cuiusmodi omnino & qualis sit hæc auctoritas. Cæterum talem hanc auctoritatem esse contendunt Sectarij, vt nullam re vera (quemadmodum infra videbimus) eiusmodi asserat, quæ ad omnes omnino fidei quæstiones satis fidelibus esse possit. Itaque vt id firmemus, quod non tam illi verbis fatentur quàm re ipsa negant; & quia per se quoque id proderit ad confirmandum animos; non alienum ab instituto erit monstrare hîc breuiter earum rationum capita, quæ cum primis docent, eiusmodi auctoritatem aliquam, ad omnes fidei quæstiones sufficientem, esse oportere: maximè cum ex iisdem ipsis rationibus firma deinde argumenta ducturi simus ad demonstrandum præterea contra Sectarios, quæ etiam & qualis eiusmodi auctoritas esse debeat.

PROBATIO I.

E Rgo prima eius rei ratio hunc in modum à diuina providentia ducitur; Nisi talis aliqua exstaret auctoritas, magistra doctrinæ fidei, non satis esset à Deo prospectum hominibus de necessariis rebus ad salutem æternam comparandam. At satis in eo genere illis prospectum est. Exstat igitur talis aliqua auctoritas. Et quidem quod satis
superq;

superq; Deus hominum saluti prouideat; vsque adeo Scriptura sacra euidenter tradit, vt ab ea etiam erga homines prouidentia, quasi cognomen quoddam Deum accepisse significet. Nam ideo vocatur *Deus saluos facienti*; quia quæ præsidia ad salutem necessaria sunt, affatim suppeditat hominibus. Quod autem minimè satis prospectum hominibus esset nisi exstaret aliqua certa auctoritas magistra fidei, inde patet, quod Scriptura diuina multis in locis docet, ^a rectâ ex omni parte fidem de diuinis rebus ad salutem nobis necessariam esse. Hanc autem fidem *animalis homo per se non percipit*, id est, nequit rationis humanæ viribus assequi ipse per se, sed eam necesse est, discat. ^b *Stultitia enim est illi doctrina fidei, & non potest intelligere*. Quod si discere quæ sunt fidei oportet, alicundè discere profectò oportet. Quare aliquam exstare auctoritatem magistræ doctrinæ fidei, quæ de rebus in eo genere dubiis omnibus, docere verum possit, necesse est.

Itaque præclarè ob hanc rationem D. Augustinus: *Si Dei, inquit, prouidentia non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagandum. Sin autē præsidet* (quod pulchrè Augustinus ibi ostendit) *non est, inquit, desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam esse, qua velut gradu certo nitentes, attollamur in Deum.*] Id confirmat etiam verissima illa sententia, quam ibi paulò antè posuerat Augustinus. *Sola est, inquit, auctoritas quæ commouere possit stultos* (hoc est, adhuc ipsius rei ignaros) *vt ad sapientiam festinent.* Quod Augustini dictum, si in vlllo genere locum habet, maximè certè in fidei religionisq; negotio, in quo vel ipsa mundi ^b *sapientia stultitia est*, si auctoritate neglecta inuestigare ratione velit diuina mysteria.

Psalm. 67.

Ex diuina prouidentia consequitur aliquam exstare debere sufficientē fidei regulam pro omnibus controuersis.

^a Vide locos citatos parte præced. probat. 2.
^b 1. Cor. 2.

Lib. de utilitate cred. cap. 16.

1. Cor. 3.

SECYN-

PROBATIO
II.*Cur humana
ratio tam faci-
le aberret à ve-
ra doctrina fi-
dei.*

I. COR. II.

PROBATIO
III.*Ad Hebr. II.
d Rom. IO.*PROBATIO
III.*Veram fidem
cum obedientia
quadam debe-
re coniunctam
esse.*

SECUNDO. Mens nostra non modò natura sua imbecilla est, & omnino impar viribus, vt ipsa per se necessariam doctrinam fidei peruestigare possit; sed in ea ipsa doctrina, tum etiam cum reuelata nobis diuinitus est, quàm facillimè hallucinatur, & aberrat. Cuius rei partim causà est exiguitas nostri luminis, partim maiestas doctrinæ fidei, nempe quam, eo quòd supra naturam est, nunquam satis ratione ac mente complecti possumus. Quæ ratio est, quam ob rem in ipsa etiã Ecclesia, vbi lu- cet splendidissimè fides, necesse tamen sit, oriri quãdoq; hæreses, vt & Apostolus dixit, & plus satis experiëntia docet. Id cum ita sit, auctoritatem aliquam exstare oportuit, cuius magisterio singuli, nisi velint esse nimium cæci, in vera doctrina retineri aut ad eam reuocari possint.

TERTIO. Hæc est fidei ratio, vt ^c *argumentum sit verum non apparentium*; id est, cognitio non euidens, sed quæ nitatur testimonio & pariat ex ^d auditu. Quæ autẽ res obscurè isto modo sciuntur, eas necesse est, alicuius auctoritatis indicio atque asseueratione discere. Quia igitur cuncti fideles possunt atque debent in omni quæstione fidei falsum repudiare, & quod verum est, Christi quæ doctrinæ consentaneum credere: consequitur, aliquam auctoritatem exstare, per quam fideles vniuersi in quacunq; controuersia fidei possint ita doceri, vt falsum respuant, verum amplectantur.

QUARTO. Cognitio quæ cum obedientia quadã mētis in assentiendo coniuncta est, aliqua nititur auctoritate magistra, cui sit in hoc genere obediendum. Talis autem est omnis cognitio fidei. Exstat igitur aliqua talis auctoritas, quæ fidei veritatem in omni quæstione doceat. Maior probatione nulla indiget. Minor occurrit passim

passim in Scriptura Apostoli. Nam non alia causa est, quam ob rem ipsa etiam fides obedientia quaedam nominari soleat; contra verò hæresis aut obstinatio aduersus fidem, inobedientia; nisi quia necesse est in credendo obedire. ^c *Gratias autem Deo, inquit Apostolus, quod fuissetis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinae in qua traditi estis.] Sed non omnes, inquit alibi, obediunt* ^e *Euangelio, id est, non omnes credunt. Ideo enim subiungit: ^g *Isaias enim dicit; Domine, Quis credidit auditui nostro?]* Idem rursus: *Quis, inquit, vos fascinavit non* ^h *obedire veritati?]* Atque etiam de hæreticis commonefaciens Titum, ob eam rem affirmat, *Episcopum amplecti oportere sermonem fidelem: quoniam sunt, inquit, multi* ⁱ *inobediētes, vaniloqui & seductores, &c.]* Hæ sententiæ & aliæ, quæ sunt similes, perspicuè indicant, aliquam eiusmodi auctoritatem esse, cui velut magistræ in omnibus fidei quæstionibus oporteat in assentiendo obedire; vti dictum est.*

QUINTÒ. Nulla potest oriri de aliqua fidei quæstione hæresis, quæ non possit ac debeat in Ecclesia damnari & reici, dicto anathemate eius auctoribus. Absolutè enim pronunciat Apostolus: *Si quis vobis euangelizauerit (quidquid illud sit) præter id quod accepistis, anathema sit.]* At hoc minimè fieri posset, nisi auctoritas exstaret aliqua, quæ in omni quæstione de rebus fidei excitata certò doceret, quid rectæ fidei consentaneum sit, & quid eidem repugnans. Sed nihil necesse est amplius dilatare hoc loco probationem, quare ad alia progrediamur.



K ANALY

^e Roman. 6.

^f Roman. 10.

^g Isai. 53.

^h Galat. 3. vide etiam cap. 5.

ⁱ Ad Tit. 1. vide etiam ad Rom. 1. 15. & 16. & 2. ad Cor. 9. & 10. & ad Philip. 2. & 2. ad Thessal. 2.

PROBATIO V.

Ad Galat. 2.



ANALYSIS

FIDEI CATHO-

L I C A E, &c.

P A R S Q U A R T A.

AUCTORITAS ILLA,
QVÆ EXSTAT AD IVDI-

candum de fidei controuersis omnibus, infalli-
bilis, non est tantum diuina, neq, tantum humana, sed hu-
mana diuinitus inspirata.



Non esse purè humanam eam au-
toritatem, cuius magisterio in omni fidei
quæstione sententia Christi cognoscenda
sit, satis liquet ex demonstratione præce-
dentis assertionis. Nam planum fecimus,
humani vires ingenij esse minores, quàm vt quisquam
valeat per se doctrinam fidei sine errore percipere aliisq;
tradere. Quod verò neque purè diuina sit eiusmodi au-
toritas, id est, quod non absque alicuius humanæ aucto-
ritatis ministerio Deus ordinariè doceat per sese (vt non-
nulli Sectarij ex * Anabaptistarū factione somniauerūt)
facile quoq; probatur his argumentis.

PRIMÒ. Scriptura docet, fidem oportere primùm cõ-
cipi ex ^a auditu: Deinde fouendam atque conseruan-
dã eam esse ^b obedientia erga Præpositos, qui nos docuerunt
verbum

(* Præsertim
Schvveckfel-
diani & Müt-
zeriani.
Deũ non ipsum
per se solum
docere.
PROBATIO I.
^a Rom. 10.
^b Hebr. 13.

verbum Dei: petendam ex^c ore sacerdotis; discendam à Pa-
storibus & ^d Doctoribus, quos posuit in Ecclesia Deus, ut non
circumferamur omni vento doctrina, &c. His autem & aliis
externis adminiculis quid opus erat, si Deus per se ipse,
quæ sit in omni quæstione recta fides, docere voluisset?

^c Malach. 2.

^d Ephes. 4.

SECUNDÒ. Deus non eo modo docet nos ordinariè
veram fidem, quo modo de rebus fidei ordinariè no-
bis non loquitur. Etenim docet utiq; loquendo. At no-
bis de doctrina fidei per se ipse ordinariè non loquitur,
sed per^e os Sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum eius; atq;
etiam per os Ecclesiæ, in quo^f posuit ipse & manere perpetuò
voluit suum verbum. Non igitur per sese ipse de eiusmodi
rebus ordinariè nos docet.

PROBATIO
II.

^e Luc. 11.

Hebr. 1.

^f Isai. 59. v. 21.

TERTIÒ. Si singulos ipse per se solus docet; quanam
obsecro ratione hoc facit? Docet ne illos, ita ut ne-
queant omnino ipsi falli dum putant se aliquid didicisse
ex Deo? An verò permittit eos in eiusmodi iudicio quã-
doq; decipi? Primum dici nullo modo potest. Nam ex-
tra controuersiam est, omnibus temporibus fuisse & iam
etiam esse permultos hæreticos, qui falsò sibi persua-
deant eam esse diuinam doctrinam, quæ pugnat cum sen-
tentia diuina. Quod si Deum illo altero modo doce-
re omnes dicas, scilicet ita, ut nihilominus quiuis deci-
pi possit existimando id se discere ex Deo, quod ipse fin-
git errore proprio: certè nõdum erit ea ratione satis ho-
minibus prouisum, ut veram in omnibus controuersis fi-
dem primùm dignoscere, deinde complecti ac retinere
possint. Quid enim procliuius, quàm in illo iudicio falli,
si in eo falli possumus? ^g Spiritus est Deus, ideoq; spiritua-
liter ac latenter ipse mentibus humanis loquitur (loqui-
tur eis autem, cum vult efficaciter, ut hoc aut illud in-
telligant ac sibi persuadeant) nec oculis euidenter cer-

PROBATIO
III.

*Deum non do-
cere per se fide-
les ratione,
quoz demon-
stratur.*

^g Ioan. 4.

h 2. Cor. 11.

nitur, vt faciliè animaduertere possis vtrū id audias, quod ille in te loquatur, an quod dicit tibi spiritus tuus, vel certè spiritus *Satanae*, qui se in^h *Angelum lucis per sepe transfiguratur*. Huc accedit, quod nihil interest, vtrum fidem dicas vnicuiq; ex proprio ingenio cognoscendam esse; vel ex magisterio solius Dei, qui tamen vtrum aliquid ipse doceat necne, vnusquisque ingenio proprio & fallibiliter diiudicare debeat. Nam ex ea parte singulis erit æquè facile in doctrina fidei errare, atque si fallibiliter ipsos, sine magisterio peculiari Dei, diiudicare oporteret doctrinā fidei. Quibus igitur rationibus constat, homines præter vim ingenij sui, aliqua auctoritate externa infallibili indigere, vt vera fide salutem consequi possint; iisdem efficitur, eam auctoritatem non esse solius Dei per se ita docentis, vt homines in doctrina diuina percipiēda (quem admodum sit) falli possint.

PROBATIO
IIII.

i Ezech. 13.

k Ibid. v. 7.

l Hierem. 23.

m Jerem. 14.

n Matth. 7.

QUARTO. Cū ab ipso Deo in Scriptura sacra ij reprehenduntur, qui de rebus diuinis ea & sentiunt, & docent, quæ ipsis propriè ac singulariter veniunt in mentem: nunquid aliquid ad excusationem eos iuuat, quod id faciant prætextu diuinæ doctrinæ, quam ipsi singulariter ac propriè diuinitus se accepisse iactent? Minimè verò. Hic enim ipse prætextus est, qui cum primis in Scriptura sacra redarguitur. Nam, *Va*, inquit, *Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum & nihil vident. Dicunt; Ait Dominus: cum ego non sim locutus.*] Et rursum: *Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis & decipiunt vos. Visionem cordis sui loquuntur; non de ore Domini.*] Et: *Falsò Propheta vaticinantur in nomine meo. Non loquutus sum ad eos. Visionem mendacem, & diuinationem fraudulentam, & seductionem cordis sui prophetant vobis.*] Item ipse magister noster Christus: *Attendite à falsis Prophetis.*] Et:

Et:

Et: ° *Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus* (id est, hæc est diuina Christi doctrina) *ecce illic, nolite credere.*] Iam verò cum duplex causa esse possit, cur tam seridè ac grauiter moneamur priuatos huiusmodi prætextus diuinæ doctrinæ fugere; vna, quia per se, quod ad rem ipsam attinet, sint falsi; altera, quòd priuati & singulares sint, eoquè ipso abhorreant à consilio Dei, qui ordinariè non priuatim singulos, sed per communem aliquam regulam oēs docere solet: profectò causa hæc posterior, est eius admonitionis ratio præcipua. Pauci enim admodum sunt, qui diiudicare de re ipsi possint, vtrum ea doctrina, quæ tanquam diuina proponitur, vera sit an falsa. Et tamen omnes communiter eiusmodi priuatos spiritus atque doctrinas iubentur auersari: quoniam nemo est, qui non facilè vel per se vel alieno auxilio discernere queat num dogma quod proponitur sit proprium ac singulare alicuius, an verò per communem aliquam auctoritatem & regulam in Ecclesia traditum.

Quod igitur ordinariè Deus per se solus ac priuatim vnumquemque non doceat, ex dictis satis perspicuum esse videtur. Itaque præclare D. Augustinus: *Veritas, inquit, tua Domine, nec mea est, nec illius, aut illius: sed omnium, quos ad eius communionem publicè vocas: terribiliter admonens nos, ut nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Nam quisquis id, quod tu faciendum omnibus proponis, sibi propriè vendicat, & suum esse vult quod omnium est, à communi propellitur ad sua: id est, à veritate ad mendacium.*] Sic Diuus Augustinus. Ac ob id etiam B. Irenæus iure in hæreticos est inuectus sui temporis, quod *singularitate dogmatum se ipsos prædicarent, ac veritatis deprauarent regulam.*] Tum illud à Tertuliano rectè hæreticis exprobratum est, *Idem, inquit, licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcio-*

Eadem assertio confirmatur auctoritat. Patr. Lib. 12. Confess. cap. 25.

Lib. 3. aduers. hæres. cap. 2.

Lib. de præscript. hæret.

p Ioan. 3.

q Matth. 4.

ni: de suo ingenio fidem innouare.] Et à veritate ipsa dictum est, diabolum etiam, cum mendacium loquitur, *p ex propriis loqui:* qui tamen diuinæ doctrinæ prætextu & ipse usus est: inquit, *scriptum est enim, &c.* Ergo qui de fidei rebus quocumque prætextu ex propriis sibi loquendum putant, ij ex patre sunt diabolo.

Quod si neque purè diuina, sine communi alio medio, est illa auctoritas infallibilis, quæ in omni quæstione nos doceat, vt ostendimus hætenus; neque etiam purè humana, vt præcedente capite probatum est; non est nobis opus alia propria probatione, vt quod in hoc loco agimus, persuadeamus; esse scilicet illam auctoritatem quasi ex vtraque compositam atq; mediam; nempe humanam diuinitus inspiratam. Bonus enim ac firmus est hic syllogismus. Oportet auctoritatem illam, in determinandis omnibus fidei quæstionibus infallibilem, aut purè diuinam, aut purè humanam, aut humanam diuinitus inspiratam esse. (Nemo enim est cui probare nunc oporteat, non esse Angelicam.) Non est autem vel purè diuina, vel purè humana, vt probatum est. Est igitur humana inspirata diuinitus.

Et sanè cum omnes penè Sectarij eam auctoritatem sola Scriptura sacra contineri contendunt, fateri eos necesse est, humanam, diuinitus inspiratam, illam esse. Homines enim ij sunt, qui Spiritu sancto inspirati, sunt nobis in Scripturis loquuti. Sed an rectè Scriptura sola eam auctoritatem isti definiant, videbimus in capite sequenti. Nunc tantum hinc restat, vt Scripturæ quosdam locos explicemus, quibus contra assertionem positam videtur confirmari posse, Deum per seipsum singulos docere rectam fidem, sine vllò prorsus humano ministerio. Quod eò quoque faciendum est, quia eiusmodi locis illi etiam

Sectarij

Quomodo concludatur, regulam fides debere esse humanam diuinitus inspiratam.

Sectarij imprudentes ad errorem suum abutuntur, qui volunt tamen Deum non docere sine omni medio, sed per Scripturam sacram, quæ ipsa, vt dictum est, continetur humana auctoritate diuinitus inspirata.

Eius generis sunt ij loci: ^a *Erunt omnes docibiles Dei.* Et: ^b *Si quis indiget sapientia postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Et: ^c *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscat de doctrina eius, vtrum ex Deo sit.* Item: ^d *Oves meæ vocem meam audiunt.* Item: ^e *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Atque in iis quidem & aliis eiusdem generis testimoniis, simpliciter significari videtur futurum, vt omnes de rebus fidei ab ipsomet Deo erudiantur. Sunt autem & alij loci quidam, in quibus item negari videtur, opus alicui fore alio magistro præter Deum. Vt in prima Canonica Ioannis: ^f *Non necesse habebitis vt aliquis doceat vos: sed ipsa vnctio docet vos de omnibus.* Et apud Ieremiam: ^g *Non docebit amplius vnusquisque proximum suum.* Et in Euangelio ipse Christus: ^h *Ego, inquit, testimonium hominum non accipio.* Acciperet autem, si oporteret ab hominibus veritatis Christianæ fidei proponi. Quare & alibi scriptum est: ⁱ *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.*

Respondendum est, ad locos priores, vtrumque verum esse: & à Deo doceri fideles (sicut in illis testimoniis diuinitus est promissum) & doceri tamen ab illo ordinariè non nisi per ministerium humanum. Sed est consuetudo sacræ Scripturæ, vt quæ Deus principaliter facit, ea illi sic tribuat, ac si solus omnino sine aliquo instrumēto faceret: idq; etiam propterea, quod ipse quoque supplet vim instrumentis ad operandum. Hanc ob causam simpliciter ab Apostolo illud scriptum est: *Neq; qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

Et

^a Isai. 54.

Ioan. 6.

^b Iacob. 1.

^c Ioan. 7.

^d Ioan. 10.

^e Ioan. 16.

^f 1. Ioan. 2.

^g Ierem. 31.

^h Ioan. 5.

ⁱ 1. Ioan. 5.

Quomodo Deus et solus docere dicatur, et tamen doceat per hominum ministerium.
 Lege Ioan. Diu. lib. 2. de via inuestigandi sens. script. cap. 3. ad secundum argumentum.
 1. Cor. 3.

Math. 10.

Et Christus ipse: *Non estis vos qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Nec sanè dicet aliquis (vt hoc quoque vtamur exemplo) producere Deum absque concursu aliarum causarum ^l *in montibus sœnum*: quamuis Psalmista illi soli videatur hunc effectum, sicut & alios permultos, attribuere. Ergo pari ratione, cùm in Scripturis citatis legimus, Deum esse qui nos docet: intelligere debemus, hoc eum facere per ministerium auctoritatis humanæ, cuius etiam per os loquitur & auditur. Itaque non ipse solus per se docuit Paulum, sed ad ^l Ananiam adire illum voluit à quo erudiretur, & ^m Philippum misit, vt ad curram accedens doceret Eunuchum, & ⁿ Petro traditur in disciplinam Cornelius.

& Psal. 105.

Act. 9.

m Act. 8.

n Act. 10.

Quæ explicatio ad eos locos etiam qui sunt posterius obiecti, pertinere potest. Nam quod negat Scriptura, necesse esse, vt alius alium doceat; eodem modo intelligi debet, quo illud: *Neque qui plantat est aliquid neque qui rigat*: Et illud etiam, quod similiter explicauimus: *Non estis vos qui loquimini.* Quid enim hoc significat? An, qui inspirante Deo loquitur, prorsus ipsum non loqui? Minimè verò: sed Deum esse quidem, qui eius ore tanquam instrumento quodam præcipuè loquitur. Ita non doceri fideles ab homine, minimè idem est quod nullo modo per humanum ministerium doceri: sed est, doceri præcipuè à Deo: qui cùm omnibus temporibus *docuerit ipse*, vt Psalmista loquitur, ^o *hominem scientiam*; longè id vberius in hoc tempore gratiæ facit. Quod si nullo modo doctrinam hanc Deus per humanum ministerium traderet; responderi profectò satis Augustino non posset, hunc in modum cum ipso Ioanne Apostolo hac de re colloquenti: *Vnctionem, inquit, habebant quibus loquebaris. Tu dixisti: ^p quia vnctio ipsius docet vos de omnibus. Vt quid igitur talem*

• Psal. 39.

Tract. 3. in 1.
epist. Ioan.
p. 1. Ioan. 2.

talem epistolam fecisti? Quid illos tu docebas? Quid instituebas? Quid edificabas? Sed respondet facillè pro ipso Apostolo conuenienter iis, quæ iam à nobis explicata sunt, idem ipse Augustinus: *Iam hic videte fratres magnum Sacramentum. Sonus verborum nostrorum aures percutit. Magister intus est. Nolite putare quemquam hominem aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ. Si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster.* Ac paucis in eandem sententiam interpositis: *Cathedram, inquit, in cælo habet qui corda docet. Propheta ait, & ipse in Euangelio, Nolite vobis dicere Magistrum in terra, vnus est Magister vester Christus.* Hæc Augustinus. Qui pulchrè hac oratione docet idèò fidei doctrinam ipsi Deo acceptam ferri debere, quoniam etsi per se ipse sine ministerio auctoritatis humanæ non doceat; tamen ipse est magister huius disciplinae principalis.

Matth. 23.

Quod verò ait Christus: *Ego non ab homine testimonium accipio*, sic intelligendum est. Non indiguit Christi doctrina humano testimonio vt ipsa ab illo robur acciperet: Sed opus habuit eo tamen vt secundum consilium Dei, & rationem constitutam eius prouidentie propagaretur, id est, vt ei homines fidem haberent. Nam & illud etiam ob eam rationem à Christo Domino dictum est: *Eritis mihi testes in Hierusalem & in omni Iudæa, &c.* Tum illud eodem pertinuit: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Ac subiungit Euangelista rationem à nobis assignatam: *Vt omnes, inquit, crederent per illum.* Hinc est, quod in eo ipso loco vbi negat Christus se ab homine testimonium accipere: vtitur tamen aduersus Iudæos testimonio Ioannis. Dixerat enim: *Vos misistis ad Ioannem: & ille testimonium perhibuit veritati.* Tum subiungit: *Ego autem non ab homine testimonium accipio. Sed hæc,*

Qua ratione Christi doctrina indiguerit & non indiguerit humano testimonio. Act. 1.

Ioan. 1.

Ioan. 5.

Ibidem.

L. inquit,

inquit, dico ut vos salui sitis. Quasi diceret: Ego quidem testimonium, quod mihi perhibuit Ioannes, non adfero tanquam illo nitatur mea doctrina: sed ut illam eo vobis probem, id est, ut Ioannis auctoritate, qui magnus est apud vos, commoti, mihi credatis & salui sitis.

Ex his arbitror satis confirmatam ac defensam tertiam nostram assertionem esse, nempe, non purè diuinam, neque purè humanam, sed humanam diuinitus inspiratam esse oportere auctoritatem illam, quæ de fidei questionibus omnibus certò doceat fideles.



A N A L Y S I S

FIDEI CATHO

L I C A E, &c.

P A R S Q V I N T A

HVMANA ILLA AV-
CTORITAS, INSPIRATA DIVI-

nitus, quæ de controuersis fidei omnibus iudicare valeat, non vnius tantum vel alterius hominis quondam vita defuncti, aut etiam aliquorum propria est, qui olim vel scripto, vel voce sententiam diuinam explicauerint, posteritatiq; commendarint, sed omnibus seculis apud fideles ipsos viget præsens, & pronunciarè perspicuè ac palam de fidei controuersis omnibus potest.

NON



NON absolute hinc negamus, alicuius hominis vel aliquorum vita defunctorum auctoritatem diuinitus infallibilem esse in quaestionibus fidei. Sed cum in iudicio, & quasi causa fidei, duobus modis intelligi possit, aliquam auctoritatem esse infallibilem; videlicet aut tanquam magistram & iudicem, cuius sit sufficienter pronunciare & statuere quae sit in omni quaestione doctrina fidei; aut certe tanquam testem, qui licet in eo iudicio definire satis ipse, ita ut est necesse, quaestionem omnem non possit, tamen ab auctoritate magistra & iudice consuli debeat: affirmamus sane, auctoritatem illam infallibilem, a qua oportet (ut hactenus ostensum est) in omnibus quaestionibus, quae de fide moueri possint, tanquam a iudice ac magistra, fideles cunctos omni tempore sufficienter de fide doceri; non esse propriam alicuius vel aliquorum hominum vita defunctorum. Quamquam & talis quidem auctoritas aliquorum qui superstites non sunt, & olim diuinam sententiam aut verbo aut scripto infallibiliter explicarunt, tanquam testis in fidei causis certa ratione & modo (id est, ut vel rem ipsam dicat, vel aliquid rei consentaneum, ex quo res deduci possit) consuli debeat, ut a nobis suo loco post explicabitur.

Nunc explicatione hac adhibita, probanda nostra assertio est. Quod fiet commodissime si utamur huiusmodi partitione. Auctoritas humana eorum qui vita functi sunt, & olim diuinam sententiam, aut verbo aut scripto infallibiliter declararunt, partim Scripturam ipsam sacra, partim traditionibus Apostolicis (id est sententia per Apostolos uia primam uoce tradita, & deinceps ab eorum successoribus retenta & custodita, & continua successio-

L 2

cello-

Auctoritas infallibilis in quaestione fidei lata patet. Aliac enim est iudex, alia testis.

Infallibile auctoritatem qua sit iudex omnium controversiarum fidei, non esse propriam aliquorum qui olim aut serbo aut scripto docuerunt, sed presentem perpetuam in Ecclesia uigere: & quomodo id probandum.

cessorum serie ad posteros transmissa) continetur, ut infra quoque suis locis docebimus. Sed neque Scriptura sacra, neque etiam sola traditio (si ab ea separet presentem in Ecclesia auctoritatem infallibilem; sic enim de traditione nunc loquimur) est illa auctoritas infallibilis magistra fidei & iudex in omnibus quaestionibus. Talis igitur auctoritas non est propria alicuius vel aliquorum hominum vita defunctorum. Quod si exstat tamen aliqua talis humana auctoritas, ut probatum est; neque verò ea est illorum hominum propria, qui iam praeterierunt; restat, ut vivat semper inter fideles praesens, quem admodum in assertione nostra positum est. Confirmemus singula. Ac primum eiusmodi auctoritatem sola Scriptura sacra, ut haeretici perperam sentiunt, non contineri, sequentia argumenta persuadere debent.

Supra parte
III. & IIII.

*SCRIPTURAM SACRAM NON ESSE IV.
dicem omnium controuersiarum fidei.*

PROBATIO I.

Parte III.

P R I M Ò. Sententia eius auctoritatis, cuius de rebus omnibus fidei iudicium est, apertam oportet esse, ut ab omnibus fidelibus commodè possit intelligi. Nam si non ita perspicuè & planè auctoritas illa doceat, non ad eam rem valebit, cuius causa (ut supra probauimus) diuinitus instituta est; nempe ut omnes, nisi nimium velint esse cæci, facile cognoscere possint, quid ex fide credere debeant, & quid tanquam fidei contrarium repudiare. Quomodo enim conscientia acquiescet, aut in animum aliquis inducet certò & absque vlla hæsitacione id credere, quod scire clarè ipse non possit ab aliqua auctoritate proponi & tradi quam sibi persuadeat esse infallibilem? Iam verò sententia Scripturæ de maximis etiam fidei quaestionibus, ita obscura & difficilis ad intelligendum est,

est, ut homines etiam bene literati, nedum vulgares fideles, in eius inquisitione facillimè hallucinentur ab ea que aberrent.

Id, quia hæretici omnes pertinaciter negant, demonstrandum iam diligenter est. Quod rectius fiet, si primùm cōstiterit, quo sensu & quare Scripturam obscuram esse affirmemus. Ita enim, & ipsas vias quasi obstruemus Adversariis, quibus illi in hac re arbitrantur, se posse subterfugere. Cùm enim Scripturam obscuram esse dicimus, non vitium aliquod in doctrina ipsa diuinitus tradita inesse sentimus, sed maiestatem atque *altitudinem* potius eiusmodi *sapientia & scientia Dei*, & imbecillitatem ingenij nostri profitemur. Nam hoc significat, eam obscuram esse, difficulter à nobis illam intelligi posse; quoniam & ipsa diuino ac singulari suo quodam modo conscripta est, & nos multis rebus atque adminiculis indigemus, ut eius sententiam assequamur; atque adeò multis etiam modis in ea re impedimur. *Quod totum*, inquit præclare D. Augustinus, *diuinitus prouisum esse non dubito ad edomandam laborem superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum, cui facile inuestigata plerumq. vilescunt.* Nec dissimilem rationem, cur Scriptura sit obscura, reddidit Clemens Alexandrinus.

Fatemur igitur ante omnia, & concedimus aduersariis, hominum vel infirmitate, vel etiam vitio accidere, ut Scriptura non intelligatur. Sed vicissim ab ipsis postulamus, ut, quia tolli hac in vita nequit illa infirmitas, & difficillimè vitari hoc vitium ab hominibus potest; nobiscum etiam agnoscant & fateantur, Scripturam solam quæ vix à paucis rectè intelligi potest, non esse communem illam fidelium omnium regulam & magistram, à qua in quæstionibus fidei doceri posse infallibiliter oēs

L 3 oportet.

Scripturam esse obscuram, et quomodo id à Catholicis assertur, nec à Sæctariis, si diuinitus intelligant, negari posse.

¶ Roman. II

Lib. 2. de doct. Christ. cap. 6.

Lib. 6. Strom. non admodum longè à fine.

Coguntur Sæctarij ipsi confiteri Scripturam obscuram esse.

oportet. Quæ enim fidei regula communis hominibus ipsis est proposita: eam prorsus oportet ex parte in primis ipsorum hominum esse cognitu facilem, atque adeò perspicuam: Siquidem tota eorum ad usum accommodata esse debet. At Scripturam, ex parte saltem conditionis hominum, obscuram & difficilem esse, ita certum est, ut sint etiam impudentes Sectarij si negent. I. Etenim ipsi etiam intelligunt, vim dictionis cognosci debere, qua vel primùm est ipsa doctrina sacra mandata literis, vel certè deinde in aliam linguam benè versa. Hoc, quod minimum est: tamen non omnes fideles rectè nouerunt. II. Scientiam quoque rerum ipsarum, & sensus in Scripturis exercitatos, ad Scripturarum intelligentiam requiri, negari non potest. Ideò enim fit, ut etiam inter eos, qui verborum cuiusq; linguæ, omnisq; Grammaticæ benè periti sint, difficillimè tamen de Scripturarum sensu in maximis rebus conueniat. Cui rei ipsi sunt argumento Sectarij. Sunt enim ex Calvinistis & Lutheranis non pauci Calvinistæ & Lutherani bilingues imò trilingues Grammatici. Et tamen quæ de maximis fidei rebus, Lutheranis cum Calvinistis, imò ipsis etiam tum Lutheranis, tum Calvinistis inter se (dum omnes sola Scriptura niti volunt) conueniat, nouit iam satis orbis Christianus, quin etiam norunt Turcæ & Ethnici. Non igitur Grammaticæ tantùm, sed rerum in primis doctore ad Scripturam intelligendam opus est. Quod profectò censuit Augustinus, cum ita scripsit ad Honoratum: *Terentianum Maurum, sine magistro attingere non auderes: Asper, Cornutus, Donatus, & alij innumerabiles requiruntur, ut quilibet Poëta possit intelligi: Tu in eos libros, qui sancti diuinarumq; rerum pleni prope totius generis humani confessione difsamantur, sine duce irruis, & de his sine preceptore audes ferre senten-*

*Ad Scripturam
intelligendam
quàm multa
requirantur:
indeq; illius in-
telligenda dif-
ficulatem exi-
sere.*

et. n. m. o. r. a.

*Scientiam rerum
magis quàm
linguarum ad
Scripturarum
intelligentiam
requiri.*

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

Lib. de util. c. 7.

sententiam? Nec dissimilis Diui Hieronymi oratio est, quam, quia notissima est, breuitatis causa prætereo. Iam quotusquisque idoneum Scripturarum præceptorem vel quærit, vel inuenit, vel rectè intelligit, vt Scripturæ genuinam sententiam assequatur? III. Sed neq; historiam multarum rerum artesq; liberales quasdam ignorare oportet; quarum ignoratione fit sæpe, vt aberret aliquis à vero Scripturæ sensu, quemadmodum D. Augustinus diligenter notat, & res ipsa docet. IIII. Ratio quoque omnis tenenda rectæ fidei est, vt eius vbique analogiam videre, & ad eam exigere Scripturæ sententias difficiliore possis. In qua re magno sanè iudicio, quod paucis contingit, & dexteritate magna opus est. V. Et quoniam *in maleuolam animam non intrabit sapientia*, purgandus etiam est animus, ne cœno vitiorum obruta atque excæcata mens videre in Scriptura non possit lumen veritatis. Quod Diuo etiam Augustino, quantumuis magno & perspicaci ingenio esset præditus, tum accidebat, cum adhuc erat inquinatus peccatis. *Institui*, inquit, *animum intendere in Scripturas sanctas, vt viderem quales essent. Et ecce video rem non compertam superbis, neq; nudatam pueris: sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysteriis. Et non eram ego talis, vt intrare ad eam possem. Nam illa erat, quæ cresceret cum paruulis. Sed ego indignabar esse paruulus, & fastu turgidus mihi grandis esse videbar.* An verò nullius difficultatis res est, ab hoc tumore vitiorum vacuum esse, eorumque fuligine velatum cor, instar Iudeorum, non habere, sed humilem fieri ac docilem discipulum, ad huiusmodi Spiritus sancti disciplinam capessendam? VI. Quid autem precatio ad Deum pro sapientia interpretationisq; Scripturæ dono? An exigua difficultas est, & piè & perseueranter illud cum eodem

Augu-

In epist. ad
Paulin. *Ita Joban. 11.
Si tantis prophetis (David)
tribuitur ignorare non
debent, qui nos pueros par-
uulos & pueri faciebant
in fide non de deo dicitur?*

Vide potissi-
mum lib. 2. de
doctr. Christ.
cap. 1. 6. & 29.
& 31. & 36. &
37. & 40.

Sap. 1.

Lib. 3. confess.
cap. 5.

Lib. II. confess.
cap. 2.
P. 1. D. Augu.
stini pro intel-
ligentia Scri-
pturarum ad
Deum preca-
tio.

Lib. 2. de doct.
Christia. cap.
25. & 26.

*Scripturarum
collationem nō
penitus remo-
vere difficulta-
tem in illis in-
telligendis.*

Augustino orare: *Domine attende, & miserere mei. Domine Deus meus, lux cecorum, & virtus infirmorum. Largire spacium meditationibus nostris in abdita legis tue, neq; aduersus pulsantes claudas eam. Neq; enim frustra scribere voluisti tot paginarum opaca secreta. Et aliquibus interpositis. Vide,* inquit, *Pater, & aspice, & vide, & approba, & placeat in conspectu misericordie tue inuenire me gratiam ante te: vt aperiatur pulsanti mihi interiora sermonum tuorum. Obsecro per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, in quo sum omnes thesauri sapientia & scientie absconditi, Ipsum quaero in libris tuis, &c.* VII. Sed ex omnibus, quæ ad intelligentiam Scripturarū necessaria sunt, illud est difficillimum, quod tamen magno sanè errore Aduersarij putant omnē remouere Scripturæ obscuritatem. Aiunt enim, difficiliores Scripturæ locos ex aliis clarioribus, qui sunt eadem de re, interpretandos esse. Quod & nos fatemur. Sic enim & Augustinus præcipit, & passim præter Augustinum alij Patres docent, ac vsu exemploque suo confirmant. Sed difficillimum tamen esse asserimus, huiusmodi locorum collationem ita instituire, vt quem locum tu putas clariorem esse, ideoq; ex eo alium locum interpretandum, is reuera sit clarior, & non cōtra potius obscurior: ex quo idcirco nō alterum interpretari, sed eum ex altero sit necesse. Vt enim quis in Scriptura ipsa, & in cognitione locorum Theologicorum, magis aut minus versatus est, atque etiam vt magis aut minus perspicax, & in indagando diligens, sic magis aut minus rationes videt, cur hic sensus potius quàm alius huic loco subiici debeat. Ita fit, vt qui locus in vno sensu alteri clarus videtur, alteri videatur obscurus: eaque varietas facit, vt facillimum sit, quemadmodum diximus, in huiusmodi collatione locorum Scripturæ falli atque errare: dum non

non obscurus reuera locus ex claro, sed clarus (si rationes omnes latentes & circumstantes considerantur) ex obscuro peruerse exponitur.

Cuius rei, cum multa & vetera, & recentia etiam exempla ex nostrorum temporum controuersis proferri possint, ego breuitatis causa vnum aut alterum ponam, vt Lector contempletur Labyrinthum errorum, in quo, propter hanc suam Scripturæ collationem, versantur Sectarij, & versabuntur perpetuò, nisi redeant ad sanio- rem mentem. Quæstio est, vtrum concupiscentia in iis qui gratiam sunt adepti in Baptismo, sit peccatum veri nominis, damnatione etiam dignum. Affirmant omnes Sectarij. Quia quod in persona iustificati hominis Paulus ait, ^a *Habitare in se peccatum*; putant habere illum sensum clarum, quem illico verba superficietenus exhibent, nempe concupiscendi facultatem seu appetitum esse peccatum. Itaque ex hoc loco interpretantur alios eiusdem Apostoli, vbi contrà negat, vllum remanere peccatum, in iis, quos affirmat ^b *ablutos & sanctificatos* esse in Baptismo. Dicunt enim sensum esse, non quòd ij mundi prorsus facti sint & immunes à peccato, sed quòd peccatum quo alioquì inquinati sunt, non imputetur ipsis ad pœnam. Falluntur autem in hac Scripturarum collatione. Quoniam locos clariores malè interpretantur ex obscuro. Demòstrant enim certissimè Catholici, sensum eius, quod Apostolus inquit, habitare in se peccatum, nò esse illum prima facie clarum, quem falsò putant Aduersarij, nempe reuera concupiscentiam peccatum esse. Hoc enim & naturæ ipsi diuinæ gratiæ repugnat, quæ cum peccato mortali stare nullo modo potest, & aliis etiã innumeris Scripturæ locis, ex quibus constat per gratiam ita aboleri penitus peccata, vt nihil in ipso homine insit

M damna-

*Exemplis ostē-
ditur in Scri-
pturarum col-
latione facillime
errari posse, atque adeo
errare ipsos Se-
ctarios.*

Exempl. I.

^a Roman. 7.

^b 1. Cor. 6.
^c Ibidem. Idè
ad Rom. 6. &
8. & alias sæ-
pè.

¶ Roman. 8.

^d damnationis, id est, damnatione dignum. Docent igitur iidem Catholici alium quendam illi Apostoli loco subiecti sensum obscurum, videlicet, concupiscentiam & ex peccato prouenisse, & ad peccatum inclinare, ideoque appellari ibi ab Apostolo peccatum: sicut etiam ipsum Christum ^e peccatum alibi improprie appellat, quia fuit hostia pro peccato: & Adam ^f Euam similiter *os* appella- uit, quia ex osse exstitisset. Proinde non ex eo Apostoli loco, tanquam ex claro, illi alij loci, qui gratia emundari penitus hominem à peccatis manifestissime docent, ex- ponendi perperam erant: Sed ex iis potius locis, tãquam claris, illius alterius loci sensus obscurior (quem indica- uimus) colligi ab Aduersariis debuit.

e 2. Cor. 5.

f Gen. 2.

Exempl. II.

Item quæstio est, utrum quilibet possit ac debeat cer- tò credere se iam esse receptum in gratiam diuinam. Af- firmant etiam cuncti Sectarij: quamuis ego quidem nũ- quam mihi persuadere potero, vllum esse cordatum ho- minem inter illos, qui sibi omnino ita certò persuadeat: cuius rei alio in loco manifestissimas rationes reddidi. Sed affirmant tamen ita credendum esse, licet minimè ipsi credant. Cùm autem obiicitur illis testimonium A- postoli clarum in persona hominis iustificati, dicentis: *Nihil mihi ^g conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum; con- ferunt hunc locum cum illo alio eiusdem Apostoli: Ideò ex fide (iustificatio) vt secundum gratiam firma ^h sit promissio.* Quoniam autem putant significasse hinc Apostolum, gra- tiam per fidem solam ideò apprehendi, vt quilibet, non ex bonis animi sui moribus aut recta conscientia, sed ex promissione diuina per fidem certò possit sibi persuade- re quòd gratiam sit consequutus; interpretantur, non ne- gauisse Apostolum in illo alio loco, quin sciret omnino atque adeò, quin sciat quiuis iustus, in cuius persona tunc

In disputat. de gratia, & de differentia vet. & nouæ legis.

g 1. Cor. 4.

h Roman. 4.

loque-

loquebatur, se esse iustificatum: Sed negauisse tantum, id se scire ex bona sua conscientia. Decepti verò sunt in ea collatione turpissimè. Nam vt aliud non esset, tamen antithesis certè, quæ continuò sequitur in verbis Apostoli, declarat, cum (in persona quidem hominis iustificati) omnino negauisse se vel ex promissione diuina, vel aliunde, secundum legem Dei ordinariam, scire in præsentia num esset iustificatus. Subiungit enim: *Qui autem iudicat me, Dominus est. Itaq, nolite ante tempus iudicare, quoadusq, veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit occulta cordium, & tunc laus erit unicuique à Domino.* Cùm Dominum solum esse affirmat, qui num aliquis iustificatus sit, sciat; de eaque re ante tempus illud extremum, à nobis certò iudicium fieri vetat; nõne omnino negat, in præsentia quemquam hoc de se certò scire aliqua ordinaria via? Aliter igitur debuissent hinc instituere collationem Sectarij; & vel ex hoc loco potius intelligere, sensum illius alterius loci, vbi Apostolus ait; idè ex fide hominem iustificari, vt secundum gratiam firma sit promissio, non esse, quòd per fidem iustificemur; vt ex promissione sola possimus certò scire nos esse iustificatos. Negat enim absolutè Apostolus, hoc à nobis sciri ante nouissimum tempus ordinario villo modo posse. Sed docet, idè nos gratis, absque merito nostrorum operum, per fidem, & alios nimirum animi rectos motus, caritatis & pœnitentiæ (qui cum fide viua coniuncti sunt) iustitiam & gratiam consequi, quoniam oportet certò diuinam promissionem impleri, quæ fuit prorsus talis; scilicet vt eo modo gratis iustificaremur absque nostro merito; quemadmodum sic etiam Abraham iustificatus est coram Deo. Hæc ibi tantum Apostoli sententia est, neque quidquam de vana

In disputat. de
vera & falsa
differentia vet.
& nou. legis.

Matth. 26.

Lege Claudi.
de Sanctes,
repetit. 1. de
Euch. c. 10.

Quomodo Scri-
pturarum col-
latis potius,
quandoq; in-
telligenda Scri-
ptura difficult-
tatem auget.

illa istorum persuasione hinc agit: vt ex disputatione & in-
stituto Apostoli in ea epistola, alibi quoque probaui-
mus.

Notum etiam est, Sacramentarios hæreticos idcirco errare, quoniam Scripturæ locos, qui sunt de Christi discessu ex hoc mundo, non ex hoc claro loco; *Hoc est corpus meum*, sicut oportet, interpretantur (ita scilicet, vt de discessu tantum & absentia Christi secundum modum ordinarium atque visibilem eos locos intelligi necesse sit) sed hunc peruersè ex illis malè intellectis. Vnde fit, vt dum prauè tum illi tum etiam Lutherani panistæ collationem instituunt, plures quàm octoginta interpretationes differentes plenasque vanitatis paucissimis illis Christi verbis; *Hoc est corpus meum*, adhibeant, ne vel præsentiam corporis Christi in Eucharistia, vel conuersionem panis in illud fateantur. Quæ profectò varietas clarissimo argumento est, hos omnes, quantumlibet Scripturæ collationem iactitent, à proprio illorum Christi verborum sensu longissimè aberrare.

Atque vt vno verbo dicam, in omni fidei quæstione, quæ in vtramque partem ex Scripturis agitur; proposta quacunq; collatione Scripturæ, semper porro quæstio esse poterit, vter potius locus ad sensum alterius accommodandus sit ex eoq; interpretandus? Ita fit, vt collatio non finiat ipsa & absoluat difficultatem quæstionis de sensu Scripturæ, sed plerumque etiam auget. Huc accedit, quod non modò facillimè contingit error in iudicando, an hic locus per illum exponi debeat; cum vtrumque constat de eadem re loqui; sed etiam in discernendo, an id ipsum, quod in collatione sumitur, verum sit, scilicet vtrumque locum de vna eademq; re loqui. Quandoque enim idem in Scriptura verbum & eadem

dem

dem ferè phrasis ad significandas res diuersas accommo-
datur, vt admonuit etiam Diuus Augustinus. Quod quia
nuper quidam Sectarius, Lutheri discipulus, non ani-
maduertit; ineptè voluit per Scripturæ scilicet collatio-
nem ostendere, *oblationem mundam*, de qua vaticinatus
est Malachias, non aliud sacrificij genus in Ecclesia esse,
nisi Euangelij prædicationem, quam etiam Apostolus
per similitudinem *oblationem* vocat. Rectè autem Diuus
Augustinus: *Non putemus, inquit, esse præscriptum, vt quod in
aliquo loco res aliqua per similitudinem significauerit, hoc eam
semper significare credamus.* Sed errorem istiusmodi colla-
tionis in alio^b loco redarguimus. Et omnes disputatio-
nes, quæ nobis intercedunt cum istis, plenissimæ sunt e-
xemplis similibus, in quibus appareat variis vbiq; errori-
bus Aduersarios esse implicatos, propter Scripturæ col-
lationes à se sinistrè institutas.

Nunc quæ exempla huius rei adduximus, non tam
adduximus, vt in illis quæstionibus eos errasse ostende-
remus, id enim aliorum est locorum, quàm vt (quod iam
agimus) euinceremus, eos facillimè certè, dum sola Scri-
pturarum collatione niti volunt, sic errare potuisse. Ex
quo intelligi debet, non quidem eorum esse leuiorem
culpam in errando (quis enim eos Scripturis solis quæ-
stiones fidei velle definire cogit?) sed Scripturam profe-
ctò esse ad intelligendum difficilem: quandoquidem in
eius interpretatione collatio locorum, in qua facillimè
erratur, negligenda non est, & alia multa adminicula an-
tè enumerata ad eam rem requiruntur, ex quibus aliqua
in plerisque hominibus sæpe desiderantur. Neq; sanè ab
hoc proposito aliena obseruatio est, quod cum præter
ea, quæ diximus, quasdam etiam peculiare regulas ad
Scripturam intelligendâ vtilis, Augustinus ex quodam

Lib. 2. de doct.
Christ. cap. 24.
25. 26.
Herbrandus
contra nostrum
de sacrificio
Midę tractatū
Malach. 3.
Rom. 15.
Lib. 2. de doct.
Christ. cap. 24.

† In Apolog.
de sacrificio
Missæ, cap. 4.

Lib. 2. de doct.
Christ. cap. 29.
& seq.

2 Ibid. cap 30. Tyconio commemorasset: tamen quosdam dicit tales esse Scripturæ locos, vt ad eorum sensum inueniendum vix vlla eiusmodi regularum satis esse, imò ne seruire quidem possit.

Scripturam obscuram esse, suo satis exemplo confirmant Sectarij.

Quod si necdum ista omnia satis Aduersariis probant, difficulter Scripturæ sensum intelligi posse; vel domesticis tandem eius rei argumentis experientiaque propria moueantur. Nam si Scriptura difficilis non est, quid sibi vult inter ipsos, in tam multis tamque grauibus fidei quæstionibus de Scripturæ sensu tanta dissensio? Cur Calviniani Lutheranis, & Lutherani Calvinianis (vt capita tantum ipsa sectarum, variè porro inter se dissectarum, nomen) non persuadent rem claram? An literas nesciunt? An locos non conferunt? An à Deo, qui dat omnibus affluenter, sapientiam non postulant? Eligant igitur hinc quod maluerint, alterutrumque fateantur, aut Scripturam esse difficilem: aut se insanire, quòd inter eos de clarissimo minimeque difficili Scripturæ sensu conuenire non possit.

Scripturam ipsam sui obscuritatem testari, confirmatur aduersus Sectariorum cavillationes. 2. Pet. 3.

Sed audiamus Scripturam ipsam de se loquentem, num eam facilitatem sibi tribuat quam ei isti quasi per vim obtrudere, contra sensum, contra experientiam, & suam & alienam, conantur. Non autem noua adferam sed vetera hac de re Scripturæ testimonia, cum sint optima, repetam, vt ea magis confirmem. In quo genere clarissimum certè testimonium est illud D. Petri, qui testatur, *quadam esse in epistolis D. Pauli difficilia intellectu. Quæ, inquit, indocti homines & instabiles, sicut & cæteras Scripturas, deprauant ad suam ipsorum perditionem.* Cùm dicit, illa D. Pauli, sicut & Scripturas cæteras, deprauari à peruersis; certè Scripturas etiam cæteras magna ex parte similiter esse difficiles indicat. Nam propter difficultatem vtrique

cæteræ

caetera quoque Scriptura deprauantur, sicut & illa de Pauli epistolis. Neque verò D. Petrum latebat, quid valere posset ad Scripturae intelligentiam collatio locorum: & tamen ea re non obstante, pronunciat simpliciter, Scripturam intellectu esse difficilem: ac idèò facile depruari posse.

NOTA.

Kemnitius in exam. Sess. 4. Concil. Trid.

Et planè falsum ac ineptum etiam est, quod quidam Lutheri discipulus, vt hoc testimonium eludat, hic comminiscitur. Respondeo, inquit, Petrus non dicit, epistolas Pauli ita esse conscriptas, vt difficultate & obscuritate sua Lectoribus prabeant occasionem ad perditionem. Vtitur enim articulo non foeminino sed neutro: significans, res ipsas de quibus Paulus loquitur, quia positae sunt longè supra & extra omnem conspectum rationis, non posse rectè intelligi ab hominibus carnalibus, sed opus esse illuminatione Spiritus sancti.] Haecenus ille Lutheranus. Quem adèò non est Deus passus hac interpretationis vanitate Lectorem decipere, vt ad eam clarissimè refellendam ipse etiam ore sit vsus. Subiungit enim iste illico: Vtitur autem Petrus (inquit) verbo valde emphatico *σελασσε* (id est, detorquent) quod à torturis sumptum est. Sicut enim adhibitis tormentis saepe de innocentibus habentur quaestiones vt aliquid aliud quàm res habet, pro affectu torquentium, ab illis exprimatur: ita Petrus dicit Scripturae quasi tormenta adhiberi, quibus à genuina, simplici & aperta sententia distorqueatur, vt illud nobis loquatur quod ante lectionem praesumptimus intelligendum, vt Hilarius loquitur.] Haecenus etiam iste. Ex cuius hac postrema oratione tale contra commentitiam illam expositionem ipsius conficitur firmum ac euidentis argumentum: D. Petrus ea in epistolis D. Pauli dicit esse intellectu difficilia, quorum item ait significationem

Diu Petrum non ipsas res tantum quas tractat Paulus, sed etiam modum quo illustra-

*Et, hoc est, illi-
us Scripturam
pronunciassent
esse difficilem.*

tionem depruari ab indoctis hominibus: ut scilicet aliud illa nobis loquantur & significant, quam res habet: sicut iste Lutheranus ex verbi Græci interpretatione non malè colligit, & ex ipsa sententia & oratione D. Petri est perspicuum. Nunc ita subsumo: Illa quæ secundum significationem isto modo deprauantur, non sunt res ipsæ significatæ à Paulo (non enim propriè res ipsæ loquuntur nobis & significant) sed loci & partes scripturarum epistolarum à Paulo. Igitur illa quæ D. Petrus affirmat esse difficilia intellectu in epistolis Pauli; non sunt propriè res ipsæ à Paulo significatæ, sed ipsius Scripturæ Paulinæ loci & partes. Nihil profectò potest euentius concludi.

a. Cor. 3.

Iam *velamen*, quod ipse Paulus affirmat, *vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, esse positum supra cor Iudeorum*: profectò textum (vt ita dicam) bona ex parte est ex difficultate Scripturarum illarum. Hoc enim, vt antè monuimus, est, Scripturam esse difficilem; eiusmodi eam esse, & tam multa, vt illa intelligatur, requiri, vt proclive fuerit Iudæis, & sit aliis omnibus, non percipere veram eius sententiam. Quod quia dare nobis coguntur, velint, nolint, Sectarij: rectè ac necessariò inde concludimus, communem illam regulam & magistram fidei, quam necesse est, esse propositam fidelibus omnibus, non esse Scripturam: cum non sit cognitu facilis ipsis hominibus: vt antè quoque argumentati sumus.

Isai, 29.

Huc & illud Isai. pertinet: *Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati quem cum dederint homini scienti literas, & dicent, lege istum, respondebit non possum. Signatus est enim.* Atque etiam obscuritatem Scripturæ D. Gregorio Magno rectè significauit *liber ille inuolutus*, quem de manu Domini Propheta Ezechiel accepit. *Liber inuolutus, inquit, Gregorius, est Scriptura sacra eloquium obscurum, quod*

Ezech. 1.

Homil. 9. in
Ezech.

profundum.

profunditate sententiarum inuoluitur, ut non facile sensu omnium penetretur. Quocirca & Eunuchus ille, de quo D. Lucas in Actis, cum Scripturam legeret, ab eo que Philippus percontaretur, Putas ne intelligis qua legis? Quomodo possum, inquit, nisi quis doceat me? Tum illud eleganter (ut iam alios Patres præteream) Clemens Alexandrinus: *David, inquit, dicit, Tenebrosa aqua in nubibus aëris; à fulgore coram ipso nubes transierunt grando & carbones ignis, abditos esse docens sanctos sermones.*

Act. 8.

Lib. 6. Strom. versus finem. Psal. 17.

Et tamen dicitur Scriptura ^d *lucerna pedibus nostris, & lumen nostris semitis, cui benè faciamus attendentes tanquam lucerna lucenti in caliginoso loco, &c.* Hæc verissima sunt omnia. Sed est in primis etiam videndum, ubi nam collocatam esse oporteat hanc lucernam doctrinæ diuinæ, ut ipsi lumen eius videre, & eo dirigere gressus nostros possimus. Quid enim si lucernam aliquam ponas sub modio? Certè lucebit ibi nihilominus ipsa & ardebit, & lumen retinebit suum: sed non etiam ibi te illuminabit, nisi eam colles in idoneo loco. Concedimus igitur pari modo, sacras literas, quæ diuinæ doctrinæ continent lumen, tanquam lucernam esse per se ipsam splendidissimam semper, atque fulgentissimam. Sed nobis tamen considerandum est, quomodo sit hoc lumen non in se modò *lucidum*, verum etiam (ut regius Propheta dicit) *illuminans oculos*? Nunquid qua ratione vnusquisque ingenij proprii atque industriæ suæ finibus illud tanquam modio quodam exiguo comprehendit? Minimè verò: sed quatenus est diuinitus in Ecclesiæ Catholicæ auctoritate tanquam in candelabro positum, *ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Hanc enim Ecclesiæ auctoritatem, docebimus postea suo loco, esse in vniuersum iudicem atque magistram fidei, *dei viam*: quæ idcirco necesse est, ut lumen illud fidei,

Qua ratione Scriptura lumen sit & lucerna, & tamen ad intelligendum difficilis. d. Psal. 118. e. 2. Pet. 1. Responsio ad præcipua testimonia quibus abutuntur Sectarij, si probet Scripturam esse facilem.

Psal. 18.

Scriptura lucernam ponunt sub modio qui illius sententiam non ex Ecclesiæ auctoritate discernere solent. Matth. 5.

N. quod

quod in diuinis literis splendet, præferat ipsa atq; ostendat omnibus qui ad eam aggregantur, in eaque manent, licet inruditi sint alioqui, nec valeant ipsi per se lumen illud, vt in ipsis literis sanctis tanquam in lucerna continetur, aspicere.

Lib. 7. in Luc.
cap. 52.

Luc. 12

Quid sit Scriptura lumen in abscondito vel sub modio ponere: quod factum est.

Matth. 24.

Quam rem benè mihi ac subtiliter D. Ambrosius attigisse videtur, cum docuit, Christum, vt fidem nostram Ecclesiæ Catholicæ accommodarem, oratione illa hortari. *Nemo, inquit, accendit lucernam & in abscondito ponit, neque sub modio sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.* Quid autem aliud fuisset, Scripturam non alicui communi auctoritati infallibili interpretandam commendare, sed vnicuique priuato ex æquo committere; quid, inquam, hoc aliud fuisset quàm accensam lucernam in abscondito ponere? In abscondito enim, Scripturæ lumen poni est, ea illud ratione ac modo proponi quo non possit neque debeat lucere omnibus qui sunt in Ecclesiæ domo. Non potest autem aut non debet certè Scripturæ fideique lumen sic lucere aliis omnibus, ab iisque recipi, quomodo lucet vni aut alteri priuato, quicumque ille sit tandem & quantumcumque indaganda Scripturæ sententia laborât. Nam cur aliis non liceat illi anteponeere parem auctoritatem iudicij etiam sui? Cur non possint putare illum ex iis esse, qui priuato spiritu dicunt; *Ecce hic, ecce illic Christus*: à quibus, vt diligentissimè nobis caueremus, Magister noster Christus præcipit? Errant igitur vehementer Aduersarij, cum Scripturam esse lucidam lucernam, ac illuminare nos, idem esse existimant, quod eam non egere Ecclesiæ communi aliqua atque infallibili auctoritate, vt certos nos faciat de fidei dogmatibus. Lucet enim & illuminat, sed super candelabrum Ecclesiæ constituta, vt est explicatum.

Quod

Quod si eam sub modio ingenij tui tegere atque comprehendere velis, ipsa quidem lucida per se nihilominus est, & simul tamen, vt hactenus est probatum, tibi est obscura: sicut esset alia lucerna quæuis sub modio.

Simile.

At, si maximè (inquiunt) de quæstionibus fidei subtilioribus quædam tradat Scriptura obscurius: tamen ex articulis fidei necessariis, quos satis est ad salutem credere, nullus est, qui non alicubi in Scriptura clarissimè doceatur. Hac erroris sui defensione cum vruntur Aduersarij, profectò declarant se non satis animaduertisse, quibus modis fiat, vt ad salutem necesse sit credere aliquam fidei veritatem. Fit autem hoc bifariam. Vno modo, quoniam absolutè & simpliciter necesse est, vt veritatem hanc aut illam fidei nôris & credas. Altero modo, quia cum omnis infidelitas diuinitus sit prohibita, non licet tibi sine iactura salutis, credere aliquem errorem vlli veritati fidei contrarium: Vnde fit, vt etsi aliquam fidei veritatem absolutè non necesse habeas nosse & credere: sub conditione tamen debeas illam & credere & nosse. Nam si contingat tibi proponi eiusmodi veritatem fidei, atque ei contrarium errorem; & alterutri assensum præbiturus sis: necesse tibi ad salutem est, vt veritati fidei assentiaris, non contrario errori.

Nesciunt Scilicet quatenus necessarium ad salutem sit aliqua credere: idq. dupliciter accideret.

1.

2.

Priori modo, scilicet absolutè & simpliciter, paucarum admodum veritatum fides & cognitio omnibus fidelibus ad salutem necessaria est. Posteriori autem modo, scilicet, sub illa conditione, vt contrarij caueantur errores; omnes omnino fidei sententiæ ac veritates, cum quibus pugnare possint aliqui contrarij errores, sunt omnibus hominibus necessariò credendæ ad salutem. Nemo enim est, cui liceat amplecti aliquem contrarium fidei errorem: quin (vt supra probatum est) omnes prorsus

Parte II,

N 2

& sin.

*Confutatur e-
uidenter quod
Sectarij dicunt
idco Scriptura
omnibus satis
esse quia in illa
clare traditur
paucis illi arti-
culi quos crede-
re necesse sit ad
salutem.
Lib. 2. de doct.
Christ. cap. 9.*

*Illos vel maxi-
me Scriptura
locos, ex quibus
sunt hereses
confutanda, ob-
seruare esse.
In Psal. 67.*

& singuli mandato diuino iubentur quemuis errorem atque hæresim repudiare ei que anteponere veram fidei sententiam. Iam quæ fidei veritates priori modo, scilicet absolutè & simpliciter, ab omnibus hominibus necessariò cognoscendæ & credendæ sunt, vt & fide & spe & caritate ad beatitudinem contendere valeant; eas non diffitemur perspicuè ferè in Scripturis ipsis doceri, vt Augustinus etiam notauit. Sunt enim illæ & paucæ, & communissimæ, nec notitiam requirunt vsque ad eò distinctam & expressam, modo aliquali ratione non falsa in mente concipiantur. Atque huius quidem generis sententiæ sunt comprehensæ in Apostolorum symbolo. Veritates autem aliæ, propè infinitæ, quæ posteriori modo (scilicet sub conditione, vt contrarij quique errores caueantur) ab omnibus fidelibus credi debent; ipsi Adversarij coguntur fateri, & euidenter hætenus est probatum, maiori ex parte contineri in Scripturis obscure. Itaque & illos Scripturæ locos, ex quibus oportet hæreses refutare, obscuros esse scripsit D. Augustinus. *Multi, inquit, sensus Scripturarum sanctarum latent. & paucis intelligentioribus noti sunt: nec asseruntur commodius & acceptabilius, nisi cum respondendi hæreticis cura compellit.*

Huiusmodi verò locorum Scripturæ obscuritas, in his rebus difficilioribus, caput est probationis nostre, qua necessariò euincimus, Scripturam non esse illam communem regulam & quasi magistram, à qua possint fideles omnes sufficienter doceri; vt in omnibus fidei questionibus veritatem amplectantur & errorem repudiant. Nam cum omnes mandato diuino debeant quoscunque errores contrarios fidei cauere, & eatenus quibuscunque etiam fidei veritatibus (vt expositum est) assentiri; certè facere hoc, secundum diuinam prouidentiam, omnes possunt:

Illos

100

VI

possunt: licet casu contingere possit, interdum aliquos in ea re à peccato excusari. Quomodo verò præstare id omnes poterunt, nisi communis illa regula diuinitus proposita, clarè & perspicuè & accōmodatè ad captum omnium de quæstionibus ac rebus fidei quibuscunq; definiat: Hoc autem Scriptura non facit, vt ostensum est, & ipsi etiam inuiti agnoscunt Sæctarij. Quare perspicuum est, nihil proficere Aduersarios nec argumentationis nostræ vim vllō modo infirmare, cū dicunt, Scripturam de iis rebus fidei, quæ sunt necessariæ, clarā doctrinam tradere. Omnes enim res fidei vno quodam modo necessariæ sunt, vt exposui: & proinde de omnibus perspicuè Scripturam docere oporteret, si esset ipsa fidei Iudex communisq; illa regula.

Huc accedit quod illos ipsos Scripturæ locos, qui continent articulos fidei simpliciter necessarios, non nisi quadam cum distinctione concedi debet esse omnes perspicuos. Duobus enim modis intelligi, atque dici potest, locum Scripturæ aliquem esse clarum. Vno modo, quia ipse locus certè, si per se spectetur, proprio, plano, & aperto sermone constat, neque vllō genere figuratæ dictionis inuoluitur. Atque hoc quidem pacto illi loci, qui continent fidei articulos absolutè necessarios perspicui ferè sunt, vt ex sententia D. Augustini exposuimus. Quemadmodum contrà, per se etiam obscuri dici possunt illi ferè Scripturæ loci, qui constant ex figurato sermone. Quanquam & horum tamen locorum sententia ferè etiam exposita reperitur in aliis quibusdam Scripturæ locis, qui sunt per se quidem clari, hoc est, plano ac proprio sermone scripti. Quod rectè notauit D. Augustinus cū dixit: *Nihil ferè de illis obscuritatibus figurati sermonis erui, quod non planissimè dictum alibi reperiat.* Ibi

N 3 enim

Quod aliqui loci Scripturæ sint clari, quo modo intelligendum.

Lib. 2. de doctr. Christiana. c. 6.

Quo sensu D.
Augustinus scri-
pserit, alicubi
in Scriptura
planissime dici
quod alibi di-
citur obscure.

Matth. 26.

1. Ioan. 5.

a Probatione
III.

b Lib. 2. de nu-
ptiis & con-
cup. c. 31.

Responsio ad ca-
lumniam Secta-
riorum, qui obi-
ciunt Scripturam
et a nunc accusa-
ri a Catholicis,
sicut olim ab ha-
reticis accusa-
batur.

c Lib. 3, cap. 2,

enim ipse Augustinus explicat id dici *planissimis verbis*, quod *sine similitudinis adminiculo dicitur*. Altero modo dici posset locus aliquis Scripturæ clarus, non modò si per se ipse consideretur, sed etiam si consideretur cum relatione ad locos alios, cum quibus & benè & malè cõferri possit. Atque hoc quidem modo quàm paucissimi, imò vix aliqui loci, etiam ex iis, qui & planè scripti sunt, & articulos simpliciter necessarios continent, clari & perspicui censerì possunt: quin propemodum omnes illi, ob humani quidem ingenij vel imbecillitatem, vel peruersitatē (vt suprà exposuimus) sunt obscuro. Etenim, si ad verba ipsa rationemque dicendi spectemus, quis planior & clarior videri possit locus, quàm ille: *Hoc est corpus meum?* Aut quàm ille de diuinitate Christi: *Hic est verus Deus*. Et tamen collatio cum locis aliis quàm plurimas de genuina eius etiam generis locorum sententiã parit controuersias. Quæ controuersiæ tam variæ ac multiplices an non euidenti argumentò sunt, esse etiam eiusmodi Scripturæ locos, si cum relatione ad alios considerentur, difficiles ipsis quidem hominibus ad intelligendum atque obscuros? Hæc igitur obscuritas Scripturæ, quæ ex relatione potissimum atque collatione locorum existit, ob quam etiam locis per se quidem planissimis & clarissimis, hæretici facillimè abutuntur (vt^a postea quoque docebimus ex^b Augustino) fundamentum est nostræ probationis firmissimum.

Sedenim hoc loco, cum à Scripturæ difficultatibus probamus, non esse eam sufficientem omnium quæstionum fidei iudicem, admodum impudenter Sectarij nobis obiiciunt, similiter nos facere atque hæreticos illos, quos D. Irenæus his^c verbis redarguit: *Cum ex Scripturis, inquit, redarguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum*
Scriptu-

*Scripturarum, quasi non RECTE habeant, neque sint EX AV-
CTORITATE, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex
his inueniri veritas ab iis qui nesciant traditionem.* Considerandum autem est, qua ratione D. Irenæus aduersus eiusmodi hæreticos pugnandum esse, tum putabat, & quomodo etiam illi in accusationem conuertebantur Scripturarum: quod in ipsis iure ac merito Diuus Irenæus accusauit. Nempe Irenæus Scripturæ testimoniis hæreticos illos (Gnosticos) reuincendos arbitratur, non ut quisque Scripturam, per ipsam Scripturam solam, intelligendam autumat, sed ut ab Ecclesia in primis intelligitur, ex viua etiam Apostolorum traditione, quæ fideliter custodiatur ab Apostolorum legitimis successoribus: quemadmodum statim ex ipso Irenæo audiemus. Contrà verò hæretici illi aduersus Scripturæ sententiam ex Apostolica traditione ab Ecclesia ipsa certissimè propositam, commentitiis suis tantummodò traditionibus, nulla Ecclesiarum auctoritate commendatis, nitebantur. Atque hîc contendebant, immeritò ac perperam ipsis Scripturas illas obiici: non enim eas habere alioquî certam auctoritatem, & variè esse dictas, neque posse ex illis elici veritatem sine adminiculo suarum illarum commentitiarum traditionum.

Hanc impudentiam quin rectè Diuus Irenæus taxauerit, dubium esse non debet. Etenim posteaquam Ecclesia sententiam aliquam ex Scriptura colligit, Scripturamq; proinde, ut est à se secundum Apostolicam traditionem intellecta, contrariis erroribus opponit; summa improbitas est, aliquid præterea in eiusmodi Scripturæ vel auctoritate, vel interpretatione, quocumq; id fiat siue difficultatis siue obscuritatis prætextu, desiderare. Quæ enim Scriptura per auctoritatem Ecclesiæ com-
menda-

*Postquã locum
Scripturæ ali-
quis ab Ecclesia*

*explicatus est,
fas nō esse illius
obseruatiōē ad
erroris defen-
sionē causari.*

b Lib. 1. c. 1.

c Lib. 3. c. 11.

*Ab ipsis potius
Sectariis Scri-
pturas hodie
accusari, sicut
olim à Veterib.
hæreticis.*

*In illo cap. 2.
lib. 3.*

mendatur explicaturq; , ea iam hoc ipso & maximè est authentica , & splendidissimè clarissimeq; lucet, tanquam lucerna videlicet (vt suprà exponebamus) posita super candelabrum. Num verò cum ea , quam Irenæus hîc incusat, hæreticorum veterum in Scripturis ipsis accusandis petulantia , quidquam est commune Catholicis propterea quòd sentiunt, Scripturam, si per se & ex se quidem sola , semoto Ecclesiæ lumine, quo ipsa illustratur, consideretur, difficilem ad intelligendum eam tenuq; obscuram esse? Nōne eiusmodi alioquî intelligendæ Scripturæ difficultas in causa est, quam ob rem hæreticis omnibus procliue sit , suis etiam figmentis (vt ostendit luculenter idem Irenæus) Scripturas accommodare, illaq; etiam paliare ipso sacrosancto Euangelij nomine? Quid quod ipsi potius Sectarij eodem planè modo in accusationem hodie conuertuntur Scripturarum, quem in Gnosticis illis hæreticis Irenæus hîc notauit? Etenim quas Scripturas manifestas eorum erroribus opponit Ecclesia , eas dicunt vel non esse *ex auctoritate* (vt quæ afferuntur ex lib. Machab. & ex epistola Iudæ, &c.) *vel non re-ctè* ita habere sicut ab Ecclesia explicantur, nec posse ex his inueniri veritatem ab iis, qui nesciant Lutheranam traditionem. Quanta igitur Sectariorum impudentia hæc est, cum nobis Irenæi locum obiicere, in quo nihil minus quàm nostra de Scripturæ difficultatibus sententia, sed ipsorū potius Sectariorum in sanctas Scripturas crimen iustissimè vituperatur?

Sed ne hanc à nobis Diui Irenæi sententiæ explanationem pro arbitrio nostro, non ex ipsius mente Irenæi, proponi, Sectarij suo more cauillari possint, age, quæ illi hæreticorum accusationi eodem in loco Diuis Irenæus opponit, audiamus: *Cum autem, inquit, ad eam iterum* (id est,

est, præter Scripturam) traditionem, qua est ab Apostolis, qua per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, aduersantur traditioni, dicentes, se non solum presbyteris, sed etiã Apostolis existentes sapientiores inuenisse veritatem; se indubitatè, & incontaminatè, & sincerè (dicas, Lutheranum aliquem, vel Calvinistam, loqui) absconditum scire mysterium. Euenit itaq; neg. SCRIPTVRIS iam, neque TRADITIONI consentire eos. Vides, SCRIPTVRAS, & TRADITIONEM in Ecclesiis præter Scripturas, per successionem presbyterorum custoditam? Vides, quemadmodum Irenæus ad Scripturam, in disputatione contra hæreticos, traditionem quoque adhibendam, & ex ea Scripturam interpretandam, atq; ita demum aduersus hæreticos Scripturam vrgendam, existimauerit? Vides denique Irenæum non nisi illos hæreticos accusare, qui Scripturam, postea quàm est ab Ecclesia (hoc est, ab eo fidelium cœtu qui solus pro Ecclesia Christi in orbe sit agnitus) explicata, tanquam dubiam atque incertam inculant? Sed quia de probatione prima, ab obscuritate Scripturæ sumpta, satis, vt arbitror, ad errorem Aduersariorum redarguendum, qui Scripturam solam de fide iudicare volunt, dictum est, alia etiam argumenta subiungemus, quibus item assertio nostra confirmetur.

SI Igitur hæc secunda probatio. Si maximè Scripturæ sententia vbique esset clara: tamen quædam de fide quæstiones & fuerunt aliquando, & esse possunt, quæ sola Scriptura definiri nullo modo valent. Non est igitur Scriptura sola, illa auctoritas, quam inquirimus, diiudicandi quæstiones fidei omnes. Id probatur, quoniam fieri potest, vt in dubium vertatur auctoritas ipsa tota & doctrina alicuius vel aliquorum librorum sacre Scriptu-

PROBATIO
II. quod Scriptura non sit sufficientis fidei regula.

Nō omnes quæstiones fidei posse terminari per Scripturam.

ræ; an scilicet in vniuersum à Deo reuelata sit. Hæc autem controuersia ex Scriptura aut rarò aut nunquam dirimi poterit. Itaque alia regula opus erit, quæ non modò iudicet de sensu Scripturæ, sed omnino de Scripturæ auctoritate: num sit diuina, quæ proinde contineat sententiam fidei. Scribit Eusebius, Simonidem fuisse quendam hæreticum, qui libros nescio quos prophetarum, præter eos, qui in sacro volumine sunt, comminisceretur. Eorum vnum Barchabam: alterum Barcham nominauisse. Hanc opinionem quomodo Scripturæ tantum testimonio refelleres? Item sanctus Augustinus auctor est, nonnullos omnia reiecisse Euangelia. Neque defuerunt, teste etiam Eusebio, quibus omnes epistolæ Diui Pauli in vniuersum improbarentur. De multis quoque aliis libris sæpe fuit in Ecclesia disputatum, an Canonici essent, cum vel tales aliqui falsò à quibusdam esse negarentur, vel importunè àlij, e mentito nomine Apostolorum, fidelibus obtruderentur. Quæ controuersiæ omnes non potuerunt Scripturæ solius auctoritate definiti in Ecclesia.

Itaque non modò falsa, sed admodum etiam frigida atque inepta Caluini sententia est, quum^b scribit, haud difficilius Scripturam Canonicam à non Canonica per se ipsam dignosci discerniq; posse, atque album à nigro, frigidum à calido, dulce ab amaro. Hoc si ita est, quomodo magis controuerti posset, an hic liber aut ille sit Scriptura Canonica, quàm vtrum ignis sit calidus, & aqua frigida; aut amarum fel, & mël dulce? Num verò ipsa de se tota nominatim, Scriptura loquitur? aut vllus in ea locus est, vbi Caluinus aut alius quispiam ex Sectariis legerit, singulos illos atq; omnes libros nominatim, qui sine controuersia sacri atq; Canonici sunt, esse à Spiritu san-

Lib. 4. histo.
cap. 8.

Li. 2. Retract.
cap. 16.

Lib. 3. histo.
cap. 27.
Lege Ioann.
Dried lib. 1. de
Script. & Ca-
num lib. 2. de
locis Theo-
log.

^b Lib. 1. instit.
cap. 7.
*Ineptum Cal-
uini commen-
tum de ratione
discernendi Scri-
pturam Cano-
nicam à nō Ca-
nonica.*

sancto dictatos? Cur igitur doctrinam illam in eis libris contentam, diuinam esse credunt, si nihil arbitrantur certa fide credi oportere, quod ex ipsa Scriptura non didicerint?

Quod si aliam præter Scripturam necesse est esse infallibilem fidei regulam, quæ doceat id quod in fide est maximum, nempe Scripturæ ipsam doctrinam esse in vniuersum diuinam; profectò est insania non credere, illam ipsam regulam infallibiliter item docere quæ sit sententia eiusmodi diuinæ doctrinæ. Simile namq; illud est, quod præclare in primisq; sapienter scriptum est à Diuo Augustino; *Cur, inquit, non apud eos potissimum* (loquitur de Ecclesia Catholica) *diligētissimè requiram quid Christus præceperit, quorum auctoritate commotus, Christum aliquid præcepisse iam credidi: Tu ne mihi melius expositorus es, quid ille dixerit, quem fuisse aut esse non putarem, si abs te mihi hoc commendaretur esse credendum? Quæ igitur, inquit, ista tanta dementia est? Illis crede Christo esse credendum: & à nobis discere quid dixerit? Multò facilius mihi persuaderem Christo non esse credendum, quam de illo quidquam nisi ab iis per quos ei credidissimè, discendum.* Hæc ibi diuinè profus Augustinus.

Quæ nos similiter Lutheranis & Calvinianis hominibus, vt ille tunc Manichæis, pro Ecclesiæ Catholice auctoritate, quam esse fidei magistram post ostendimus, dicere possumus. Agite enim vos seu Lutherani seu Calviniani Sectarij: Cur non apud Ecclesiam Catholicam potissimum requiremus quid Deus omnino in libris sacris docuerit, cuius auctoritate commoti credidimus, Deum aliquid omnino docuisse in iis libris? Vos ne melius quàm Ecclesia Catholica, exponetis nobis, quid in Scripturis Deus dixerit, quem nec dixisse omnino in Scripturis aliquid, nisi hoc Ecclesia docuisset, crederemus?

O 2. Et

Non posse secundum Sectarios certò credi, Scripturam quam habemus, esse Canonicam.

Peruersitas Sectariorum quod ab ea Ecclesia nolint discere, qua sit sententia Scriptura, à qua coguntur discere - aliquam omnino esse Scripturam. Id quia sit certus ostenditur ex Augustino. e Lib. de utilit. cred. cap. 14.

NOTA.

Et quæ isthæc insania est: Ecclesiæ crede, Deo in Scripturis loquenti esse credendum, & à nobis potius, qui Scripturam rectius quàm Ecclesia intelligimus, quid in eis Deus dixerit, disce. Ego verò, vt ex Augustini mente atq; sensu loquar, vehementer admiror, cur non multò faciliùs sibi persuadeant, qui Caluino, aut Luthero credunt, Scripturæ diuinæ nihil omnino esse credendum, quàm ex ea quidquam, nisi ab Ecclesia perquam ei crediderunt, esse discendum. Quanquam hic tandem multorum exitus miserimus est, vt nec Scripturæ ipsi credant, postquam Ecclesiæ quam Scriptura cõmendat, & à qua ipsos etiam Scripturam discere atq; accipere oportuit, non credunt.

Sed Ecclesiæ in fide docenda auctoritatem postea in proprio loco asseremus. Nunc quia Scriptura sola de præcipuis fidei quæstionibus, & imprimis ad salutem necessariis, quæ scilicet de auctoritate sunt ipsius Scripturæ, nihil, ne obscure quidem, definit: rectè concludimus, non ipsam esse iudicem sufficientem ac regulam illam generalem in omnibus controuersis fidei, quam inquirimus. Huc accedit, quòd ne de aliis quidem multis fidei dogmatibus peculiaribus, quæ certissimè credi debent, Scriptura ipsa docet. Quod non meis, sed Augustini verbis breuiter indicabo, vt minus possint repugnare Aduersarij; Credo, inquit, *consuetudinem non rebaptizandi hereticos ex Apostolica auctoritate venire: sicut MULTA non inueniuntur in literis eorum, neq; in Conciliis posteriorum: & tamen quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, nõ nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Sic ille. Item alibi: *Patrem, inquit, in sacris libris nusquam ingenitum legimus, & tamen dicendum esse defenditur.* Item: *Da, inquit, testimonia, ubi adoratur Spiritus sanctus. Quasi non ex iis quæ legimus, aliqua etiam*

Quedam esse fides dogmata, quæ Scriptura ipsa nõ docet.
Lib. 2. de Bapt. contra Donatist. cap. 7.

Epist. 174. sub initium.

Lib. 3. contra Maximin. Arian. c. 3.

etiam quæ non legimus intelligamus. Sed ne querere multa compellat: tu ubi legisti, Patrem Deum ingenitum vel innatum? & tamen verum est. Item: Multa sunt, quæ uniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc Apostolis præcepta benè creduntur, quanquam scripta non reperiantur. Hæc ille. Atq; vt alia exempla præteream. Nullus Christianus est, qui perpetuam beatissimæ Dei matris virginitatem contra blasphemiam Heluidij (vt in libro de Ecclesiasticis dogmatibus appellatur) non putet sibi esse credendam. Et tamen ex Scriptura certè non hoc dogma satis probabitur.

Quæ cum ita sint, necesse est vt aliter, atque intelligunt Aduersarij, interpretemur locum illum D. Pauli: *Omnis^d Scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, &c. vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Sententiam enim huius loci esse volunt, Scripturam ipsam solam sine adminiculo alterius regulæ omnia docere, quæ ad rectam fidem, atq; ad absolutam Christiani hominis perfectionem sint necessaria. Qua in re magnopere, vt in aliis omnibus decipiuntur. Nam ibi Apostolus, non Scripturam solam sufficientem esse, vt perfectus sit homo Dei, dicit, sed simpliciter ad eam rem affirmat Scripturam quidem valere. Hoc autem duobus modis intelligi potest. Primò, quasi ipsa Scriptura immediatè omnia tradat. Hoc minimè vult Apostolus. Secundò, quoniam Scriptura, quæ sunt credenda & facienda aut ipsa tradit, aut certè auctoritatem, à qua illa peti debent, nobis monstrat commendatq;. Hoc modo Apostolus vult, & Orthodoxi etiam sentiunt, Scripturam continere, quæ ad salutem sunt necessaria. Ita fit, vt præter Scripturam suam etiam maneat alicui alteri auctoritati in controuersis fidei locus. Quod profecò^d D. Augustinus intellexit, cum ita scripsit: *Scripturarum à nobis tenetur*

Lib. 5. de Bapt. contra Don. cap. 23.

Cap. 67.

Responso ad D. Pauli testimonium, quo potissimum suadere solent Seditarij Scripturam solam ad terminandas omnes de religione controuersias sufficere. d. 2. Tim. 3.

Qua ratione dici possit, Scripturam docere omnia quæ sunt ad salutem necessaria.

Lib. 1. contra Crescon. Gramaticum, c. 23.

veritas cum id facimus, quod uniuersa iam placuit Ecclesie, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas: Vt quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit obscuritate questionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura DEMONSTRAT.

Quomodo item Patres sentiant ea solim esse certa, que probantur ex Scriptura.

Simili modo Patres, cum vni Scripturae omnia tribuere videntur, intelligi debent. Non enim eorum mens est a Scripturae auctoritate, vbi de fide iudicandum est, auctoritatem Ecclesiae, quae item ipsa diuina est, diuellere. Sed quemadmodum, quando vni personae diuinae aliqua perfectio diuinitatis absoluta tribuitur, intelligunt Theologi, ab eius perfectionis communione creaturas tantum excludi, non autem personas alias diuinas, quae sunt eiusdem naturae: ita sancti Patres, sicubi Scripturae auctoritatem solam ad fidei quaestiones finiendas valere significant; Ecclesiae certè auctoritatem, quam item pro diuina habent, minimè excludunt, sed alia tantum siue testimonia, siue argumenta quae sint tantum humana. Nam si non ita intelligerent: profectò nunquam illi in controuersis fidei ipsa per se auctoritate Ecclesiasticae traditionis ad probandum vterentur. At & videntur ea ipsi frequentissimè, vt infra quoque suo loco videbimus, & vtendum esse docent. Quo in genere praeter Augustini testimonia, quae paulò antè allegauimus, illustris etiam illa D. Basilij oratio est: *Plurima, inquit, mystica citra Scripturam inter nos versantur. Et Apostolicum arbitror esse, etiam in non scriptis traditionibus perseuerare.* ^b *Laudo enim, inquit Apostolus, vos, quòd omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis traditiones continetis, &c.* Ita Magnus Basilius.

L. de Spiritu sancto, c. 29.

1. Cor. II.

PROBATIO III.

TERTIA probatio. Regula quae ad iudicandas omnes fidei quaestiones diuinitus est instituta, proculdubio accom-

accommodatissima est ad cognoscendos & cauendos errores omnes fidei contrarios. Nam ad eam rem talis aliqua regula diuinitus est proposita: vt homines ad illam iudicium suum conforment, atque ita repudiat erroribus rectam fidem complecti tenereque possint. Neque putandum est, aut voluntatem, aut sapientiam, aut facultatem Deo defuisse, quo minus nobis ad eum finem optimam atque accommodatissimam regulam diuina sua prouidentia pararet. At Scriptura sacra sic omnino composita est, vt experientia etiam doceat, eam per se solam non tam regulam accommodatam esse ad declinandos omnes errores, quam arcano Dei iudicio esse uelut lapidem offensionis, & in tentationem (vt Sapiens de Dei creaturis inquit) *pedibus insipientium*, vt qui uelint ea sola niti facillime impingant & errent. Vnde enim vlli errores existunt nisi de Scripturis male intellectis? Aut qui fieri potest, vt qua doctrina tam facile ab hominibus adulteratur, vt in patrocinium omnium errorum aduocetur, eadem sit accommodatissima appositissimaque regula ad reiiciendum omnes omnino errores? Non magis hoc certe stare potest, quam si quis diceret, illud esse accommodatissimum remedium ad recte videndum, ex quo accideret omnes caecutire quicumque fierent caeci.

Quod enim dicunt Sectarij, id hominum culpa ac peruersitate, non Scripturae vitio, accidere: nos etiam fate- mur. Sed considerandum est, hoc ipsum quidem praeuidisse Deum: nempe vitio hominum fuisse futurum, vt quicumque forent haeretici, ij omnes Scripturae praetextu facile vterentur ad confirmandum errorem. Ita cum non sit vllum dubium, quin Deus in negotio fidei de optima & accommodatissima ad hominum naturam regula prospectum esse voluerit: profecto est dementia arbitra-
ri,

Non posse Scri-
pturam esse suffi-
cientem regulam
fidei, cum facili-
tatem sit illa
abusi ad erro-
res.

Sap. 14.

Ipsimet se ve-
niant Sectarij
cum respon-
dent hominum
vitio fieri, vt
Scripturae pra-
beat occasione
errandi.

Epist. 222. ad
Consentium.Tract. 18. in
Ioan.

NOTA.

Lib. 2. de nu-
ptiis & concup.
cap. 31.* Circa illius
lib. medium.

Matth. 7.

ri, non aliam esse eiusmodi fidei regulam, nisi Scripturam. *Omnes enim heretici, inquit D. Augustinus, qui Scripturas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores. Et alio in loco: Neque enim, inquit, natae sunt hereses, & quaedam dogmata peruersitatis illaqueantur animas, nisi dum Scripturae bona intelliguntur non bene: & quod in eis non bene intelligitur etiam temere & audacter asseritur.* Hæc ille. Et obseruatione dignum est, quod idem Augustinus alibi verissimè scribit, non modò locos Scripturæ obscuros, sed etiam eos qui sunt aperti & clari corrumpi ab hereticis. *Non est mirum, inquit, si Pelagiani dicta nostra in sensus, quos volunt, detorquere conantur, quandoquidem de Scripturis sanctis, non ubi obscure aliquid dictum est, sed ubi clara & aperta sunt testimonia id facere consueuerunt, more quidem hereticorum etiam ceterorum.* Quam obrem & Tertullianus in præscriptionibus aduersus hereticos ita scriptum reliquit: *Non ergo, inquit, ad Scripturas prouocandum est; nec in his constituendum certamen, quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut parum certa.*

Neque Augustini modò, & Tertulliani, aliorumque Patrum ea de hereticis sententia est, sed Christus etiam facillimè ab illis doctrinam corrumpi subindicauit, cum admonuit, vt ab iis tanquam à falsis Prophetis, caueremus. Nam idè falsi Prophetæ à Christo sunt dicti, quia cum Prophetæ, id est, interpretes diuinæ sententiæ, propter externam diuinæ doctrinæ quasi speciem, verissimiliter videntur: minimè tamen Prophetæ sunt. Videntur Prophetæ: quoniam Scripturæ verba proferunt, quæ diuinæ doctrinæ sunt caracter & quasi externa species. Sed Prophetæ non sunt: quoniam sub ea verborum diuinorum externa specie non ostendunt nobis genuinam Spiritus sancti sententiam, sed adulterinas suas peruersasque opinio-

opiniones sacrilegè in verbis sacris à se collocatas *tanquam abominationem* (vt eleganter Origenes notauit) *stantem in loco sancto*. Quod ipsum appellatione quoque *luporum rapacium, qui vestimentis induti sint ouium*, Christus nobis declarauit. Nam *quanam ista sunt pelles ouium* (inquit Tertullianus) *nisi nominis Christiani (& Scripturæ) extrinsecus superficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus & spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes? Qui pseudopropheta nisi falsi predicatorum, &c.* Quem Tertulliani locum pulchrè quoque Vincentius Lyrinensis imitatus & prosequutus est. Atque etiam huc pertinet quod elegantissimè hic ipse Lyrinensis dicit, vbique hæreticos Scripturæ verbis opinionum suas *tanquam quodam aromate aspergere ne fetorem exhalent*. Quæ quidem idè recitauit, vt quoniã vniuersi hæretici facillimè Scripturas omnes *in suam perditionem*, sicut D. Petrus inquit, *deprauant*: intelligamus certè, non in Scripturis solis vniuersalem illam & ad hominum salutem accommodatissimam totius fidei regulam, quam inquirimus, diuinitus constitutam esse.

QUARTO. Quomodo posset stare ea Respublica in qua scriptis tantum legibus ita causas politicas diiudicari oporteret, vt priuato cui libet atque ad eò ipsi etiam reo esset integrum ad scriptarum legum normam iudicia quæcunque exigere, nec prius acquiescere, quam ipse persuaderet sibi cum legum sententia congruere controuersiarum definitionem? An esset vnquam in illa Respublica controuersiarum exitus aliquis futurus? Quilibet certè in suo sensu abundaret & vim faceret legibus, vt eas ad suam mentem & causam quoquo modo inflecteret. Itaque, vt ea perturbatio & confusio tolleretur, omnes intelligunt necesse fuisse Magistratus tanquam iusti-

P tæ

Homil. 29. in Matth.

Matth. 7.

Lib. de præscript. hæretic. non longè ab initio.

Lib. contra profanas hæresum nouit.

2 Pet. 2.

PROBATIO IIII.

Lib. 5. eth. ca. 5.

*Non esset Ec-
clesia rectè con-
stitutà si sola
Scriptura qua-
stiones fidei de-
finiri oporteret.*
Eph. 5.

tiae normam animata tam, ut Aristoteles inquit, in populis exstare, atque etiam aliquam auctoritatem parem ipsis legibus, cuius sit summa potestas iudicandi finemque omnino imponendi litibus. Num verò censebimus, rationem iudicandi fidei causas minus aptè in Ecclesia diuinitus esse constitutam, quàm sit ratio in Rebus publicis dirimendi controuersias politicas? Non est id quidem vlllo modo credibile. Nam *dilexit Christus Ecclesiam*, nec facultas aut sapientia illi defuit, quo minus optima ratione eius statum constitueret. Quam ob rem, ut finis facile esse posset controuersiarum de doctrina fidei; præter auctoritatem, quæ est in Scripturis Canonicis infallibilis, aliam aliquam procul dubio infallibilem item auctoritatem eamque animatam in Ecclesia Deus esse voluit, cui debeant omnes in iudicio fidei parere, licet ipsi non penitus etiam videant quemadmodum ea auctoritas conuenienter Scripturæ iudicet.

PROBATIO
V.

2. PET. I.

*D. Petri testi-
monio proba-
tur, nullum Scri-
ptura primarum
studium sine
magisterio al-
terius infalli-
bilis regula sus-
ficere et certa
Scriptura sen-
tentia de con-
trouersia fidei
cognosci possit.*

QUINTO. Cum tam seriò ac grauitè admonuit Beatus Petrus, ut hoc imprimis sciremus, *quod omnis*, inquit, *prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit*: obsecro, quid significare voluit? An tantum ut non putet aliquis esse sibi vnum aut alterum Scripturæ locum ingenio proprio, non consultis & collatis aliis Scripturæ locis intelligendum? At hoc quis omnino hæreticorum putat? Quid opus erat hoc tam seriò admonere? Item, si vnum aut alterum locum Scripturæ, ingenio sensuque proprio interpretari non licet: quantò minus licebit, interpretari proprio sensu atque auctoritate locos Scripturæ plures, inter quos collatio instituitur? Quid ergo illud est, quod Diuus Petrus vult? Videamus quomodo loquitur. *OMNIS*, inquit, *prophetia Scripturæ, &c.* Non dicit, *Hæc*, aut *illa tantum*: sed absolutè ac sine vlla excep-
tione,

ptione, omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Hæc igitur vis atque sententia huius Apostolicæ monitionis est: Neminem priuato suo labore atque proprio studio, quacunq; demùm ratione, atque adeò etiam ne ex ipsa quidem Scriptura doctrinam Scripturæ certò ac infallibiliter in controuersis quæstionibus intelligere posse: sed opus esse, vt discat ex aliqua alia auctoritate in Ecclesia communi, per quam Spiritus sanctus communiter loquatur ac omnes doceat. Nam, vt ipse Apostolus ibidem subiungit, quemadmodum *non auctoritate humana, sed diuina loquuti in Scripturis sunt sancti Dei homines*: ita etiam non humana ac propria industria huius vel illius hominis, vllò modo, ne ex ipsa quidem Scriptura, sententia Scripturæ certò cognoscenda est, sed ex aliqua auctoritate, item diuina, per quam ipse Spiritus sanctus, qui Scripturæ auctor est, sit etiam certissimus Scripturæ interpres. Ita fit, vt sola Scriptura non sufficiat nobis ad certò diiudicandas fidei quæstiones.

Atque etiam hinc intelligitur, quemadmodum ex mente atque sententia planè ipsius D. Petri, supra exposuerimus, quod ille hoc in loco dixerat, Scripturam *quasi lucernam quandam esse, cui lucenti in caliginoso loco benè faceremus attendentes*. Docuimus enim, Scripturam quidem lucernam per se esse: sed eam tamen non modio proprii iudicij comprehensam, sed in auctoritate Ecclesiæ tanquam in candelabro constitutam, illuminare nos posse. Quod, vt D. Petrus doceret; statim ac dixerat Scripturam esse lucernam, subiunxit admonitionem, ne quis hoc ita intelligeret quasi illuminaret ea etiam secundum propriam alicuius interpretationem, valeretque proinde ipsa sola ad terminandas fidei quæstiones sine communi & certa alia regula.

Probatione 1.

PROBATIO
VI.

*Aequè probari
potest Deum nõ
docere per solũ
Scripturam at-
que non docere
per se ipsum so-
lum sine hu-
mano villo me-
dio.*

1. Cor. 11.

NOTA.

SEXTÒ. Potest huc etiam illa forma argumentandi rectissimè accommodari, qua suprà sumus vñ, vt probaremus, Deum per se solum sine villo alio medio non docere. Nam ab iis etiam, qui asserunt, per Scripturam solam Deum omnes ac singulos de rebus fidei sufficienter docere: quærendum est, vtro modo id Deus faciat? Nunquid ita omnes ac singulos Deus per solam Scripturam docet, vt nequeant omnino ipsi falli dum iudicant se aliquid in fidei quæstionibus didicisse ex Scriptura diuinitus? An verò ita, vt permittat eos in eiusmodi iudicio quandoque falli? Primum dici non potest. Nam, vt suprà quoque ex Apostoli sententiã dicebamus, oportet *hereses esse*, & fuerunt ferè omni seculo ac sunt iam, ob Scripturam falsò intellectam, plures etiam quàm oporteret. Quod si Deus illo altero modo per Scripturam solam docet; permittendo videlicet, vt homines falsò putent, se ex Scriptura didicisse id, quod Scripturæ est contrarium: non magis isto modo consulisset saluti hominum, quàm si ipse solus per se sine omni medio doceret. Nam cum Scriptura nec linguam, vt sese ipsa sonora voce declaret, habeat, & præterea difficilis, vt euidenter suprà ostendimus, atque obscura nobis sit: atque ferè facillè decipi possumus in existimando nos aliquid ex Scriptura didicisse, atque in iudicando nos didicisse sine villo medio ex ipsomet Deo: vt plus etiam satis hereticorum omnium exemplo, tam facillè ad errores suos Scriptura ab utentium, comprobatur. Quemadmodum igitur propter eiusmodi facilitatem errandi non esset factis hominibus prospectum, si absque medio Deus doceret: ita neque si doceret per solam Scripturam absque alia quadam auctoritate administra, quæ viuat & loqui clarè ipsa possit, ne quis in eius sententiã percipiendã facillè decipiatur. Arque

Atque iisdem fermè argumentis efficitur, neque so- lam traditionem viuæ vocis eorum, qui olim vita defun- cti sunt, esse regulam sufficientem fidei, quæ valeat per se sine alia aliqua infallibili ac præfente auctoritate omnes omnino definire fidei quæstiones. Nam primùm, sicut de auctoritate ipsius Scripturæ necesse est per aliquam ali- am certam regulam constare, ita etiam de auctoritate traditionis, si ea quoq; reuocetur in dubium. Non enim traditio loquitur etiam ipsa clarè & perspicuè de sese: vt neque ipsa Scriptura. Deinde cùm traditio scriptis ferè doctorum Orthodoxorum in Ecclesia cõseruetur: quæ- stiones ac dubia moueri possunt de sensu illius, sicut du- bitatur sæpè de sensu ac mente doctorum. Eiusmodi au- tem quæstiones, cùm erunt ortæ post traditionem; quæ semel tantùm, vt ita dicam, loquuta est, neque præterea amplius loquitur; certè per eandem ipsam traditionem definiri satis non poterunt. Postremò multæ in Ecclesia variis temporibus definitæ ac declaratæ sunt sententiæ fidei, & deinceps similiter, motis controuersis, definiri possent, de quibus antè non fuerit vsque ad eò expressa traditio.

Quod si igitur aliquam humanam auctoritatem di- uina assistentia infallibilem, magistram ac iudicem, in omnibus quæstionibus fidei, extare necesse est, vt superi- ùs probauimus: neque verò ea est illorum hominum propria, qui olim diuinam doctrinam aut verbo, aut scri- pto tradiderunt, & vita defuncti sunt, vt iam etiam pro- batum est; restat, vt uiuat hæc auctoritas successione semper inter fideles præfens, quemadmodum in assertio- ne nostra posuimus. Atq; hoc in loco velim, vt ij, qui se- cõdis hodie additi sunt, incipiant secum perpèdere, quan- toperè à recta fide aberrant: si quidem eam discere no- lunt

Nec præteritã aliquam tradi- tionẽ sine præ- fenti auctori- te iudicem esse sufficientẽ om- niũ controuer- sariũ fidei. Id probatur 1.

2.

3.

Concluditur ex dictis aliquam auctoritatem in Ecclesia præ- sentem esse iu- dicem fidei.

lunt ex aliqua auctoritate præsentē: cuius tamen solius, ut probatum est, absoluta & plena potestas est de omnibus fidei quæstionibus iudicandi. Sed progrediamur ad reliqua.



ANALYSIS

FIDEI CATHO

L I C A E, &c.

P A R S S E X T A.

CVM AVCTORITAS
ILLA, MAGISTRA FIDEI, APVD

ipſos Chriſti fideles perpetuò vigeat, non alibi vel quæri debet vel inueniri poteſt, niſi apud veram Chriſti Eccleſiam, hoc eſt, apud congregationem verè fidelium. Ea verò congregatio non alia eſt quàm cætus eorum, qui Romano Pontifici pro tempore exiſtenti parent.



QUOD illa auctoritas, cuius eſt omne fidei iudicium, in Eccleſia vera Chriſti fidelium quærenda ſit, nec alibi inueniri poſſit: id verò probatione noua nihil indiget. Nam ſi rota cuiſmodi auctoritas ad vſum & ſalutem Chriſti fidelium eſt diuinitus inſtituta, viuitt que ut probatum eſt ſemper, ac præſtò in omnibus fidei quæſtionibus a deſt: fruſtrà niſi inter fideles ipſos, atq; ad eò in Eccleſia quæreretur. Sed ut illam de-
mum

num auctoritatem in Ecclesia Christi vera intueniamus, necesse est primùm inueniri ac ostendi eam ipsam veram Ecclesiam Christi fidelium. Hanc asserimus esse congregationem seu cœtum eorum hominum qui Romano Pontifici pro tempore existenti parent, id est, Romanam Ecclesiam. Hoc nunc probandum est. Quam ad rem necessariò dicendum primo loco erit, & de ratione ipsa in genere veræ Christi Ecclesiæ, & de proprietatibus eius, quæ partim ipsi in Scriptura sacra, partim in fidei symbolis tribuuntur. Nam congregationem illam, quæ Romano paret Pontifici, atque adeò hanc ipsam quæ nunc paret Gregorio XIII. Pontifici Maximo, esse veram Ecclesiam Christi; tum demum probabimus, si ostenderit ei congregationi conuenire prorsus & rationem & proprietates veræ Christi Ecclesiæ. Dicam igitur primùm de his duabus rebus, hoc est, de ratione & proprietatibus veræ Ecclesiæ, & breuiter, & meo modo, quæ ad rem pertinebunt. Et quia cõtrouersia est inter nos & Sectarios, non modò quæ sit vera Ecclesia, sed etiam ex quibus notis ac proprietatibus Ecclesia vera probari debeat: istud quoq; deinde constituemus. Ita enim aperta demum atq; expedita via erit, vt probemus id quod nunc agimus, Ecclesiam Romanam, id est, congregationem, quæ Romanum Pontificem pro pastore habet, esse veram Ecclesiam. Si quis verò, de ipsa quidem ratione ac forma Ecclesiæ in communi, plura fortasse, quàm ego dicenda putem, desiderabit, (quanquam rem ipsam cõplectemur) ea petet ab aliis qui antè de Ecclesia scripserunt. Nam tractârunt id argumentum latissimè Thomas VValdensis lib. 2. doctrinalis fidei antiq. c. 9. & deinceps, Ioannes Turre Cremata in summa de Ecclesia. Ioannes Driedo lib. 4. de variis dogmat. c. 2. Albertus Pigius lib. 6.

Vnde et quomodo probandum sit congregationem aliquam esse veram Ecclesiam Christi.

de

de Ecclesiastica hierarchia. Melchior Canus toto lib. 4. de locis Theologicis. Hofius Cardinalis in Confessione Polonica, super Articulum de Ecclesia. Alfonso à Castro in suo opere aduersus hæreses, verbo, Ecclesia. Franciscus à Victoria in relectione de potestate Ecclesiastica. Franciscus Turrianus & alij quàm plurimi. Nos sanè eò potissimùm tractationem hanc totam dirigemus, vt manifestissimè constet, illam congregationem determinatè, quæ Romano Pontific, pro tempore existenti paret, esse veram Ecclesiam.

QVÆ SIT ECCLESIAE RATIO.

ERGO, vt remota vocabuli ambiguitate, rem illico aggrediamur, Ecclesia Græcè, Latinè est conuocatio, sicut omnes notant. Inde traductū est hoc nomen. 1. ad significandum locum ipsum, in quem conueniunt plures qui sint conuocati. Sic in libro Iudith ea vox accipitur, vbi scriptū est: *Totam noctem intra Ecclesiam orauerunt.* Hęc vocabuli vsurpatio ad præsens institutū non atnet. 2. Accommodatum est id nomen ad significandum coetum ipsum siue conuentum hominum conuocatorum: Quæ acceptio pertinet ad propositū. Sed animaduertendum est, nomen hoc in ea significatione, vtramq; in partem, nempe in bonam & malam à Scriptura sacra vsurpari. In malam, vt cū in Psalmo dicitur: *Odiui Ecclesiam malignantium.* In bonam autem, vt vbi legimus: *Laus eius in Ecclesia Sanctorum.* Iam verò Ecclesiastici Doctores in bonam tantū partem ea voce vtuntur: vt Ecclesia dicatur coetus eorum, qui diuinitus ad virtutis aliquam sanctæq; religionis societatem conuocantur. Et quemadmodum variis modis coetus aliquis virtute ac religione copulari potest: ita Ecclesiæ nomen in ea ipsa signifi-

Varios usus vocabuli Ecclesiæ.

Iudith 6.

Psal. 25.

Psal. 149.

significatione latè porro patet. Quæ sanè est causâ, quam obrem vbi de Ecclesiæ ratione agitur, nō expediat vnã tantum aliquam Ecclesiæ descriptionem ponere, sed satius sit plures magis & minus latè patentes, quæ totum Ecclesiæ ambitum, illiusq; varias acceptiones exponant, distinguere. Ita enim, semotis verbi controuersis, commodius, quod ad rem ipsam attinet, intelligi poterit. 1. quid Ecclesiæ conueniat iuxta vnãquamq; acceptionem nominis, in illa vltima significatione, quæ est in vsu Ecclesiastico. 2. qui nam errores circa variã Ecclesiæ rationem seu varias eius partes vitari debeant. 3. quæ sit Ecclesiæ acceptio & descriptio apud Doctores vsitator, quæ precipuas huius loci difficultates contineat.

Tria in Ecclesia ratione cõsideranda.

Secundum postremam igitur nominis acceptionem in bonam partem, quam apud Ecclesiasticos doctores diximus esse vsitatam, potest primò Ecclesia describi latius, vt sit eorum multitudo, quos beneficio vocationis diuinæ verus Dei cultus & vera Dei cognitio indita diuinitus cõiungit: siue ea quidem cognitio sit obscura, qualis est cognitio fidei, siue clara & aperta, cuiusmodi est beatorum. Isto modo latissimè Ecclesia patet. Atq; ita de illa loquuntur doctores, quando tripartito eam diuidunt: nempe in militantem hac in vita cum eius hostibus, mundo, dæmone, & carne; & peccata expiantem in purgatorio; atq; triumphantem in patria cœlesti. Hoc tam amplo modo definita Ecclesia, in ipsa conditione Angelorum suum habuit initium. Nam sunt illi creati cum vera cognitione Dei: imò etiam in gratia, vt verissimè sentiunt grauiores^a Theologi. Quocirca ad Ecclesiam communi isto modo acceptam pertinent: vt Diuus Bernardus & D. ^c Thomas notauerunt.

Ecclesia descriptio cõmuni sumpta.

^a Lege Diuū Thom. 1. p. q. 62. art. 3.
^b Serm. 27. in Cantic.
^c 3. p. q. 8. ar. 4.

2. Alio

*Alteri descri-
ptio Ecclesiam
nus cōmuniter
sumpta.*

Ephes. 2.

*Quae fuerit Ec-
clesia origo, qua
tenus est con-
gregatio homi-
num fidelium.*

d Lib. 4. de va-
riis dogmat.

e Cap. 22.

f Lib. 1. c. 25.
& 27.

g Enarratio. 1.
in Psalm. 142.
& lib. 15. de ci-
uitate Dei,
cap. 1.

2. Alio modo definitur angustius Ecclesia, ut sit hominum multitudo, quos verus Dei cultus, veraque cognitio, sed obscura, nimirum fidei, hae in vita coniungit. Sic Doctores accipiunt, cum asseuerant, vnam atque eandem esse veteris & noui Testamenti Ecclesiam, ob eandem videlicet fidem in eundem Christum Mediatorem: quae Patribus illis nobiscum fuit communis. Atque ideo Apostolus lapidem angularem Christum esse dixit, quo sit vtraque Ecclesia cōnexa. De initio Ecclesiae sic acceptae, non eodem modo loquuntur recentes scriptores. Aliqui asseuerant, illam ab Adam ducere suam originem, quod sentiunt Ioannes^d Driedo, &^e Hofius in Confess. Polonica. Sed Ioannes^f Turre-Cremata in sua summa de Ecclesia affirmat cōmuniorem esse sententiam, quod Abel dederit huic Ecclesiae initium. Id quod D.^g Augustinus sensit. Quæstio autem hæc non tam est de re, quam de nomine. Nam si Ecclesia illo modo dicatur hominum multitudo, quam coniungit fides & cultus Dei absolute; etiam si nullis externis carimoniis ac signis cultus eiusmodi declaretur: certum est, ab Adamo eam incepisse. Sin verò in ea Ecclesiae descriptione fides & cultus intelligantur cum carimonia externa; non constat certè Ecclesiam ita incepisse ab Adamo: quoniam non constat Adamum carimonia aliquam cultus externam vsurpasse ante Abel: quamquam id fortè non improbabiliter suspicari liceat. Ita cum Abel sit primus, de quo certò quidem cōstet externam cultus carimonia rectè adhibuisse Deo, ille ferè dicitur fuisse Ecclesiae sic acceptae principium: quod videlicet sciatur.

*Ecclesia descri-
ptio maxime
propria, si est
nempe Ecclesia
Christiana.*

3. Postremò pressius definitur Ecclesia ut sit hominum multitudo, quam congregat, non modò verus Dei cultus in hac vita & vera cognitio: sed etiã idem baptisimi Sacra-

Sacramentum, eademque professio Christianæ religionis. Sic diuersa est nunc Ecclesia ab ea, quæ fuit olim in lege veteri. Ad huiusmodi enim Ecclesiam propriè quidem atque simpliciter omnes & soli baptizati, ac verè Christiani pertinēt, siue p̄destinati sint, siue reprobi, siue iusti, siue iniusti, siue cuiuscūq; alterius cōditionis, dummodò fidē retineant integrā. Quamuis vt sunt in hac Ecclesia diuersi gradus, ita ex iis ipsis, qui ad eam pertinent, alij magis, alij minus arctè in hoc corpore copulantur. Inde enim fit, vt excommunicati certa quadam ratione dicantur non esse membra Ecclesie; quamuis, si sint verè fideles, absolutè quidem non sunt extra Ecclesiam: vt paulò pòst dicemus. Catechumeni verò, si per votum Baptismi, gratiam consequuti sint, & fidem ad eò habeant; ad Ecclesiam Christianam & ipsi pertinent secundum meritum: quamuis non propriè, & secundum numerum, vt rectè notat ex recepta Theologorum sententia Turrecremata. Hæretici autem ad Ecclesiam Christi non pertinent verè tanquam membra. Nam, vt redissimè inquit D. Augustinus: *Non quia videntur Ecclesie Christi habere nomen, idcirco pertinent ad eius consecrationem.* Quare & alibi de albatos tantum Christiano nomine eos esse dicit eleganter idem Augustinus. Quod idem asserunt Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, & alij communiter sancti Patres. Et clarum est testimonium Ioannis: *Ex nobis, inquit, prodierunt.* Hoc probat etiam inter ceteros diligenter Melchior Canus. Etsi autem hæretici verè ac propriè membra Ecclesie non sint, tamen minimè negandum est, quin quadam ratione ad Ecclesiam pertineant. Quia enim & characterem habent Baptismi, & aliquando membra Ecclesie fuerunt; illorum quædam cura ad eam pertinet. Vt manus v.g. à corpore

Q 2 cuius-

Varij Ecclesia
Christiana
gradus.

Lib. 1. summæ
de Eccles. c. 8.
ad argum. 8.
Vtrum hæretici
sint membra
Ecclesie?
Lib. 2. de nupt.
& cōcup. c. 31.
Li. 1. cōtra ep.
Parmen. c. 7.
Tertul lib. de
præscripti.
Cyprian, lib. 1.
epist. 6.
Ambros lib. 7.
in Luc. c. 11.
1. Ioan 2.
Lib. 4. de locis
Theolog. c. 2.

cuiuspiam abscissa: peculiari quodam iure ac ratione ad eius curam & potestatem attineret, cuius fuisset antea membrum. Ex quo intelligi debet, Ecclesiam, dum hereticos iure suo punit, minimè facere contra illud Apostoli: *Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare?* loquitur enim hoc loco Apostolus de infidelibus, qui nunquam in Ecclesia fuerunt, quos perspicuum est non perinde atq; hereticos ad Ecclesiae ius pertinere, nec Ecclesiae membra esse: nisi fortè membra dicas in potentia: quatenus ad fidem conuerti possunt. Quo pacto ad Ecclesiam eos pertinere, eorumq; caput esse Christum, docet B. Thomas.

Porro hæc Ecclesie ratio, quam ita breuiter nunc descripsi & exposui, omnium est frequentissima apud Orthodoxos scriptores. Sic Ecclesia propriè ad nos Christianos pertinet. Sic eam Apostolus vocat *societatem Iesu Christi Filij Dei*, ad quam simus immenso Dei beneficio vocati. Atque ad eam item pertinent Scripturæ noui Testamenti multæ ac variæ sententiæ, quæ nobis declarant qualis sit Ecclesie Christianæ forma & status, quamque varia & multa genera hominum illa cõplectatur: *Attendite*, inquit Apostolus, *vobis & uniuerso gregi: in quo vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei*. Hic quosdam esse in Ecclesia qui alios regendi auctoritatem habeant, & quosdam etiam qui aliorum auctoritate & cura regantur, clarè significat. Quam regendi potestatem Christus quoque declarauit inquit: *Si te non audierit dic Ecclesie: si autem Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*. Atque etiam reprobos cum prædestinatis, malos cum bonis (dum fidem quidem retinent) permistos esse in Ecclesia, vsque ad extremum diem Iudicij, multis similitudinibus in Scriptura significatur. Ideò siquidem, vt Augustinus rectè intellexit, Ecclesia comparatur *aræ*,
in qua

1. Cor. 5.

3. p. q. 3. ar. 4.

1. Cor. 1.

*Ecclesia Christiana quam
Varia hominũ
genera comple-
ctatur.*

Actor. 20.

Match. 18.

*Reprobos etiã
& malos esse
in Ecclesia.*

Tra 6. in Io-
an. Vide etiã

in qua triticum est cum palea, donec cribro perpurgatum re-
ponatur in horreum: palea autem comburatur igne inextingui-
bili. Ac eadem ratio comparationis est, cum esse Ecclesi-
am quasi sagemam dicitur, ex omni genere piscium congre-
gantem, qui primum in littore segregantur. Sic, inquit, erit
in consummatione seculi: Exhibunt Angeli, & separabunt malos
de medio iustorum, & mittet eos in caminum ignis. Item, Simi-
le est, inquit, regnum caelorum (id est, Ecclesia, ut recte D.
Gregorius interpretatur) decem virginibus: quarum quing-
erant prudentes & quing, fatue, &c. Ideo etiam Apostolus:
In magna, inquit, domo non solum sunt vasa aurea & argentea,
sed & lignea & fictilia, & quaedam quidem in honorem, quaedam
autem in contumeliam. Et illud quoque pulchre Augusti-
nus: Est in Canticis canticorum quod de sancta Ecclesia dictum
omnis Christianus agnoscit: Sicut lilium in medio spinarum, ita
proxima mea in medio filiarum. Vnde appellat spinas, nisi propter
malignitatem morum? Et easdem vnde filias, nisi propter com-
munionem Sacramentorum? Ac sunt quam plurima Scri-
pturae testimonia similia, ex quibus satis apparet, illam
Ecclesiae descriptionem, secundum quam affirmavimus,
omnis conditionis homines fideles in Ecclesia contineri,
certissima fide niti.

Ex qua doctrina tres errores circa formam Ecclesiae
Christianae facile refutantur. Primus Catharorum, Do-
naristarum, & Anabaptistarum. Qui commenti sunt, Ec-
clesiam ex iis tantum hominibus constare, qui gratia &
caritate perfecti sint, neque vlla sint infecti peccati ma-
cula. Secundus error fuit, Ioannis VViclephi, & Ioannis
Huis. Hi contenderunt, ne ex bonis quidem omnibus, sed
tantum ex solis praedestinatiss Ecclesiam constare. Terti-
us error est, aliorum quorundam Sectariorum, qui vo-
luerunt constare tantum ex iustis, quantumuis ij sint ali-

Q 3 quibus

de fide ad Pet.
cap. 43.

Matth. 13.

Matth. 22.

2. Tim. 2.

Lib. de vnitat.
Eccle. cap. 13.
Cant. 2.

Errores tres cir-
ca Ecclesiam Chri-
stiana formam
confutantur.
Huius erroris
meminit D.
Aug. lib. 3. co-
tra Parmen.
cap. 2.
Id apparet ex
Concil. Con-
stant. sess. 15.

*Non posset con-
sistere status &
gubernatio Ec-
clesiæ si ex solis
prædestinatis
aut iustis con-
sistat.*

Lib. 2. Retract.
cap. 18.

Sess. 15.

*Fundamentum
vnicum ex quo
refelluntur om-
nia argumē-
ta hæreticorum
qui volunt non
etiam consistere
Ecclesiæ ex re-
probis & malis.*

quibus obstricti peccatis. Aduersus hos omnes illa Scri-
pturæ testimonia, quæ sunt adducta, satis sunt & firma &
perspicua. Deinde etiam illa ratio eosdem reuincit,
quod si Ecclesia tantum ex perfectis, aut ex prædestinatis,
aut ex iustis constaret, omnis gubernatio siue regimen il-
lius funditus tolleretur. Nam neque superiores cogno-
scere possent suos subditos, neque vicissim subditi suos
superiores. Quis enim sciat vtrum sis perfectus, nec ne:
vtrum prædestinatus, an reprobus? vtrum iustus, an impi-
us? Propriè verò contra primum errorem valent illa, ex
quibus in materia de gratia probari solet, perfectam il-
lam iustitiam, quæ peccatum excludat profus omne, in
hac vita minimè reperiri. Quare Augustinus: *Vbicunque*,
inquit, *commemoravi Ecclesiam non habentem maculam neque*
rugam: non sic accipiendum est, quasi iam sit. sed quæ præparatur
ut sit: quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter
quasdam ignorantias & infirmitates membrorum suorum, ha-
bet unde quotidie tota dicat: Dimitte nobis debita nostra. Hæc
ille. Est etiam secundus ille error V Viclephi damnatus
in Constantiensi Concilio. Quod si quis plura hac de re
videre velit, legat inter ceteros auctorem eruditissimum
Ioannem à Turrecremata, lib. 1. de Ecclesia, cap. 54. & 55.
& Thomam V Valdensem, lib. 2. doctrinalis fidei antiq.
cap. 8. & 9. & Melchiorem Canum, lib. 4. de locis Theo-
logicis, cap. 3. Hi etiam scriptores ad argumenta illorum
hæreticorum facillè respondent.

Quibus sanè argumentis omnibus ex hoc vnicò fun-
damento occurri potest: nempe Ecclesiæ Christianæ,
cùm tam latè pateat, plures & eas valdè diuersas esse par-
tes. Nam qui non solum fide inter se & cum Christo ca-
pite coniuncti sunt, sed etiam gratia & caritate: ex iis præ-
stantior Ecclesiæ pars constituitur, quàm sit illa quæ con-
stat

stat ex hominibus fide duntaxat præditis: & ea pars Ecclesie omnium est præstantissima, quæ hominibus non modò fidelibus & iustis, sed etiam prædestinatis continetur. Si quid igitur interdum vel à Scriptura sacra vel à Patribus tribuitur Ecclesie, quod aut iustis tantùm, aut prædestinatis tantùm conueniat; id nõ ad Ecclesiam totam, sed per Synecdochem ad Ecclesie partes illas præstatiores referri debet. Quod si Patres etiam quandoque negant, peccatores esse membra Ecclesie; aut certè assèrunt membra ipsius esse mortua: sensus est, non eos esse membra sana & perfectà, quæ scilicet vita perfectà spirituali, hoc est, etiam gratia & caritate vigeant. Hoc tamen non obstat quo minus ratione fidei, quam à Christo capite percipiunt, vera alioquì membra simpliciter censeantur. Etenim vel ipsa fides vita est quædam spiritualis imperfecta, qua utcunque moueri possis & contendere in vitam æternam, licet minimè quidem sufficienter absque caritate. Ita vel sola participatione fidei in Ecclesie corpore connexus, tanquam membrum, hæret peccator. Velut si pars aliqua v.g. sic esset vnita corpori humano, vt non nihil vitæ participaret ex corpore, videlicet motum & vigorem per nutrimentum, non autem etiam sensum: membrum corporis censeretur, tamen si non sanum & perfectum. Quocirca non est certè ratio cur magnoperè recipiamus modum quorundam loquendi, qui aiunt, peccatores quidem Ecclesie partes dici posse, membra non posse. Quanquam quæstio est omnis de nomine: cum res ipsa quidem vno & eodem modo sine controuersia ab omnibus Orthodoxis intelligatur.

Ex eodem illo fundamento, quòd sint videlicet Ecclesie Christianæ partes multæ ac diuersæ; intelligi potest, qua ratione excòmmunicati, licet fideles sint, tamen à

Impi qui ratione sint & nõ sint membra Ecclesie.

Excòmmunicati quomodo

*sunt præcisi ab
Ecclesia.*

*Quomodo item
schismatici Ec-
clesia membra
non sint.*

^a Lib. de fide.

& Symb. c. 10.

^b 22. q. 39.

quibusdam dicantur præcisi ab Ecclesia neque membra eius esse. Hoc sanè verissimum est, si intelligatur esse præcisi ab ea parte Ecclesiæ, quæ non modò fide, sed etiam solennium precum atque suffragiorum mutua communicatione coniungitur. Sic etiam illud accipiendum quod verissimè à Theologis docetur, schismaticos, etsi non sint etiam hæretici (contingere namque id potest, ut intellexit quoque ^a D. Augustinus ac rectè ^b D. Thomas declarat) hoc ipso quòd schismatici sunt, non esse membra Ecclesiæ. Huius enim ratio est, quòd cum subtrahunt sese ab imperio summæ in Ecclesia potestatis (quæ est, ut infra probabimus, summi Pontificis) eo ipso ab recto desciscunt ordine, quem convenit Ecclesiæ membra habere cum illius in terris capite visibili, Christi vicario: atque ita ad potiorem illam & sanio rem Ecclesiæ partem non pertinent quæ non solùm inter se & cum Christo fide coniuncta est, sed etiam ordine recto subest atque coniungitur visibili capiti. Atque hæc pro instituto nostro sufficient, tum ad rationem ipsam Ecclesiæ per se intelligendam, tum ad rectè de quibusdam doctorum disputationibus iudicandum. Quos quidem apparebit ex dictis, etsi in aliquibus videantur circa rationem formamq; Ecclesiæ dissentire, re tamen consentire, tantumque propter varias Ecclesiæ acceptiones loqui diverso modo.

QUÆ SINT ECCLESIAE PROPRIETATES.

NUMERABIMVS hîc breuiter eas Ecclesiæ Christianæ proprietates quas ipsi vel Scriptura sacra, vel etiam fidei symbola sine controuersia tribuunt. Etsi autem varia numerandi ratio esse possit, neque magnoperè intersit, quomodo distinguas ac numeres; modo illa attribu-

*Ecclesia proprie-
tates varia ra-
tione numera-
ri posse.*

ta

ta quæ re ipsa conueniunt Ecclesiæ (sive alia illorum ad alia referas, sive ab aliis separe numerando, ac distinguas) cognoscantur: animaduerto tamen Ecclesiæ prærogatiuas, quæ quidem ad propositum attinere possint, esse potissimum octo. Ex quibus quatuor priores recitabimus ex vsitatis etiam fidei symbolis; Posteriores autem quatuor colligemus ex diuina Scriptura. Tum videbimus ex quibus earum, & quomodo, quænam sit vera Ecclesia probari debeat.

PRIMO igitur Ecclesia dicitur, vna. Hæc proprietas in symbolo fidei Nicæno habetur. Ac significatur ex Patrum sententia illis canticorum verbis: *Vna est columba mea.* Quæ verò sit huius vnitatis ratio, exposuit Apostolus. *Solliciti, inquit, seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ; Vnum corpus, & vnus spiritus, vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus & Pater omnium.* Quo loco Ecclesiæ vnitatem contineri docet vnitatem principij, videlicet Dei vocantis: tum vnitatem finis, nempe vitæ æternæ, quam speramus, & ad quam vocati sumus: tum vnitati mediolorum, per quæ nobis ad illam contendendum est, nimirum fidei, Baptismi, & reliquorum Sacramentorum, quorum quasi ianua est Baptismus. Explicat quoque speciatim illam Ecclesiæ vnitatem in alio loco ab vnitatem eiusdem cibi cœlestis, id est, Eucharistiæ, qua fideles omnes reficiuntur. *Vnus, inquit, panis & vnum corpus multi sumus omnes qui de vno pane & calice participamus.* Item id declarat ab vnitatem caritatis & doctrinæ, quæ sit eadem à fidelibus retinenda. *Vnanimis, inquit, in caritate id ipsum sentientes.* De quo modo vnitatis illud etiam intelligi potest: *Erat multitudo credentium cor vnum & anima vna.* Est etiam, sententiâ Patrum, Ecclesia vna ab vno pastore seu Episcopo, *cui plebs Christi-*

R *stiana,*

Potissimum numerari possent octo, si non tantum ex fidei symbolis, sed etiam ex Scriptura colligantur.

I. PROPRIETAS.
Ecclesia, vna. e Cypr. lib. de vnit. Eccles. August. tract. 6. in Ioan. &c. Cant. 6. Eph. 4.

Ecclesia vnitatem quibus rebus continetur.

I. COL. 10.

Philip. 7.

Actor. 4.

Lib. 4. epist. 10.
ad Florentiū
Pupianum.

stiana, vt Cyprianus inquit, *adunata coheret*. Cū verò dicimus Ecclesiam sic esse vnā; hoc intelligimus vnitatem totius. Nam ratione diuersi loci aut temporis non dubium est, quin plures Ecclesie dici possint, vt loquitur etiam sępē D. Paulus. Sed tamen omnes istiusmodi Ecclesie sunt partes vnus Ecclesie Christiane vnitatem totius. Et hoc quidem perspicuum est.

*Quid potissimū
in Ecclesie vni-
tate considerā-
dum sit, vnde
manifestē con-
uincitur vni-
tatem hanc
apud hæreticos
non esse.*

Sed illud deinde circa hanc Ecclesie proprietatem diligentissimè notari debet, Ecclesiam Christi non ob eam rem solū, ab vnitatem fidei & doctrinæ vnā esse ac dici, quoniam omnes qui sunt eius membra in eadem fide atque doctrina, quamdiu quidem sunt eius membra, consentiant actū: Sed ob id in primis ab vnitatem fidei & doctrinæ dicitur Ecclesia vna, quoniam modum atque rationem ipsa tenet accommodatissimam ad cōsensionem fidei & doctrinæ tuendam. Quod erit postea præcipuè ponderandum, cū ex hac Ecclesie proprietate probabimus, Ecclesiam Christi legitimam non apud vltimos Sectarios, sed apud eos solos esse, qui Romano parent Pontifici. Cur verò hæc Ecclesie proprietates ita necessariò debeat intelligi: ratio est in promptu clarissima. Etenim, si Ecclesie vnitatem in actuali tantū doctrinæ fidei cōsensione, & non præcipuè in ratione ad cōsensionē accommodatissima poneremus; nihil omnino magnum Ecclesie Christi tribueremus, dum illam propter vnā atque eandem fidei doctrinam asserimus vnā esse. Sed neque posset Christi Ecclesia per eam notam ab hæreticorum conuentibus vllō modo discerni. Quis enim vnquam fuit hæreticorum cœtus tam exiguus in quo qui ad eam pertinuerunt (quandiu pertinuerunt ad eam quidem) non fuerint actū de doctrina consentientes? Etenim vbi primum quis, prudens ac sciens, ab aliis dissen-

NOTA.

dissentit, eo ipso censetur à cœtu aliorum, qui secus sentiunt, alienus. Itaque hodie Lutherani, in publicis etiam suis scriptis, pro alienis ac planè pro hæreticis Calvinianos habent, & vicissim Calviniani Lutheranos: quia licet in vna & eadem familia, cuius insanū caput exstitit Lutherus, omnes principio fuerint: tamen postea inter se de fidei doctrina dissentire cœperunt. Non igitur in actuali tantum consensu: sed in primis in ratione aliqua optimè accommodata ad retinendum consensum vnitas Ecclesiæ Christi consistit. Quod velim diligentissimè considerari ab iis maximè qui sunt Sectariis, vel Lutheranis, vel Calvinianis addicti. Sed postea id quoque repetemus.

DE INDE dicitur Ecclesia, Sancta. Ita vtrumq; symbolum; atq; etiam Apostolus: *Templum, inquit, sanctum quod estis vos.* Et sunt rationes plures quam obrem Ecclesia sancta censi debeat. Decem collegit Ioannes à Turcremata in erudito illo suo ac prolixo opere de Ecclesia. Potissimæ sunt hæc. I. Quoniam secundum aliqua præcipua sua membra, nempe secundum iustos immunis est ab omni peccati macula mortali, quæ sola videlicet cum gratiæ sanctitate stare non potest & eius delet nitorem. Itaque per synechdochen Ecclesia sancta dicitur, propter iustos. Quemadmodum nationem aliquam, fortem dicere solemus: non quòd omnes eius nationis homines, fortes sint, sed quoniam aliquos gignit fortes. Neque verò obstat quod in Canticis de Ecclesia dicitur: *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.* Sensus enim non est, omnes ac singulos fideles in Ecclesia carere macula peccati mortalis, sed aliquos ita carere ea prorsus, vt sint toti mundi: id est, vt neq; secundum intellectum, neque secundum affectum, sint aliquo peccato mortali inquinati. Quam interpretationem doctè explicat ac di-

R 2 latat

II. PROPRIETAS.
Ecclesia sancta.
I. Cor. 3.

Lib. 1. à cap. 9.
vsque ad 17.

Quinq; præcipua causa cur Ecclesia dicatur sancta.

Cant. 4.

latat Ioannes Turrecremata, Quanquam dici etiam potest, sententiam illam non ad Ecclesiam qualis in hac vita est, sed qualis in patria cœlesti est futura referri debere: *cum exhibebit sibi Christus Ecclesiam gloriosam non habentem maculam neq. rugam.* Vera enim esse illa D. Augustini oratio videtur: *Quæcunque, inquit, testimonia diuinarum Scripturarum commemorari potuerint, quibus ab omni malorum hominum permixtione pura prænunciatur Ecclesia: non qualis nunc est illis testimoniis prænunciatur: sed qualis post istam mortalitatem in vita aeterna futura est.* Huc adde, posse quoque in hac vita totam pulchram dici propter Christianam professionem, quæ tota pura est, vt mox dicemus. 2. Item dicitur Ecclesia, Sancta, à sua firmitate. Est enim supra *petram*, quæ in primis est Christus, fundata, contra quem nulla vis præualebit. Ideò in Canticis, *terribilis dicitur, quasi castrorum acies ordinata.* Atque hac ratione pulchrè D. Augustinus Ecclesiam interpretatur terram esse illam, de qua Dauid in Psalmo: *Fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in seculum seculi.* Hanc rationem sanctitatis rectè explicauit in Confess. Polonica, Cardinalis Hosius. 3. Sancta dicitur, quoniam sanguine est Christi iuncta & acquisita. Ad quod attendisse D. Petrus videtur vbi fideles vocat *gentem sanctam, populum acquisitionis.* 4. Quia tota diuino cultui consecrata est: præceptis, Sacramentis, institutis sanctis continetur: prorsus vt in eam rectissimè conueniat illud Psalmi: *Lex Domini immaculata, &c.* Hac ratione Ecclesia tota sancta dici potest, Quia licet non omnes fideles colant vitæ sanctimoniam: omnes tamen certè illam profitentur. Quemadmodum religiosos aut artifices, propter vitæ institutum & professionem, eos etiam solemus dicere qui religionis aut artis præcepta transgrediuntur, vt ad hoc propositum rectè

nota-

Eph. 5.

Lib. contra
Donatist. post
Collat. cap. 7.

1. Cor. 10.

Cant. 6.

Aug. in psal.
103. concione
1.

Psal. 103.

2. Pet. 2.

Psal. 18.

notatum est in Cathéchismo Romano. 5. Sancta item dici potest propter sanctissima eademque varia ac multiplicia diuinæ gratiæ carismata, quibus ornata est: atque etiam ob vniuersalia efficacissimaq; remedia sanctitatis, quibus affatim diuino beneficio abundat.

EST præterea Ecclesia Christi, Catholica: vt dicitur in vtroq; symbolo. Cùm autem, Catholica, idem sit quod vniuersalis, variam habet rationem hæc Ecclesiæ proprietatis. Nam primùm Catholica dicitur ab vniuersitate eius doctrinæ, quam profiteretur. Continet enim materiam vberissimam de Deo & de Creaturis. 2. Ab vniuersitate loci: quia per vniuersum est orbem diffusa. Quam rationem appellationis D. Augustinus diligenter exposuit. Ex eaque sæpe probat hæreticorum conuenticula Ecclesiam Christi non esse, quoniam suis quibusdam tantum contineantur prouinciis. De qua re postea. Huc autem illa Patris æterni ad Christum promissio pertinet: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra.* Ac item illud: *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Vt iam præteream multa similia.

3. Dicitur quoque Ecclesia Catholica à temporis vniuersitate. Nam ad finem vsque mundi perseverabit. Quemadmodum & à mundi exordio constans perpetuò aliqua Dei Ecclesia fuit, vt eruditè inter cæteros Ioannes^a Turrecremata, & Ioannes^b Driedo ostenderunt. Nunc quod Christi Ecclesia ad finem vsque mundi sine interruptione mansura sit, satis constat ex illis Christi promissionibus, in Matthæi Euangelio: *Porta, inquit, inferi non praualebunt aduersus eam.* Et: *Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi.* Item in Euangelio Lucæ Gabriel Angelus: *Dabit, inquit, ei Dominus sedem David Patris sui, & regnabit*

R 3

III. PROPRIETAS.
Ecclesia, Catholica.
Causa præcipua cur Ecclesia dicatur Catholica.

Super Psalm. 121. & 81.

Psalm. 2.
Psalm. 117.

^a Lib. 1. de Ecclesia cap. 22. vsq; ad 30.
^b Lib. 4. de variis dogm. cap. 2. p. 1
Matth. 16.
Matth. 28.
Luc. 1.

Isai. 9.

gnabit in domo Iacob in aeternum. Quod & ab Isaiâ prædictum erat: *Super solium, inquit, David & super regnum eius sedebit, ut confirmet & corroboret in iustitia & in iudicio, à modo & usq; in sempiternum.* Ex qua Ecclesiæ perpetuitate intelligitur, & fidem illius fore perpetuam: ut luculentissimè D. Augustinus ostendit. Nam *desponsabo* (inquit Dominus Ecclesiæ per Oseam) *te mihi in fide.* Huic autem perpetuitati consuluit Deus prospiciendo Ecclesiæ de Pastoribus & Doctoribus, qui fidem Christianam ac religionem tutarentur. Quos idè Pastores & Doctores Ecclesiæ datos dicit Apostolus *ad consummationem Sanctorum, donec occurramus omnes in unitatem fidei in agnitionem Dei in virum perfectum, &c.* Idq; promiserat Deus Ecclesiæ per Zachariam: *Circundabo, inquit, domum meam ex iis, qui militant mihi.* Sic Timotheum Apostolus militare Deo & Ecclesiæ volebat, cui dicebat: *Labora ut bonus miles Christi Iesu.* De iis Deus per Isaiam: *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes. &c.* Atq; hi sunt nimirum, illi fortes, qui custodiunt lectulum Salomonis.

In Psalm. 101.
conc. 2. & lib.
de unit. Eccl.
cap. 13.

Oseæ 2.

Ephes. 4.

Zach. 9.

Isai. 62.

Cant. 3.

Ecclesia ex quibus
consisterit
tempore Christi
passionis.
Luc. 18.

Dicit aliquis: Cùm Apostoli scandalum omnes in Christi passione sunt passi, ubi fuit tunc Christi Ecclesia? Item ubi erit illo tempore, de quo Christus inquit: *Passione filius hominis veniens inueniet fidem in terra?* Quod si aliquando Ecclesia non fuit, & aliquando etiam non erit, quomodo est etiã Catholica ab vniuersitate temporis? Nonnulli sentiunt, Christi passionis tempore, in sola beata Virgine mansisse fidem. Id verum non est. Primum quia si maximè omnes tunc Apostoli fidem abiecerint, non inde consequitur in nullo præterquam in B. Virgine fidem permansisse: Potuerunt enim alij perseverare fideles, etsi de illis quidem tacetur. Deinde nego amisisse fidem omnes omnino Apostolos: imò retinuerunt eam aliqui.

aliqui, vt eruditè ostendit ^a Melchior Canus. Et certè id defendit de D. Petro manifestè D. Hilarius. Neque verò aliud ex Scriptura colligi potest, quàm quod omnes Apostoli *scandalum passi sunt in illa nocte*, quod attinet quidem ad externam fidei confessionem. Id autem fieri potuit, licet illorum aliqui fidem ipsam animo retinuerint. Fuit itaq; & tunc aliquis fidelium numerus, ex quorum congregatione, tametsi exigua, constaret Ecclesia. Sic etiam sub mundi finem aliqua omnino Ecclesiæ congregatio erit. Christus enim illo modo dicendi: *Putasne, &c.* paucos futuros tunc esse fideles significauit, nullos fore non significauit. Præclarè enim D. Augustinus: *Hoc, inquit, nos intelligimus à Christo dictum, vel propter ipsam fidei perfectionem, quæ ita difficilis est, vt in ipsis quoq; admirabilibus sanctis, sicut in ipso Moysè, inueniatur aliquid, vbi trepidauerint, vel trepidare potuerint: vel propter illam iniquorum abundantiam & paucitatem bonorum. Propterea enim, tanquam dubitans, hoc Dominus dixit. Neq; enim ait: Veniens filius hominis non inueniet fidem in terra. Sed, putas inueniet fidem in terra?* Hactenus Augustinus.

4. Dicitur denique Ecclesia Catholica, id est, vniuersalis, quoniam ad eam homines vniuersi, cuiuscunq; sint sexus, aut ætatis, aut conditionis, conuocantur. *Quicumque enim* (ait Apostolus) *baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neq; Græcus, non est seruus, neq; liber, non est masculus, neq; femina. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.* Atque, vt rectè explicauit Ioannes à Turrecremata, ob eandem rationes & fides ipsa, Catholica dicitur, & fideles, Catholici. Quo etiam loquendi modo Apostolus penè est vsus, cum epistolam scribit *dilecto filio Tito, secundum communem*, inquit *fidem*, id est, secundum Catholicam, vt exponit Glossa ex D. Augustino.

PRÆ-

Lib. 4. de locis Theolog. cap. 5.

Matth. 26.

Non deficiet omnino fides sub mundi finem.

Lib. de vnit. Eccles. c. 13.

Lib. 1. summa de Eccles. c. 13.

Ad Titum 2.

IV. PROPRIETAS.

Ecclesia Apostolica, & quare.

Roman 8.

Ioan. 17.

Lib. 4. de bapt. contra Dona-
tist. c. 24. & ep.
86. & ep. 118.
&c.Apocal. 21.
Ephes. 2.
1. Corinth. 3.
Psalm. 56.

In illu Psalm.

Turr. lib. 1 de
Eccles. cap. 18.
& 19.VVald lib. 2.
doctrinal. fid.
antiquæ c. 16.

V. PROPRIETAS.

PRÆTEREA dicitur Ecclesia Christi in Nicæno Symbolo Apostolica. Primò, quoniam in Apostolis habuit initium. Quam rem D. Paulus explicuit illa oratione: *Nos autem, inquit, primitias Spiritus habentes. Vbi Glossa: Et tempore, inquit, prius & ceteris abundantius.* 2. Quoniam ab illis per orbem propagata est. Vnde Christus Dominus, dum pro iis rogat æternum suum Patrem, qui *per Apostolorum verbum erant in se credituri*; pro Ecclesia sanè rogat. 3. Quoniam antiquam proinde fidem, doctrinam, auctoritatem, Apostolorum perpetuò sequitur, vt supra quoque dictum est. Quod non modò facit, quando scriptis Apostolicis expressam doctrinam retinet: Verum etiam cum aliquid ipsa per orbem vniuersum obseruat, neque id tamen scriptum est in Apostolicis libris. Illa enim vniuersalis Ecclesiæ consuetudo (quod infra suo loco probabimus) argumento certo est, manasse rem ex Apostolica traditione, vt et sapissimè, & clarissimè, & verissimè affirmat Diuus Augustinus. Huc pertinet, quod ideò in libro Apocalypsis, atque etiam à Diuo Paulo, Apostoli vocantur fundamenta Ecclesiæ: tametsi sunt illi quidem non nisi fundamenta secundaria; quippe cum & ipsi niterentur fundamento primo, *quod est Christus Iesus.* Quo etiam spectat illud Dauidis de Ecclesia: *Fundamenta eius in montibus sanctis*, id est, in Apostolis, vt Diuus Augustinus interpretatur. Itaque meritò propter hæc dicitur Ecclesia Apostolica. De qua Ecclesiæ proprietate, plura (si quis volet) videre licet apud Turrecremantam præsertim & apud VValdensem. Atq; hætenus quidem de iis Ecclesiæ proprietatibus, quas etiam confitemur in fidei Symbolis.

EX aliis autem siue prærogatiuis, siue proprietatibus Ecclesiæ, quæ colligi ex Scriptura possunt, non est sanè

sanè postrema, quòd licet multorum hominum sit congregatio, minimè tamen est, quasi chaos aliquod, confusa, sed quàm rectissimè ordinata. Hoc ex multis potest intelligi nominibus, quibus illa propter eiusmodi ordinem afficitur in sacris literis. Cuiusmodi sunt: ^a Regnum, ^b ciuitas, ^c templum, ^d domus, ^e tabernaculum, ^f hortus, ^g castrorum acies ordinata, & id genus alia, quorum rationes ad Ecclesiam pulchrè atque eruditè accommodat Ioannes Turrecremata. Maximè verò optimus Ecclesiæ ordo significatur cùm corpus dicitur. Cuius appellationis ea potissimùm ratio est, quia sicut in vno corpore multa ac varia sunt membra, nec illa omnia tamen eundem actum habent. Sic in Ecclesia fideles non omnes auctoritate sunt pares, non officio, non gradu dignitatis. Vt perspicuè Apostolus in epistola ad Romanos docuit, & elegantissimè persequitur Diuus Gregorius Nazianz. Sunt enim oculi in Ecclesia, sunt pedes, sunt manus; hoc est, sunt qui aliis obsequi & ab iis doceri debeant; sunt etiam qui alios doceant & regant, Pastores & Doctores, quos dedit Christus Ecclesiæ & in ea perpetuò conseruat, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionem Filij Dei, in virum perfectum, vt iam non simus paruuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrina, in nequitia hominum in astutia ad circumuentionem erroris.

In ordine hoc igitur, quo est Christi Ecclesia constituta, illud præcipuum est, quod Pastores & Doctores perpetua sibi successionis serie succedunt, qui legitimè vocentur ad id opus ministerij sustinendum, sine quo Ecclesiæ Christianæ forma cõsistere nullo modo potest. Nam si Ecclesia est, certè oportet, vt corpus sit Ecclesiæ quoddam; idque totum, vt ait Apostolus, Compactum & con-

Ecclesiæ rellò
ordinata.

a Matth. 25.
b Matth. 5.
c 1. Cor. 3.
d Hebr. 3.
e Hebr. 8.
f Cantic. 4.
g Cantic. 6.
Lib. 1. de Eccl.
cap. 31. & deinceps.
Ephes. 1. & 4.
1. Corinth. 12.
Rom. 12. &c.

Greg. Naz. in
orat. de moder.
in disput.
habenda.

Succesore Pasto-
rum & Docto-
rum præcipuè
spectanda in
Ecclesiæ ordi-
ne.

Ephes. 4.

S XUM

xum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusq. membri. Et promissiones hac de re diuinas superiùs indicauimus, cù Ecclesiæ sanctitatem atque firmitatem ministerio perpetuò Doctorum atque Pastorum niti doceremus.

VI. PROPRIETAS.
Ecclesiæ visibilibus.

Cur Sectarij non
hinc Ecclesiam
esse visibilem.

Se Sectariorum argu-
gum contra claritatem Ecclesie.

Ecclesiam esse
visibilem, quomodo
intelligendum atque
defendendum
sit aduersus Sectarios.

DICITVR porro ab Orthodoxis Doctoribus, secundum certissima & clarissima sanctarum Scripturarum testimonia, Ecclesia visibilis: id est, sic in luce hominum & conspectu posita, vt quouis seculo euidenter internosci & quasi digito monstrari queat congregatio illa, quam esse Ecclesiam veram determinatè credere possis ac debeas. Hæc autem Ecclesiæ proprietas vniuersos hæreticos pessimè habet. Neque id sanè mirum. Etenim huius proprietatis assertio cogit illos fateri, vel certè intelligere, se non esse de Christi Ecclesia: Cùm nullum possint illustrem, hoc est, in orbe præteritis temporibus cognitum, hominum cœtum indicare, in quo fuerit ea religionis atque doctrinæ forma, quam ipsi nuper inuenerunt. Ergo vt se filios esse tenebrarum ostendant, Ecclesiam, quod in ipsis est quidem, priuant sua luce, eamque tanquam in latebris per plura secula delitescere posse putant. Quod euenisse scilicet ante nouatorem Lutherum asseuerant. Ac Brentius quidem & nonnulli alij Sectarij hoc ad eam rem argumento utebantur, Si quid credi debet: id non etiam oculis cerni potest. At ex fidei articulis ille vnus est: *Credo sanctam Ecclesiam*. Non igitur Ecclesia cerni potest; aut si conspicua esse dicitur, tollendus erit ille de Apostolico symbolo articulus.

Sed quàm sit hæc istorum argumentatio imperita, & opinio etiam falsa, facile intelligetur, si prius quàm probemus, explicemus etiam, quæ sit nostræ assertionis sententia, cùm dicimus Ecclesiam esse conspicuam. Nam & hoc

hoc ipsum animaduerto posse perperam intelligi: Si videlicet aut nimis multum, aut nimis parum clara atque visibilem Ecclesiam esse, asseratur. Primum igitur, non usque; adeo ipsi volumus, Ecclesiam esse conspicuam, ut censeamus aut oculis cerni, aut euidenti ratione intelligi posse ipsam etiam Ecclesiam quasi essentiam & veritatem, aut etiam proprietates eius omnes. Non enim arbitramur palam aspici aut euidenter cognosci posse, quod vlla congregatio sit reuera coetus recte colerium Deum, & sancto Spiritu gubernetur, & sanctitate, vera fide, & doctrina aliisque donis affecta sit. Imo vero haec in illa ipsa congregatione hominum inesse, quae vera est Ecclesia, non nisi obscura fide credimus, quomodo caeteros fidei articulos. Sed nequerursum cum Ecclesiam dicimus visibilem esse, usque adeo parum dicimus, ut solum contendamus, eam ex hominibus constare, qui per se, cum sint praediti corpore, pateant sensibus. Hoc enim nemo, qui modo sit homo, sciatque; homines, quorum sine controuersia Ecclesia est coetus, sensibili atque aspectabili ex corpore esse constitutos, in dubium reuocare potest. Sententia igitur nostrae assertionis haec est: euidenter posse omni seculo conspici, & internosci, & quasi digito demonstrari congregationem aliquam hominum, de qua possit ac debeat unusquisque firma fide, tametsi alioqui obscura (ut antea dictum est) credere, quod sit vera Ecclesia (id est, coetus recte Christum colentium) quod vera fide copuletur, quod Spiritu sancto regatur, quod aliis muneribus atque prerogatiuis sit praedita, de quibus partim iam dictum est, partim dicetur. Ita fit, ut, quamuis isto modo Ecclesiam visibilem esse statuamus, suum locum tamen (quod non videbant Sectarij) in symbolo relinquamus illi articulo, quo credimus Ecclesiam esse, & esse sanctam, &c.

S 2 Esse

*Dno extrema
circa id vitanda.*

1.

2.

Vera ratio claritatis Ecclesiae

Esse verò isto modo Ecclesiam conspicuam, fremant licet lucifugæ Sectarij, Scripturæ sanctæ certissimis testimoniis conuincitur.

*Ecclesiam esse
visibilem pro-
batur Lex Scri-
pturis.*

Marth. 5.

Lib. de unit.
Eccl. c. 14.

Psal. 18.

In eundem
Psal. m.

Psal. 30.

Ibidem.

In Psal. 18.

NAM primùm aperta est illa Christi oratio de Ecclesia: *Vos, inquit, estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Item: Nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Quibus duobus testimoniis Augustinus ad eam ipsam rem vsus est contra Donatistas. *Non est, inquit, operta Ecclesia. Quia non est sub modio, sed super candelabrum: Et de illa dictum est: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Sed Donatistis (intellige etiam Lutheristis & Calvinistis) operta est, quia audiunt tam lucida & manifesta testimonia, qua illam toto orbe esse demonstrant, & malunt clausis oculis offendere in montem, quam in eum ascendere, qui cum esset lapis præcisus de monte sine manibus, creuit & factus est mons ingens, & impleuit vniuersam terram.* Haftenus Diuus Augustinus. Qui etiam illud Dauidishuc pulchrè accommodat: *In sole posuit tabernaculum suum, id est (inquit Augustinus) Ecclesiam suam in manifestatione.* Nam & alibi etiam Ecclesiam intelligit Rex Dauid per hoc tabernaculum: *Proteges, inquit, eos in tabernaculo tuo.* Vbi etiam Augustinus: *Quid est, inquit, tabernaculum Dei, nisi Ecclesia presentis temporis, qua tabernaculum ideò dicitur, quoniam adhuc in terra peregrinatur?* Sed recitemus integrè superiorem locum Augustini, qui de Ecclesiæ claritate videtur hodie contra Sectarios loqui: *In manifestatione, inquit Augustinus, posuit Ecclesiam suam non in occulto, non qua lateat, non velut operta, ne fortè fiat sicut operta super greges hereticorum. Quid tu heretice fugis in tenebras? Quid latitare conaris?* Haftenus ibi Augustinus. Nec potuit certè Isaias illius significare hanc Ecclesiæ Christi claritatem, quam cum

cùm de fidelibus, ex ipso Dei ore, hunc in modum vaticinatus est: *Fœdus, inquit, perpetuum feriam eis: & scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Atque vt alia multa, quæ ad hanc rem ex Scripturis adduci possunt, præteream; ad Ecclesiam ipsam pertinet, auctore Augustino, quod ita vaticinatus est, alius Propheta: *Operuit celos gloria eius, laudis eius plena est terra: Splendor eius, vt lux erit.*

Ifai. 67.

Lib. 18. de ciuit. Dei, ca. 32. Abac. 3.

EXTRA controuersiam est, omni tempore aditum ad Christi Ecclesiam iis omnibus patere, qui extra eam sunt, vt possint ac debeant ad eam se aggregare. Sic enim cum ipsa Dominus per Isaiam loquitur: *Aperientur porta tue iugiter, die ac nocte non cludentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim & regnum, quod non seruiert tibi, peribit.* At ne intelligi quidem potest, quemadmodum fores Ecclesiæ pateant omnibus, vt ad eam se adiungere & intrare possint, si non ea hominum congregatio queat internosci, quæ vera est Ecclesia. Est igitur illa prorsus conspicua.

PROBATIO II.

Ifai. 60.

NEQVE verò eorum aliquid, quæ in Ecclesia geri debent, si non ipsa pateat, agi possent. Nam si nescias, quam hominum congregationem credere debeas esse veram Ecclesiam; multò minus cognosces, qui sint in Ecclesia tanquam oues, qui verò vt Pastores: id est, quosnam oporteat doctrina & Sacramentis pasci, ac ministerij auctoritate hierarchica ab aliis duci atque regi: qui verò munus sustineant docendi, regendi, pascendi. Quod si ignorent fideles, à quibus quæri, aut quibus impartiri Sacramenta debeant: item cui præcipi possit, aut quibusnam obtemperari oporteat: quænam esse poterit in Ecclesia corpore functio membrorum? aut quomodo

PROBATIO III.

Matth. 18.
1. Pet. 5.
Act. 20.

In orat. demo-
derat. in di-
sp. habenda.

PROBATIO
III. ex Patri-
bus.

Lib. 2. contra
lit. Petiliani,
cap. 32.
Tractat. 1. in
Epist. Ioan.

Tract. 2. in eā-
dem epist.

In dialog. cō-
tra Lucifer.
Homil. 15. in
Matth.

Lib. 3. commē-
tar. in Isaiam

(quod Christus iubet) ^a *Ecclesia audietur*, ^b *& pascetur* *Grece Christi*? Tolletur profectò pulcherrimus ille ordo differentiaque Ecclesiæ membrorum, quæ ut D. Gregorius Nazianzenus inquit, diuinitus sic constituta est, *ut alij sint oues, alij pastores: illi obediant, ij imperent, quò omnia rectè inter se conueniant, commodumq; tam ad presectos, quàm ad subditos redundet, omnesq; fiant vnum in Christo.*

HANC etiam esse de Ecclesia sententiam Patrum non dubium est. Ex Augustino quædam iam recitauimus. Qui rectè quidem claritatem Ecclesiæ inde ostendere solet, quòd vbique terrarum diffusa est. Nam quomodo possit esse ignota illa hominum congregatio, quæ religionis instituto communicat cum omnibus gentibus? *Quia*, inquit Augustinus, *in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum: hinc fit, ut Ecclesia veraneminem lateat.* Et alio loco. *Nõnne*, inquit, *aperta est Ecclesia? Nõnne obtinuit omnes gentes? Nõnne impletur, quòd ante tot annos promissum est Abrahe; in semine eius benedicti omnes gentes? Ecce mons implens vniuersam faciem terra.* Tum illud rectè: *Quid amplius*, inquit, *dicturus sum, quàm cecos, qui tam magnum montem non vident? qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudunt?* Hieronymus autem ita conspicuam Ecclesiam esse censuit, ut solem etiam eleganter appellârit. *Poteram*, inquit, *omnes propositio- num tuarum riuulos vno Ecclesia sole siccare.* Item D. Chrysostomus: *Sic*, inquit, *eritis manifesti cunctis quemadmodum ciuitas in montis vertice collocata: vel sicut lucerna in domo super candelabrum relucens. Vbi igitur nunc sunt Christi virtutis increduli? Audiant*, inquit, *ista & prophetia potentiam possent experientia mirantes, maiestatem Domini adorando reuerantur.* His, ne sim prolixus, testimonium vnicum adiungam D. Cyrilli Alexandrini. Qui rationem, cur Christi Ecclesia

Ecclesia Sion atque etiam Hierusalem nominetur, assignavit his verbis: *Excelsa*, inquit, & *specula exponitur Sion*; *Visio autem pacis, Hierusalem. Est autem utrumque hoc verè Christi Ecclesia: celsa nempe, & illustris, & velut in monte posita.*

Iam verò ad varias Sectariorum argutias hoc loco refellendas diligenter animaduerti debet, non sic accipiendum esse, quod dicimus, Ecclesiam esse semper conspicuam, quasi velimus eam omni tempore dignosci posse æquè facillè. Nouimus enim iis illam aliquando errorum, schismatum, persecutionum fluctibus esse agitatum, vt imperitis quidem, nec satis prudenter rationes temporum rerumque circumstantias æstimantibus, cognitum fuerit difficilis. Quod tum maximè accidit, cum Arrianorum perfidia in orbe penè toto dominabatur. Nam & eo tempore, scripsit Hieronymus, Ecclesiæ nauem fuisse fermè obrutam; & Hilarius pluribus admonuit verbis non fuisse Ecclesiam tunc temporis in tectis & exteriori pompa quærendam, sed potius in carceribus & speluncis. Non igitur negamus, quin fuerit alio quàm alio tempore difficilius Ecclesiam dignoscere. Hoc tamen asserimus, semper illam potuisse à prudentibus rerum æstimatoribus internosci. Etenim illo ipso tempore, quo videbatur latere, cum præteritis temporibus collato, deprehendi potuit, Ecclesiam non apud multitudinem eorum, qui religionem innouabant, sed apud paucos illos potius fuisse, qui, quod veteres Ecclesiæ Patres, & fideles omnes magno consensu diuturnisque temporibus tenuerunt, consecretabantur. Quod præclarè mihi de providentia Dei erga Ecclesiam cogitauisse Diuus Augustinus videretur, cum ita scripsit: *Ipsa est, inquit, Ecclesia, quæ ali- quando obscuratur & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum, quando peccatores intendunt arcum, vt sagittent in obscuro*

non longè ab initio.

Quomodo Sectariorum caustillationes contra claritatem Ecclesiæ sint repellenda.

Hieron. cont. Luciferian.

Lib. contra Auxentium, sub finem.

Epist. 48 ad Vincentium.

obsuro rectos corde. Sed etiam tunc in suis firmissimis eminet. Itaque cum Ecclesiam omni tempore esse visibilem, id est, cognitu facilem affirmamus: non ad presentem tantummodo statum, quem habeat illa vno tempore aut altero, sed etiam ad perpetuam eius continuamque successione seriem respicimus. Hæc series si cogitetur, & diligens adhibeatur temporum atque personarum comparatio: neque latuit Ecclesia, neque vnquam latere poterit, sed *in suis firmissimis*, vt Augustinus inquit, *semper eminebit.* Qua re animaduersa, tenebræ omnes facile discutuntur, quas offundere lucifugæ Sectarij luci atque claritati Ecclesiæ hoc in loco conantur.

VII. PROPRIETAS.
Ecclesia errare non potest.

ILLA quoque præclara est Ecclesiæ prerogatiua, quod sic à Spiritu sancto sibi assistente veritatem omnem fidei docetur, vt aberrare ab ea minimè possit. Ac notet hoc loco Lector, non ipsam fidei veritatem per se à nobis nominari Ecclesiæ prerogatiuam & quasi proprietatem: hæc enim essentia ipsa potius seu de essentia Ecclesiæ est; quatenus Ecclesia videlicet congregatio verè fidelium esse describitur. Non igitur ipsam per se doctrinæ fidei veritatem, sed assistentiam illam Spiritus sancti, qua fit vt à veritate Ecclesia aberrare non possit, in prerogatiuis & quasi proprietatibus Ecclesiæ numeramus. Quæ quidem explicatio quorsum pertineat, & quantum ad redarguendam Sectariorum obstinam inscitiam valeat, quòd veritatem ipsam doctrinæ fidei pro nota Ecclesiæ assignent; suo loco postmodum clarissimè intelligetur. Nunc quod asserimus, Ecclesiæ etiam prerogatiuam esse, quòd à veritate fidei desciscere nequeat, Apostolus satis indicauit, cum Ecclesiam ideò vocat *columnam atq; firmamentum veritatis.* Et habemus illustres hac de re promissiones, *Ego, inquit Christus, rogabo Patrem & alium paracletum*

1. Tim. 3.

Ioan. 14.

paracletum dabit vobis spiritum veritatis: ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quaecumque dixerero vobis. Ac rursus in eodem Euangelio Ioannis: Pater, inquit, sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est; & ego pro eis sanctifico me ipsum, ut sint ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed pro illis etiam, qui credituri sunt per verbum illorum in me. Ex qua Christi precatone (cùm efficax fuerit) sanè perspicitur, ita Ecclesiae promissum esse Spiritum veritatis sanctum, ut ea promissio non modò ad illos, qui Apostolorum temporibus vixerunt, sed etiam ad omnes posteros pertineat, ex quibus quacumque ætate Ecclesia Christi coalescat. Id ipsum clarissimè Deus per Isaiam est testatus his verbis: Hoc fœdus meum cum eis: spiritus meus, qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui à modo & usque in sempiternum. Quam promissionem & Christus ipse confirmavit; Alium, inquit, paracletum dabit vobis Spiritum veritatis, ut maneat vobiscum in æternum. Nec sanè adest Christus Ecclesiae suæ, vti promisit, usque ad consummationem sæculi, & non eam in veritate conseruat, cùm sit ipse magister veritatis. Quare præclarè Augustinus, terram illam, quæ fundata est (vt Rex David inquit) super stabilitatem suam, nec inclinabitur in seculum seculi; Ecclesiam esse intelligit supra fundamentum, quod est Christus, fundatam. Ipsa est enim, inquit, prædestinata columna & firmamentum veritatis.

Cæterùm, quoniam promissiones hæc generale quiddam sonant: explicanda iam vis illarum est speciatim. Summa hæc est. Primò. Si quando orientur controuersie de fide, Ecclesiam non posse in iis definiendis à veritate aberrare. Hæc autem Ecclesie infallibilis auctoritas ad definiendum non est in singulis fidelibus, quippe qui sine controuersia possunt errare singuli. Neque est etiam

T in

Ioan. 17.

Isai. 59.

Ioan. 14.

Matth. 28.

Psal. 103.

Conc. 1. in illū
Psal. 103.

Quibus modis
intelligendum
sit, Ecclesiam
errare nō posse.

in omnibus omnino fidelibus. Frustra enim data illis esset, cum fieri vix possit, in fidei causis ut ab omnibus illis figillatim sententia dicatur. Sed residet illa summa Ecclesie auctoritas (ut postea sumus ex instituto probaturi) in Christi vicario, summo Pontifice; siue vna cum Episcoporum concilio, siue absque Concilio res fidei definire velit. Secundò, vis etiam illarum promissionum est, omnes fideles non posse deficere à doctrina fidei, neque omnino, neque quoad aliquam ipsius partem. Nam si deficerent omnes, Ecclesia tota deficeret: Ita falsa esset illa Dei pollicitatio facta Ecclesie per Prophetam Oseam: *Desponsabo*, inquit, *te mihi in fide usque in sempiternum*. Tertio, nec posse omnes fideles in vniuersum aliquem articulum fidei ignorare. Id probatur ex illa promissione: *Docebit vos omnem veritatem*. Item: *Ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia, quacunque dixerò vobis*. Est enim sensus, Spiritum sanctum minimè passurum, ut cognitio cuius fidei veritatis penitus in Ecclesia extinguatur. Quarto, ostendit rectè Melchior Canus, eam etiam vim predictarum promissionum esse, ut nequeat Ecclesia tota persuadere sibi sententiam aliquam erroneam, etiam in materia, quæ non pertineat ad fidem. Nam hoc quidem pati, alienum esset ab illo Spiritu veritatis, quo semper Ecclesia regitur. Quintò, quod dictum est, omnes fideles, neque omnino, neque partim, aut errare in fide, aut ignorare fidei articulum aliquem, aut persuadere sibi quidquam falsi in vilo genere posse; hoc idem de Ecclesie Pastoribus atque Doctoribus omnibus dicendum est: ut rectè demonstrat ille idem auctor. Primùm quoniam Pastores & Doctores, quum sint in Ecclesia primarij, tota quasi censentur Ecclesia. Itaque cum Scriptura commemorasset, congregatos esse omnes principes filiorum Is-

Osee 2.

Ioan. 14.

Lib. 4. de locis
Theolog. c. 4.

rael:

rael: perinde ac si nemo prorsus de Ecclesia defuerit, subiunxit: *Tunc conuersus Rex benedixit vniuersa Ecclesia; Omnis enim Ecclesia, inquit, astat.* Qua etiam ratione Aristoteles scripsit, ciuitatem id esse, quod est in ciuitate precipuum. Deinde huc accedit, quod si Pastores & Doctores omnes à veritate aberrare possent, consequenter omnes fideles in vniuersum possent errare. Ab illis enim isti crudiuntur in Ecclesia. Quam ob rem hoc ipso quod errare fideles omnes non possunt; necessariò fatendum est, neq; posse Pastores omnes atque Doctores errare. Imò idcirco fideles omnes errare nò possunt, quia Pastores omnes & Doctores omnino errare nequeunt. Ipsos enim ad eam rem esse datos affirmat Apostolus, vt alij *non circumferantur omni vento doctrina in circumuentionem erroris.* Cùm verò hoc loco dico Pastores & Doctores omnes: non tantùm omnes omnino intelligo, sed etiam ita maiorem aut illustriorem eorum partem, vt reliqui penè nulli sint (id est, nullius auctoritatis,) si cum illis comparentur. Vnde sæpe fit, vt cùm aliquis aut etiam aliqui Doctores errant, rectè & infallibiliter possint aliorum Doctorum consentiente auctoritate refelli & premi. Quod magis postea declarabimus, cùm regulas quasdam ostendemus, quas oportet ab Ecclesia consuli cùm sunt res fidei definiendæ.

Nunc obiiciat aliquis; Cùm quilibet fidelis & quilibet Doctor per se, imò quælibet Ecclesia particularis errare possit: consequens videri, vt possint errare in vniuersum omnes Doctores & fideles atque adeò Ecclesia ipsa tota. Respondeo. Vitium est in omni argumenti materia maximum, quod de singulis dicitur, id velle transferre per consequentiam ad omnes. Adest ita Spiritus sanctus Ecclesiæ, vt nò possint quidem errare omnes:

T 2 sed

3 Reg. 8.

9. Eth. cap. 9.

Eph. 4.

Parte VIII.

*Explicatio quæ
rundam obie-
ctionum quibus
probari vide-
tur totâ Eccle-
siâ errare posse.*

*Singulis quidē
Ecclesia Docto-
res atq; fideles*

errare possunt,
non tamen om-
nes.
1. Cor. II.

3. Reg. 18.

Lucæ 18.

Psal. 13.

3. Reg. 19.
Rom. 11.

Exod. 32.

sed (quod singulis certè, non autem ipsi Ecclesiæ, utilius esset) iustis rationibus non vult sic adesse, ut nequeat errare hic aut ille. *Oportet enim hæreses esse, ut qui probati sint, manifestentur.* Rursus obiicies, quod olim Ecclesia Israelitica omnis errauit, cum adorauit vitulum in deserto. Quod idem euenisse videtur Eliæ temporibus: cum relictum se esse solum conquireretur. Cur non igitur & Christi Ecclesia similiter errare possit? Sed & ipse Christus dicit: *Cum venerit filius hominis, putasne inueniet fidem in terra?* Quasi diceret: Non inueniet. Respondendum est, morem esse Scripturæ interdum, ut quod in paucis reperitur, negetur vniuersim. Sic in Psalmo dicitur: *Non est, qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum.* Quod nemo tamen ita, uti sonat, intelligit. Sic Eliæ temporibus; quia paucissimi rectum cultum retinebāt; omnes quasi clamantur infidelitatis: Et se solum relictum esse Elias queritur, cum tamen seruasset Deus *septem hominum millia, qui non curauerant genu ante Baal.* Quod verò attinet ad cultum illum vituli in deserto; constat certè non ab omnibus illum fuisse adoratum. Non enim adorauit Moyses, non Iosua, quibus erat demandata in primis cura illius populi. Sed & alij multi ab illo scelere abstinuerunt. Itaque ibidem legimus filios Leui ad vnā Moysis vocem sese illi adiunxisse, & consecrauisse manus suas Domino, *vnumquemq; in fratre suo & in proximo suo.* Quod autem Christus inquit, *Putasne inueniet filius hominis fidem in terra?* supra ex Augustino interpretati sumus. Significat enim, paucissimos certè fore postremo illo tempore fideles: Non autem nullos fore. Item indicat, rem esse omnino difficilem, fidem integram conseruare. Quare maneat Ecclesiam vniuersam à veritate aberrare non posse. Quod cum certissimum sit turpiter errauit Montanus, qui, ut refert Eusebi-

Eusebius, discipulis suis, vt Ecclesie per orbem diffusa auctoritatem contemnerent, præcipiebat. Item Donatista ac Rogatiani, quos similiter contempnisse auctoritatem Ecclesie commemorat D. Augustinus.

Lib. 5. histori. cap 15.

Epist. 48. & 50.

VIII. PROPRIETAS. Extra Ecclesiam non est salus.

1. Ep. c. 3. Lib. 4. de simbolo, c. 10.

Hebr. 11.

Lib. de vnit. Eccl. c. 16.

EST & illud in Ecclesie Catholice prærogatiuis vel maximum, quod, vt ex numeratis hætenus eius proprietatibus est consequens, extra ipsam nemini patet salus. Quæ ratio est cur beatus Petrus Ecclesiam cum Arca Noë rectissimè compararit. Hinc illa sententia D. Augustini apud omnes vsu trita est: *Non habebit Deum Patrem, qui noluerit Ecclesiam habere matrem.* Quod certè tam verum est, quàm est verum, *sine fide neminem placere Deo posse.* Nam qui extra Ecclesiam est, recta fide caret: cum Ecclesia sit congregatio fidelium. Qui autem infidelis est, hostis est Dei, non adoptiuus filius. Ac præclare D. Augustinus: *Ad ipsam, inquit, salutem ac aeternam vitam nemo peruenit, nisi qui habet caput Christum; habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in corpore eius fuerit, quod est Ecclesia.* Sed cum hæc res apud omnes sit in confesso, non est prolixius hoc loco cõfirmanda. Sed illud ad extremum, quod ad summam hanc Ecclesie prærogatiuam attinet, animaduertendum: non eos modò in Ecclesie corpore, vt salutem quidem assequi possint, hoc loco censerì, qui actu Baptismum susceperunt, sed etiam eos, qui illum habent in votis. Tales sunt Catechumeni. Qui, si in diuina quidem sint gratia; secundum meritum sanè dici solent ad Ecclesiam pertinere: licet non actu omnino secundum numerum, vti Doctores loqui consueuerunt.

QVINAM HOMINVM COETVS SIT VERA Ecclesia, & ex quibus notis id discernendum sit.

HÆc cum ita sint, quæstio restat huius loci grauissima, quanam hominum congregatio sit illa, ex qua

T 3 constat

constat vera Ecclesia. Hoc enim cum constiterit, etiam constabit, apud quosnam sit verissimum atque infallibile de doctrina iudicium, quod non est (vt supra posuimus) nisi in vera Ecclesia. Item etiam inde perspicuum erit, qui sint hæretici, secundum præceptum Apostolicum *deuitandi*, quorum videlicet proprium est *ex Ecclesia exiisse*. Quæ causâ est, vt, quoniam nulli vnquam hæretici pro hæreticis agnosci voluerunt, inuisa illis omnibus hæc quæstio fuerit, sicut iam est maximè vniuersis Sectariis. Eos enim, ne deuisi videantur, hæc controuersia compellit, causam ex desperatione quadam, vt mihi persuadeo, suscipere, quam sentiunt ipsi parum esse probabilem; nimirum vt doceant, se cum à Christi Ecclesia *semetipsos segregauerint*, tamen de Ecclesia Christi non esse egressos, imò se solos esse Christi Ecclesiam. Nam cum sint soli & singulares in ratione doctrinæ, necesse est, vt demonstrent, se solos Ecclesiam esse, si nobis persuasuri sunt, omnino se esse in Ecclesia. Hoc etiam frustra egisse veteres hæreticos annotauit Lactantius: *Singuli, inquit, hæreticorum cætus se potissimum esse Christianos, & apud se veram Ecclesiam esse contendunt*. Item beatus Cyprianus: *Nonatianus, inquit, Simiarum more, quæ cum homines non sint, homines tamen imitantur; Ecclesie auctoritatem sibi vendicauit. Et cum in Ecclesia non esset, sed Ecclesia rebellis, reliquos hæreticos faciens, apud se Ecclesiam esse præsumpsit*. Ideo etiam D. Augustinus hac ipsa de re cum suis & Ecclesie aduersariis Donatistis acerrimè pugnauit. *De hoc, inquit, inter nos quæstio versatur, vtrum apud nos, an apud illos vera Ecclesia sit*. Determinanda nunc est igitur & nobis Ecclesia Christi vera.

SED importunitas atque etiam astutia quædam Sectariorum nos cogit, vt prius indicemus, ex quibus quali notis

Tit. 3.

1. Ioan. 2.

Quæstionem de Vera Ecclesia aut hæreticos omnes refugiat.

Lib. 4. instit. cap. 10.

In episto. ad Iubaian.

Lib. de vnit. Eccl. contra epist. Petil. c. 2.

Ex quibus notis dignoscendum sit, qua sit Vera Ecclesia.

notis id ipsum discerni debeat, nempe quæ sit Ecclesia vera. Nam postquam hanc illi de vera Ecclesia quæstionem omnino defugere (quod maximè vellent) non possunt: Saltem facere student, vt nunquam illa finiri possit: dum notas Ecclesiæ constituunt vsq; ad eò non notas, vt multò magis in iis cognoscendis laborandum sit, quàm in ea ipsa vera Ecclesia, quæ quæritur, inuenienda. Has notas ferè dicunt duas coniunctim esse: Veritatem doctrinæ fidei secundum sacram Scripturam; & legitimum usum Sacramentorum; qui tamen ipse ex doctrina etiam diiudicari debet. Ita cum ad iudicandum quis hominum cœtus sit Ecclesia, prius constitui velint, quinam teneant veram doctrinam; consecuturos hac calliditate se putant, vt quæstione proposita de vera Ecclesia; nunquam tamen ad eiusmodi quæstionem propius accedatur, sed de veritate solè doctrinæ quæstio sit primò infinita. Atque etiam isto modo subdolè id agunt, vt ne in quæstionibus de doctrina ipsis vnquam opponi possit Ecclesiæ veræ auctoritas, cum constare prius de hac nolint, quàm fuerit de veritate doctrinæ constitutum. Qua ratione laxissimum isti sibi faciunt ad pertinaciam locum. Nam cum difficilis per se (vt suprà docuimus) atque obscura disputatio de veritate doctrinæ sit; quis erit finis contendendi, nisi auctoritas Ecclesiæ aliunde cognita, tanquam iudex in doctrinæ quæstionibus interponatur? *Facillimè enim ad imagines phantasmatum suorum, vt præclare inquit D. Augustinus, carnales atq; seductores hæretici conuertunt omnia Sacramenta & verbalibrorum sanctorum.* Ergo nostri Sectarij à veteribus quidem hæreticis, quorum pertinaciam imitati sunt, hunc etiam astum didicerunt, vt Ecclesiæ veræ notas esse velint doctrinam & Sacramenta. *Omnes enim seductores,* vt D. Augustinus eodem in loco

*Nota Ecclesia
ab hæreticis as-
signata.*

*Fraus Sectario-
rum in assignan-
dis Ecclesiæ no-
tis.*

NOTA.

*Lib. 3. de Ba-
ptismo contra
Donat. c. 19.*

loco

loco notauit, non aliter populos sefellerunt, nisi prae textu Sacramentorum & Scripturarum, quae tenent, inquit, ad speciem, non ad salutem.

*REFVTANTVR EVIDENTER ECCLESIAE
nota quas Sectarij assignant.*

NOs autem fatemur, neque veritate doctrinae, neque legitimo Sacramentorum vsu Ecclesiam Christi carere posse; & apud quos haec omnino sint salua, ex iis constare veram Ecclesiam. Sed negamus tamen, veritatem doctrinae & legitimum Sacramentorum vsum idoneas notas esse discernendae Ecclesiae. Id probamus hoc modo.

Veritatem doctrinae & legitimum Sacramentorum vsum non esse notas Ecclesiae, quomodo demonstrandum.

Quod neque vniuersae doctrinae fidei, neque singulariter alicui parti illius conuenit; id minimè conuenit doctrinae fidei. Sed neque vniuersae doctrinae fidei, neque verò alicui parti singulari illius, etiam accedente legitimo Sacramentorum vsu, conuenit, vt sit sufficiens Ecclesiae discernendae nota. Non est igitur Ecclesiae sufficiens nota fidei doctrina, etiam cum legitimo Sacramentorum vsu. Huius argumentationis partes cum confirmatae fuerint; locus omnino tergiuersandi praeccludetur Sectariis. Quod enim dicunt, veram doctrinam fidei esse notam Ecclesiae, necesse est intelligant vel de doctrinae aliqua singulari parte (voco autem hinc doctrinae partem, quidquid dogmatum non sit tota ipsa atque integra summa doctrinae) vel de doctrina vniuersa, secundum omnem sui partem. Nam ne fingi quidem aliquid tertium potest: vt scilicet doctrinae tribuatur aliquid, neque tamen tribuatur ipsi vel secundum se totam, vel non secundum se totam, id est, secundum partem.

Veritatem doctrinae non posse secundum aliquid.

Et non esse quidem Ecclesiae notam, fidei doctrinam, secundum aliquam tantum sui partem, probatur euidenti-

dentissimè huiusmodi argumento. Si quid esse possit Ecclesie veræ commune cum hæreticis: id non est per se sufficiens nota seu symbolum veræ Ecclesie. Potest autem quæuis doctrinæ pars (vnà cum recto Sacramentorum vsu) communis esse Ecclesie veræ cum hæreticis, id est, cum iis, qui sine controuersia sunt extra Ecclesiam. Quare nulla doctrinæ pars potest ipsa per se, etiam cum Sacramentorum vsu, sufficiens atq; certa esse nota Ecclesie. Id confirmatur. Quoniam ex Scriptura diuina supra ostendimus, hæreticos eos esse, qui vel vnicam fidei sententiam pertinaciter inficiantur. Potest autem euenire, vt retenta quæuis singulari parte doctrinæ, & vsu etiam legitimo Sacramentorum, negetur tamen hæreticè atq; pertinaciter vna quædam alia vel altera fidei sententia. Ita fit, vt quæuis doctrinæ pars & vsus Sacramentorum legitimus, possit esse communis Ecclesie veræ cum aliquibus hæreticis. Ex quo efficitur, vt conclusimus, non esse id certum ac proprium symbolum veræ Ecclesie.

*quantantum
suis partem po-
ni Ecclesiano-
tam.*

Parte II.

Quocirca plenissima vanitatis opinio est quorundam Sectariorum, qui Sectarios alios, quantumuis de maximis hodie rebus à se dissidentes, ab Ecclesia vera, in qua se falsò esse putant, propterea exclusos esse non volunt, quoniam teneant illi, vt isti loquuntur, fidei nescio quod fundamentum, etsi fidei repugnent alioqui in nonnullis quasi secundariis rebus. Credo autem (non enim satis ipsi se declarant) hoc fundamentum continere intelligunt ea doctrinæ dogmata, in quibus communiter illi omnes conspirant aduersus Ecclesiam Catholicam. Vt, non comparari (scilicet) ipsis bonis operibus vitam æternam: Fas nobis non esse, quidquam boni ad obsequium Dei vltro facere, præter id quod lege iubeamur:

*Refellitur eorū
figmentum, qui
dicunt Sectari-
os hodie omnes
tenere fidei fun-
damentū ideo-
que in Ecclesia
esse.*

*Quodnam sit
fundamentum
fidei Sectario-
rum.*

V Id

Id si faciamus, idololatriam à nobis committi: Omnia, etiam iustorum, opera, quantumuis bona, esse per se horribilia peccata damnatione digna: Per Christi gratiam non prorsus peccata tolli: Vota castitatis & paupertatis Euangelicæ non esse necessariò seruanda: Et cætera huiusmodi nefaria placita, in quibus arx istorum perfidiæ, tanquam in fundamento est constituta. Sed utcumque nobis istud fundamentum interpretentur: certè statuunt illud non in doctrina fidei vniuersa, sed in aliqua tantùm parte doctrinæ, quæ sit ipsis quasi præcipua. Nam si fundamentum hoc illis esset tota fidei doctrina, non sanè concederent, eos etiam, qui contra doctrinam fidei in aliquibus rebus sentiunt, retinere tamen illud fundamentum, & ob id, ut dicunt, esse in Ecclesia. At qui iam probatum est, nullam doctrinæ partem sufficere, ut non sis hæreticus extra Ecclesiam, si præterea quid aliud pertinaciter contra doctrinam fidei sentias. Quare nec illud istorum, qualecunq; sit, fundamentum sufficiet: cum illud esse ponant partem tantùm doctrinæ.

Accedit quod sanctus Apostolus non fidei aliquam partem, sed ipsam fidem vniuersam nobis descripsit atq; commendauit, cum eam asseruit esse *spesandarum verum*, id est, salutis nostræ, quasi basim atq; fundamentum. Hoc illud *fundamētum* est, quod ad Ecclesiæ structuram est initio diuinitus positum, præter quod nemo potest aliud ponere, quod est *Christus Iesus*, per fidem nimirum nulla ex parte falsam aut fictam, sed vndequaq; integram atq; absolutam & viuam, inhabitans in cordibus nostris. Ab huiusmodi igitur firmissimo fundamento, si vel secundum minimam eius partem quis decidat, etiam si in aliis doctrinæ partibus persistat, omnium fiet reus (ut D. Iacobus de transgressore legis loquitur) excidetq; hoc ipso à fidei atque

Hebr. II.
Fundamētum,
quod oportet
tenere,
Christianā fidem,
ex omni parte integrā,
esse.
1. Corint. 3.

que ad eò etiam ab Ecclesiæ unitate. Quam rem præclare, vt omnia, sancti Patres, Gregor. ^a Nazianzenus, ^b Hieronymus, ^c Basilus, ^d Augustinus, ^e Athanasius, intellexerunt, quorum hac de re clarissima testimonia superius à nobis recitata sunt. Concludo ex iis igitur, nullam doctrinæ singularem partem (quod fuit mihi probandum) certam esse notam veræ Ecclesiæ: siquidem quamlibet teneas doctrinæ partem, aut fundamentum; hæreticus esse potes, si quacunq; alia in parte pertinaciter fidei refrageris. Atque hoc ita esse, ipse etiam Sectariorum omnium pater Lutherus (vt cæterorum erga se mutuo conuitia omittam) apertè confessus est. Quamuis enim Zuingliani & alij Sacramentarij in doctrinæ multis capitibus, & vt hodie quidam istorum loquuntur, in fundamento (perfidia) cum Lutheranis consentiunt: tamen quia nõ per omnia cum iis sunt concordēs, ita scriptum reliquit Lutherus: *Hæreticos, inquit, serio censemus & alienos ab Ecclesia Dei esse Zuinglianos & Sacramentarios omnes.* Tum etiam Petrus Martyr, non ignobilis Sacramentarius: *Improbamus, inquit, nouam quorundam opinionem, qui affirmant, de controuersia Sacramentaria quemlibet posse absq; fidei atq; salutis periculo, quam velit, amplecti sententiam.* Vel ipsorum igitur Sectariorum testimonio constat, vnicum etiam in fide errorem, si pertinacia accesserit, ob stare, quominus salutem aliquis tãquam Ecclesiæ membrum adipiscatur, atque ad eò nullam singularem partem doctrinæ, sufficientem ac propriam notam esse Ecclesiæ dignoscendæ.

Deinceps probo, neque eiusmodi notam esse doctrinam fidei vniuersam, id est, omni ex parte incorruptam: id quod etiam in argumētatione nostra paulò antè sumptimus, vt euinceremus, veritatem doctrinæ fidei nullo

V 2 modo,

^a In tract. de fide, Ruffino interprete.
^b Lib. 3. Apolog. contra Ruffin.
^c Apud Theodoret. li. 4. hist. Ecclesiast. cap. 17.
^d Lib. 18. de ciuit. Dei, c. 51.
^e In symbol. fidei.

Tom. 7. operū Luth. in defens. verbor. cœnæ.

Sectarij se sicissim hæreticos damnant, licet consentiant in suo fundamento.
In præfat. libri contra Steph. Vintonienl.

Neq; conuersam doctrinam fidei veritatem esse Ecclesiæ notam, probatur eisdem ibus argumentis.

modo, sicut Sectarij contendunt, proprium atque sufficiens symbolum esse ad dignoscendam Christi Ecclesiam. Id verò cum multis argumentis ostendi possit, ego tantùm subiungam, quæ mihi maxima clarissimaque videntur.

PROBATIO I.

Primò. Nota sufficiens ac propria ad dignoscendam Ecclesiam omnino necesse est, ut sit omni hominum generi atque conditioni accommodata. Omnes enim, ut ex Scriptura sacra planissimum est, ad Ecclesiam ditius euocantur, neq; vllus est, qui nõ diuina lege debeat, atq; adeò qui non etiam prudenter possit vel ad eam aggregare se, si est extra, vel in ea permanere constanter, si ipsius iam est membrum. Quam ad rem procul dubio opus est, ut propriam atq; sufficientem Ecclesiam dignoscendam notam omnes possint dispicere, quò inter veram Ecclesiam Christi & hæreticorum aliorumque infidelium coetus discernere valeant. At vniuersa fidei doctrina minimè quidẽ eiusmodi nota est, quæ omnium hominum conditioni, id est, ad omnium captum, sit accommodata. Non est igitur ipsa idonea atque propria Ecclesia dignoscenda nota. Quid enim? An in Ecclesia Christi omnes sunt aut etiam esse possunt, oculi, qui veritatis lumen in omnibus doctrinæ partibus ipsi peruideant? Ance omnes Doctores? Non certè. *Sed quosdam*, inquit, *dedit Doctores*. Neque quisquam omnino potest satis prudenter de doctrinæ ipsius veritate in tam multis quæstionibus hodie controuersis iudicium ferre, nisi errore penitus animaduerso contrariorum argumentorum sciuerit quemadmodum fides saluberrima, quæ ad beatitudinem ducit, defendatur? Atqui *hac scientia*, inquit verissimè D. Augustinus, *non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipsa fide plurimum*. *Aliud enim*, inquit, *est, scire tantummodo quid homo*

I. Corinth. 12.

Ephes. 4.

Lib. 14. de Trinit. cap. 1.

homo credere debeat, propter adipiscendam vitam aeternam: aliud autem, quemadmodum hoc ipsum & piis opituletur, & contra impios defendatur: quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.

Quid quod benè cum ipsis etiam huius scientiæ Doctoribus agitur, si non aliqua in parte doctrinæ hallucinantur, à veritateque aberrant? Quod si illis tamen quandoque id accidit, qui professione Doctores aut certè Theologi sunt, & vitam in sacræ doctrinæ studio consumpserunt; quis tam demens est, vt omnibus hominum ordinibus, id est, rudibus etiam, illiteratis, agricolis, opificibus & id genus, tantum cognitionis atque intelligentiæ tribuat, vt eos censeat vniuersam fidei doctrinā non aliorum tantum auctoritate commotos veram esse sibi persuadere posse, sed intelligere quoque & diiudicare ac videre in omnibus illam suis partibus esse veram? Cogitet tantum hīc Lector ea doctrinæ capita, de quibus hodie Sectarij partim nobiscum, partim etiam inter se contendunt: Nempe de originis peccato, de iustificatione hominis, de operibus, de cultu, de Sacramentis, de quæ aliis omnibus locis hodie controuersis, qui continent porro singuli varias admodum atque multiplices fidei quæstiones. Profectò desipiat, qui à vulgo putet lucem ipsam veritatis in his omnibus doctrinæ partibus controuersis discerni ipsam per se satis atque videri posse. Et tamen non dubium est, quin aliæ etiam sint ac esse possint innumerabiles de fide quæstiones, cum pateat vniuersa doctrina fidei multò latius quàm illi loci qui sunt his temporibus controuersi.

Ac sanè mihi venit in mentem hoc loco admirari vehementer, cur non timeant Sectarij futurum, vt illicò populi, quos seduxerūt, deceptos se esse animaduertant,

*Cuiusmodi ra-
sionatione
possit & si quis
quis prudens à
Sectariis dece-
pitur, euidenter
cognoscere se
plane deceptum
ab illis esse.*

cùm ab illis audiunt, veritatē incorruptam doctrinæ, de capitibus controuersis, notam esse propriam & quasi tesseram, cuius indicio necesse sit ad Ecclesiam se adiungere eos, qui prudenter salutis suæ voluerint esse consultum. Ratiocinabitur enim hîc secum facillimè homo Lutheranus vel Sacramentarius illiteratus, seu Princeps ille sit, seu nobilis, seu mercator, seu aliquis opifex, seu etiam rusticus, in hunc modum: Qui consultè ac prudenter in Ecclesia Christi sunt, ij notitia veræ doctrinæ de locis cōtrouersis ad Ecclesiam sunt adducti; vti me docent mei Prædicantes. At ego mihi euidenter conscius sum, non intelligere me, neq; satis diiudicare ac videre ipsam fidei veritatem, in illis omnibus doctrinæ partibus; non enim studui literis, neque Theologus sum, neque ad obres ipsas (licet nomina quidem audiam) ita mente comprehendo, vt ad iudicandum de veritate doctrinæ controuersæ oporteret: non, inquam, comprehendo satis, quid omnino sit peccatum naturæ, siue originis, quid redemptio generis humani, quid vnio personalis duarum naturarum in Christo, quid transsubstantiatio, quid essentia circumscriptum vel incircumscriptum corporis Christi, quid iustificatio formalis, quid opus operatum, quid meritum, aliaque sexcenta, de quibus hodie maxima contentione disceptatur. Sed neque disputationes & argumenta dissentientium partium conferre atque momentis suis ponderare mihi facillè est, vt necesse haberem ad iudicandum in tot controuersis, de veritate ipsa doctrinæ. Non igitur ego sum consultè atque prudenter in Christi Ecclesia. Sed aut sum extra illam, aut sum in ea non nisi temerè, nempe motus humana auctoritate (sicut in rei veritate sum) meorum Prædicantium, quos puto, licet ipse non intelligam, habere veram ac consentaneam

taneam Scripturæ sacræ doctrinam. Quod si ita est, certè decipiunt me, cum eiusmodi viam ad Ecclesiam, nempe cognitionem veræ doctrinæ, mihi ostendunt, per quam sum mihi factus conscius, & ipsi etiam sciunt, incedere me non posse. Hic quomodo, quæso, expedient se Prædicantes?

SECUNDÒ. Non modò, vt dictum est, omnibus facilis ad cognoscendum esse debet nota ipsa Ecclesiæ, sed cognitu etiam facilior, quàm id ipsum quod quæritur, nempe vtrum hic aut ille cœtus hominum vera sit Ecclesia. Idè enim alicuius rei notam appellamus, quod facilius ipsa in hominum notitiam incurrat, atque adèò perspicuum indicium sit rei magis abditæ, quàm inquirimus. At omnium iudicio æquè difficile, imò difficilius esse putatur, statuere, vtrum homines hi vel illi complectantur sanam omnino doctrinam, quàm vtrum ex his aut illis vera Christi Ecclesia, in Scripturis sanctis descripta, constet? Quare sana atque incorrupta omnino fidei doctrina non potest idonea esse nota dignoscendæ Ecclesiæ. Nam, si Ecclesiam ex aliquo alio indicio cognoscere, facilius quàm ipsam per se doctrinæ veritatem intelligere, non esset, non ipsa tanquam magistra & custos ipsius veritatis omnibus ac præsertim cognitione paruulis proponeretur, vt illi tanquam firmamento & columnæ innitentes non circumferantur omni vento doctrinæ. Quod præclare intelligens D. Augustinus Carthecumenum de ratione cauendi doctrinæ errores his verbis non frustra interrogantem alicubi facit: *Quo ergo, inquit, signo manifesto adhuc paruulus & nondum valens liquidam à torroribus discernere veritatem; quo manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi, in quem iam credere tanta rerum antea prædictarum manifestatione compellor?* Hic certè minimè dubium

PROBATIO
II.

Veritatem doctrinæ difficiliorem cognita esse, quàm Ecclesiam.

Lib. 13. contra
Fauft. cap. 17.

NOTA.

dubium eſt, quin Auguſtinus perſuaſus fuerit, facilius à rudi Cathecumeno, quæ ſit Eccleſia Chriſti, in qua doctrinæ errores debeant vitari, cognofci poſſe, quàm ipſam per ſe liquidam veritatem à tot erroribus ſegregatam.

Catechizandi ratio ab Auguſtino oſtenſa, quàm diſſerat à modo quo aliquis erudendus de fide eſſet ſecundum Sectarios.

Itaque longè aliud Cathecumeno ſic percontanti Auguſtinus reſpondit, quàm opinione Sectariorum debuiffet reſpōdere. Interroganti enim Chriſtiano Cathecumeno, *quo manifeſto indicio* (vt Auguſtinus inquit) ad euitandum errores *Eccleſiam poſſit tenere*, cū alioqui paruulus ipſe non valeat *liquidam veritatem diſcernere à tot erroribus*, reſpondendum Sectarij putant, non alio indicio Eccleſiam ab eo eſſe dignoſcendam, niſi illo ipſo quod ſe non poſſe diſcernere veriſſimè ille aſſeuerat, nempe liquida, neque vllis erroribus contaminata, doctrinæ veritate. Auguſtinus verò id reſpoſum, quoniam eſt ſtultiſſimum, Cathecumeno dandum non cenſuit. Sed ex Propheta Hieremia ei reſpondet, *Eccleſiam Chriſti ipſam eſſe prædictam, qua omnibus eminet & apparet. Ipſa eſt enim* (vt ait Propheta) *ſedes gloriæ: de qua Apoſtolus dicit: Templum enim Dei quod eſtis vos. Vnde iſte Propheta dicit: Sedes autem gloriæ exaltata eſt.* Sed quemadmodum ex claritate, & alijs (eiufdem Auguſtini quoque ſententia) manifeſtis indiſiis Eccleſia dignoſci poſſit, poſtea dicemus. Nunc non eam eſſe notam Eccleſiæ, quam Sectarij volunt, ſcilicet doctrinæ veritatem, ea ratione probamus, quia non eſt notior hominibus, quàm ipſa Eccleſia.

Ierem. 17.

Antonius Sadecl in refutatione Theſi Poſnanienſis, de Eccleſia. Eccleſia notam non ſolum ſecundum ſe ſed

Cui argumento non ſatis fecit nuper quidam Sectarius, cū reſpondit indoctè, vt doctrinæ veritas ſit Eccleſiæ nota, ſatis eſſe quòd natura ſua ſit notior quàm Eccleſia, et ſi non ſit eà notior ſecundum nos. Hoc imperitiſſimè dici nemo dubitare poterit, qui rationem teneat Notioris ſecundum naturam, & item Notioris ſecundum nos.

Natura

Natura enim notius id dicimus, quod habet in se plus rei atque perfectionis. Nam cum intelligentia nostra, in re ipsa atque rei perfectione perspicenda versetur, illud, naturam quidem suam, notius seu magis cognoscibile est, quod naturam plus habet perfectionis intelligibilis. Notius autem secundum nos illud dicitur, quod spectata nostrae intelligentiae imbecillitate, humanaque conditione, facilius a nobis cognosci potest. Vnde fit, ut quia rebus perfectissimis perspicendis, ob exiguum mentis nostrae lumen, impares sumus; illa secundum nos minus nota sint, quae sunt notissima sua natura. Quod appositè Philosophus declaravit, ubi breuiter dixit: ita se habere intellectum nostrum ad ea, quae sunt manifestissima natura, ut oculus noctuae se habet ad lumen solis: quod etsi natura sua maximè omnium visibile sit, à noctua tamen vix videri potest. Iam verò cum rei notam appellemus non id, quod in se plus habet unde cognosci possit, sed quod nobis imprimis ad rem obscuriorem facilius ex nostra parte cognoscendam adiumento est; profectò non est satis, ut rei nota sit notior naturam suam, sed oportet, ut imprimis nobis ipsis, seu secundum nos, sit notior. Quare si doctrinae veritas non secundum nos, ut isti fatentur, sed naturam tantum notior quam Ecclesia est; nequaquam Ecclesiae nota esse ipsa potest. Si enim, naturae atque intelligentiae nostrae modo & conditione spectata, notior nobis ad cognoscendum veritas doctrinae non sit, ut eius tanquam lumine, in videndo ubi sit Ecclesia, iuuemur; quid, obsecro, nobis ad Ecclesiae cognitionem ea nota valebit? Non plus certè (ut exemplum urgeam Aristotelis) quam lumen solis ad cernendum adiuuat oculos noctuae. Verùm hi homines lynces in Scripturis videri volunt; cum tamen repudiata Ecclesiae luce, quae ad intelligentiam Scri-

etiam secundum nos debere esse notiorum quam Ecclesiam: & quid sibi velit ea vocabula.

Lib. 2. Metaphys. cap. 1. textu 1.

pturarum necessaria est, vix tantum in illis videant quantum noctuæ & vespertiones in lumine Solis.

PROBATIO
III.

*Similitudine
ostenditur quam
sint inepti Se-
ctarij quod Se-
ritatem asig-
nent pro nota
Ecclesia.*

TERTIÒ. Valdè absurdum est, illud assignare pro sufficienti rei alicuius nota, quod ipsum tamè tanquam abditum atque obscurum, vnà cum ipsa re vel maxime inquiritur. Exempli causa, si quæram, in quonam loco Germaniæ cœlum sit salubre: ineptè atque etiam ridiculè respondebis, si tantum modo dicas, in eo loco salubre esse cœlum, vbi rarissimum est, vt homines propter aëris intemperiem ægrotent. Id enim ipsum est quod quæro, cuius proinde necesse est, vt aliquã aliam notam habeam. Sic, cum quærimus, quisnam hominum coetus sit Ecclesia; certè etiam inprimis quærimus, quis hominum coetus incorruptam teneat doctrinæ fidei veritatem: vt si ad eum nos aggregemus, de veritate securi sumus. Videmus enim veritatem omnes sibi Sectarios summa contentione arrogare; ideoque cum audimus Ecclesiam esse *firmamentum & columnam veritatis*, & ea de re præclaras habere à Deo promissiones, quæ nequeunt fallere; Ecclesiam inquirimus, vt in illa quoque certò inueniamus doctrinæ veritatem. Item scimus, doctrinæ fidei veritatem ad ipsam Ecclesiæ substantiam (vt supra quoque notauimus) pertinere: Describitur enim Ecclesia esse congregatio verè fidelium, id est, eorum qui fidei doctrinam inuiolatam tenent. Hinc autem necessario etiam efficitur, vt si cum iudicio, quoniam coetus Ecclesia sit, inquirimus; inprimis etiam quæramus, apud quonam sit incorrupta doctrinæ fidei veritas? Quare respondere hîc, eum coetum hominum Ecclesiam esse, qui fidei veritatem tenet; minimè satis erit.

*Veritatem do-
ctrina inprimis
quæri cum Ec-
clesia inquiri-
tur: & proinde
illam non esse
hinc notam.*

*Exemplo decla-
ratur quam sit
illa Sectariorum*

Quam ad rem declarandam (quoniam vel hoc vnum argumentum satis Sectariorum cæcitatem redarguit) vtat

vtar altero exemplo ex hac ipsa quæstione sumpto. Quæro enim à Sectariis, vtrum non sentiant, illam quoque, non minus certo quàm constantiam in veritate doctrinæ, esse Ecclesiæ prærogatiuam, quòd extra ipsam videlicet nemini contingat æterna salus? Opinor in ea re Apostolo Petro non repugnabunt, qui ob eam causam Ecclesiam cum arca Noe comparauit. Neque etiam reijcient peruulgatum illud dictum Augustini atque aliorum Patrum: *Non potest Deum in cælis habere patrem, qui non habuerit Ecclesiam in terris matrem.* Rursus ab eis interrogo, num percontanti, quis hominum cœtus sit vera Ecclesia; satis fuerit respondere, eum hominum cœtum veram Ecclesiam esse, extra quem nemini vnquam contingit salus? Negabunt procul dubio satis esse. Quam ob rem verò? Quia nimirum hoc ipsum vel maximè quis quærit, cum de Ecclesia quærit; in quonam videlicet hominum cœtu, tanquam in vera Christi Ecclesia, sit certa salutis spes, vt ad eum tanquam ad arcam in diluuiio se se recipiant. Quare alia nota ipsis opus est, ex qua vtrumque intelligant, scilicet & aliquem hominum cœtum esse veram Ecclesiam, & in eo solo proinde posse sperari salutem. Iam verò cum, vt dictum est, pari modo doctrinæ veritatem, qui de Ecclesia inquirunt, vnà cum Ecclesia, imò in ipsa substantia Ecclesiæ quærant, profectò non rectius iis respõdebitur, Ecclesiam esse eum cœtum hominum, qui veritatem tenet doctrinæ, quàm si respondeas eum cœtum esse Ecclesiam, in quo solo est certa salutis spes. Nam (quod sæpe repetendum est) veritatem inuenire cupimus, cum Ecclesiam indagamus; in eiusq; quasi gremio contineri volumus. *In ventre enim Ecclesiæ,* inquit elegantissimè D. Augustinus, *veritas manet. Quisquis ab hoc ventre separatus fuerit, necesse est, vt falsa loquatur. Necesse est,*

*consequentiã
imperita: Veritas
doctrinæ est
ab Ecclesia in-
separabilis: ergo
ipsa est nota Ec-
clesiæ.*
1. Pet. 3.

Lib. 4. de Sym-
bolo, cap. 10.

NOTA.

In Psalm. 57.

X 2 inquam,

inquam, ut falsa loquatur, quisquis aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excusit. Sic Augustinus, qui maxime ceterè hae oratione argumentum nostrum confirmat.

Ira Sadeel in refutat. Thef. Pofnaniu.

Ex eo quod Veritas doctrinae sit de essentia Ecclesiae, potius colligere Sectarij deberent, non eam esse notam Ecclesiae.

Nota rei aliquid, necesse est ut sit eius quasi accidens.

Non posse rem ex sola ipsius substantia dignoscet, exemplo confirmatur.

Ex quo planè intelligitur, crassissimam esse quorundam Sectariorum ignorantiam, cum nunc garrunt, idè Ecclesiam ex veritate doctrinae dignosci oportere, quia doctrinae veritas sit illi intima & substantialis. At qui inde potius perspicere isti deberent, doctrinae veritatem non esse idoneam ac sufficientem Ecclesiae notam, siquidem ipsa etiam in Ecclesiae substantia, & tanquam in eius ventre (ut loquitur Augustinus) abdita, simul quaeritur ab iis, qui inquirunt Ecclesiam. Idè enim aliis notis opus omnino est, quae eam substantiae rationem in vera Ecclesia nobis demonstrent. Tales autem notae, ut paulò post ostendemus, sunt Ecclesiae quaedam manifesta accidentia. Quae tantum abest, ut quia accidentia Ecclesiae sunt, idè esse nequeant (sicut imperitè isti ratiocinantur) Ecclesiae notae, ut vel eo nomine maxime illis notae ratio conueniat. Sunt enim ferè accidentia rei ipsa re clariora, faciliusque in hominum cognitionem incurrunt. Quae ratio est, cur etiam Philosophus in vniuersum verissimè senserit, vniuscuiusque rei accidentia ad ipsius essentiam siue substantiam cognoscendam conferre. Quod si necdum hoc sibi persuadent Sectarij, sed doctrinae veritatem eo ipso, quod Ecclesiae substantiae ratio est, sufficientem Ecclesiae notam esse putant; obsecro, mihi dicant, si Deus talem aliquam naturam indiuiduam hominis conseruaret, in qua ne humana figura, neque hominis vlla operatio, neque aliquod omnino humanum accidens, praeter humanam substantiam esset; quod percipi posset: dicant, inquam, vtrum ex sola substantiae hominis definitione (nempe animae rationale) quae nihilominus illi naturae

tunc

tunc conueniret, posset omnino aliquis hominum deprehendere, naturam hominis illam esse? Nullus profecto, nisi Deus vel Angelus, id cognoscere posset. Sunt enim nobis essentia ipsa per se rerum obscura & abdita; neque ad eas intelligentia nostra nisi per accidentia penetrare vilo modo potest. Quocirca doctrinae veritas non eo ipso, quod essentia seu ratio Ecclesiae sit, sufficiens est Ecclesiae nota: sed ut aliarum rerum, sic etiam Ecclesiae accidentibus quibusdam ratio notae competit.

QUARTO. Vniuersa fidei doctrina incorrupta atque integra non potest esse necessaria & idonea nota eius rei, quae vna quaedam pars est doctrinae fidei. Esset enim tunc, secundum eam quidem partem, nota sui ipsius: & sic se ipsa quoad eam quidem partem deberet esse magis & minus, prius & posterius nota, quod est plane absurdum. At vna quaedam fidei doctrinae pars est, quod ille coetus hominum sit vera Ecclesia, quae reuera est. Non est igitur vniuersa fidei doctrina eius rei dignoscendae necessaria atque idonea nota. Sed neque fidei doctrina tota, hoc vno excepto fidei dogmate (nempe illum coetum esse veram Ecclesiam, qui re ipsa est) pro idonea Ecclesiae nota, assignari potest. Fac enim aliquem hominum coetum de omnibus aliis fidei dogmatibus recte sentire, & in illo solo articulo fidei errare: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam: certe vel ob hunc solum errorem coetus ille non vera Ecclesia fidelium, sed Synagoga esset haereticorum. Ita fit, ut ne ex veritate quidem doctrinae in reliquis omnibus fidei partibus, tanquam ex certa & sufficienti nota, statui possit, aliquem determinate coetum esse veram Ecclesiam. Quanquam iam quidem, secundum partitionem, quam supra fecimus, probationis nostrae contra Sedariorum notas, imprimis illud confirmamus, vniuersam

PROBATIO
IIII.

Absurdum consequens, si doctrina veritas vniuersa ponatur Ecclesiae nota.

uerfam omnino fidei doctrinam non esse idoneam no-
tam Ecclesię. Quod autem neq; sit secundum aliqua do-
gmata (quęcunq; illa fuerint) antea quoque est à nobis
probatum.

PROBATIO
V.

QVINTÒ. Neq; verisimilis, neq; diuinę erga homines
providentię consentanea res est, vt inde dignosce-
re atq; discernere oporteat Ecclesiam, quod, etsi falsò
quidem, tamen summa cum facilitate singuli quiq; here-
ticorum cœtus sibi arrogant. Imò verò si quid tale est,
id profectò non modò secundum Dei providentiam nõ
est conueniens Ecclesię nota, sed ne nota quidem; cum
adeò parum ipsum sit notum, vt in eo falli atque errare
tam sit omnibus iis procliue, qui in fidei rebus falluntur.

At quàm facilè vniuersi hæretici de doctrinę veritate, at-
que bono Sacramentorum vsu glorientur, quis est qui
ignoret? Certè & videmus id non absque dolore ipsi in-
omnibus huius ætatis Sectariis (quod ne ipsi quidem diffi-
teri possunt) & de hæreticis similiter temporum superio-
rum idem cognoscimus sanctorum Patrum testimoniis.

Lib 3. de bapt. *Facillimè enim, inquit Augustinus, ad imagines phantasma-
tum suorum carnales atq; seductores hæretici conuertunt omnia
Sacramenta & verba librorum sanctorum.* Quod idem aliis
verbis beatus ^a Irenæus & ^b Tertullianus testatum reli-
querunt.

^a Lib. 1. aduer-
sus hæres. c. 1.
^b Tertull. lib.
de præscrip.

At enim, inquiunt Aduersarij, falsò sibi hæretici ver-
bum Dei, id est, fidei doctrinam arrogant. Certè. Nam à
sententiã & intelligentia ipsa, in qua verbum Dei propriè
consistit, aberrant, tantumq; Scripturę sacrę literis, tan-
quam melle, oblitum venenum opinionum suarum pro
cœlestis doctrinę succo venditant populis, quos miserè
decipiunt. Sed quia tam facile est vniuersis hæreticis do-
ctrinam veram falsò sibi arrogare, & eiusmodi prætextu
Eccle-

*Doctrina Veri-
tatem aque sa-
cile omnes hæ-
reticos sibi ar-
rogare, ac pro-
inde non esse
eam Eccle. no-
tam.*

Ecclesiam se esse cum multorum exitio persuadere: idè rectè cõcludimus, nõ esse credibile, quin aliã sint Dei beneficio clarissimã notã, quarum perceptione paruuli etiam ac simplices, qui non valent ipsi *liquidam* (vt ait Augustinus) à tot erroribus discernere veritatem, possint ad Ecclesiam Christi, tanquam ad salutis tutissimum portum, sese recipere. Quid enim, quãso, alioqui faciat seu rusticus, seu mercator, seu artifex, seu nobilis illiteratus, qui suã salutis cupidissimus diligenter atq; sollicitè interrogat, apud quosnam Ecclesia sit, quorum cõtui aggregare se debeat? Obit eius rei causa Germaniam, & Galliam totam; interrogat Zuinglianos, Lutheranos, Hussitas, Anabaptistas, & harum omnium Sectarum quascunque factiones, in quas vnaquãq; rursus multipliciter varièq; diuiditur. Audit ab omnibus eiusmodi Sectariis pari contentione sibi dici, Ecclesiam Christi eam esse, quã veritatem doctrinã retinet, & rectum vsum Sacramentorum: Se autem omnino eos esse, qui veram doctrinã & Sacramentorum rectum vsum retineant: Proinde suum ipsorum cõtum esse Christi Ecclesiam, cui aggregare vnusquisq; se debeat. Hãsitat hñc animo miser ille; cùm omnes eiusmodi Sectarios videat eque sibi auctoritatem Ecclesiã vendicare, neq; ipse satis ex differentia doctrinã (quã pro nota ei proponitur) diiudicare valeat quinam potius ex illis sint vera Ecclesia. Quod si de peccato, de iustificatione, de meritis, de Sacramentis, de quẽ aliis doctrinã capitibus hodie controuersis explicare ipsi velis, quã sententia sit verior: obsecro quid ipsum iuuas? An enim hominem illiteratum de iis rebus rectè iudicaturum arbitraris, quas vix Theologi, multorum annorum spatio, in Scholis discere potuerunt? Audiet verba, quã proferes, & nonnihil etiam fortassis intelliget: Sed nisi

Non posse vulgares homines ab illis Sectariis discernere, quãnam sit vera Ecclesia: cùm iam ad Christi Ecclesiam omnes aggregare se debeant.

nisi demens quoque & non tantum illiteratus eiusmodi homo sit, euidenter sibi conscius erit, se res illas (etiam quod attinet tantum ad ipsa puncta his temporibus controuersa, ut nihil de exactiori cognitione Theologicorum dogmatum dicamus) non ita certe intelligere, ut valeat ipse liquidam à tot erroribus discernere veritatem. Quid igitur talibus facias? Ad scholas ne omnes ducendi sunt, ut inde, cum intellexerint doctrinæ veritatem, deduci demum, eius notæ beneficio, ad veram Ecclesiam possint? Profectò fuisset crudele, & est adeò incredibile, Deum non per alias notas Ecclesiæ clariore minusq; fraudi hæreticorum expositas, voluisse hominum saluti consulere.

PROBATIO
VI.

SEXTÒ. Maximum pondus in fidei controuersis, Ecclesiæ veræ auctoritatem habere, & cam idcirco rectissime ad reuincendos errores in eiusmodi quæstionibus interponi, extra omnem controuersiam est. At nec valeret Ecclesiæ auctoritas in eiusmodi quæstionibus aliquid, nec in illis iure interponi posset, si veritas doctrinæ fidei integra, atque incorrupta, esset nota necessaria ad dignoscendam Ecclesiam. Non ea igitur Ecclesiæ nota debet statui. Iam confirmo quæ sumpsî singula. Ac primum quòd Ecclesiæ auctoritas in fidei quæstione valeat, interponiq; possit, ne ipsi quidem Sectarij negant. Nam etsi disputant perfidè, hanc Ecclesiæ auctoritatem non esse ipsam infallibilem, non iudicant tamen nullam esse, quin potius consententur ad eam rem omnino valere, ut instituta per Ecclesiam diligenti inquisitione doctrinæ, diiudicentur atq; notentur errores & hæreticorum audacia, comprimatur. Neq; enim (inquit è præcipuis Sectariis quidam) Ecclesia Dei, motis præsertim de religione controuersis talis cœtus est, vbi nulla fiat de controuersis.

Kemnitius in
pæfat. 2. p. ex-
amin. Concil.
Trid.

uersis talis coetus est, vbi nulla fiat de controuersis ex verbo Dei inquisitio, nulla sententiarum collatio, nulla dogmatum diiudicatio, sed quisque fingat, & praesumat sibipeculiarem, quam amplecti & tueri velit, sententiam. Sed ideo Deus voluit esse communionem & consociationem, vt instituta de controuersis inquisitione doctiores in verbo Dei fundamenta verae sententiae aliis ita praemonstrent, vt ipsi agnoscere possint, quae sententia vt Orthodoxa sit amplectenda, quae vero opiniones vt falsae sint damnandae, vt ita errantes in viam reuocentur. Et habemus pro auctoritate, quae est in Ecclesia iudicandi de rebus fidei (si maxime eam Sectarij nullo modo concederent) illustra Scripturae sacrae, sanctorumque Patrum testimonia. Si enim *columna & firmamentum est ipsa veritatis*; cur non in quaestionibus de veritate ad confirmationem nostram audiri debeat, ne *omni circumferamur vento doctrinae*? Si *diuina veritas*, vt testatus etiam est Dauid, *in Ecclesia est Sanctorum*, & tanquam in eius ventre, vt Augustinus interpretatur, *delitescit*; nonne iure ac merito explicationem veritatis de ore ipso Ecclesiae requiremus? Ibi est enim diuinitus *positum*, id est, ibi sonat ipse Dei verbum: neque tam ipsa est, quae loquitur, quam Spiritus ipse diuinus, qui *suggerit illi omnia*, quem proinde iudicem audimus, cum audimus Ecclesiam de fidei quaestionibus pronunciantem. Atque hoc ipsum etiam veteres Patres de Ecclesiae auctoritate praecclare intellexerunt & testati sunt. Quam tanti fecit Diuus Augustinus, vt ne *Euangelio ipsi quidem* (quod caput est doctrinae fidei) *crediturum se fuisse dixerit*, nisi haberet Ecclesiae auctoritatem. Item Augustino antiquior D. Irenaeus: *Non oportet, inquit, querere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli, quasi depositarium diues, plenissime in eam contulerint omnia quae sunt veritatis, vti omnis, quicun-*

1. Tim. 3.

Ephes. 4.

Psal. 88.

In Psal. 57.

Isai. 59.

Lib. contra epist. fundam. cap. 4.

Lib. 3. aduersus haeretic. 4.

que velit, sumat ex ea potum vita. Hac est enim vita introitus: Omnes autem reliqui fures sunt & latrones: propter quod oportet deuitare quidem illos: Quæ autem sunt Ecclesiæ, magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim si aliquibus vel de modica quæstione disceptatio esset; nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis sumere quod certum & de reliquum est? Item Tertullianus: Quid, inquit, Christus Apostolis reuelauerit, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt. Quod autem præterea in argumento sumpsimus: Si veritas doctrinæ fidei integra atque incorrupta, esset nota necessaria dignoscendi, quæ sit Apostolica, atque adeo vera Christi Ecclesia; nihil omnino in quæstionibus de doctrina fidei valere posse Ecclesiæ auctoritatem; id verò probo manifesta ratione. Nam si quis eam interponeret, illico tunc liceret obiicere; cum Ecclesia vera ex incorrupta prorsus doctrina dignoscenda sit, non antè cõstare, vtrum coetus ille hominum, cuius sententia & auctoritas allegatur, sit vera & Apostolica Ecclesia, quam fuerit de illa ipsa sententia aliis argumentis constitutum vtrum vera sit: proinde cum adhuc ea de re disceptetur; minimè licere in aliquam eius quæstionis partem auctoritatem atque sententiam vllius coetus hominum tanquam Ecclesiæ veræ interponere. Atqui constat ex iis testimoniis, quæ attulimus, plurimum sine controuersia in fidei quibusq; quæstionibus auctoritatem Apostolicæ veræq; Ecclesiæ valere debere, atq; adeo iure optimo, tum ad probandū, tum ad reuincendum interponi posse. Non est igitur doctrinæ veritas incorrupta necessaria atq; idonea nota Ecclesiæ veræ dignoscendæ: Si enim esset; auctoritas Ecclesiæ, vt probatū est, nihil omnino tunc valeret: Quod absurdissimum est.

Lib. de præscript.

Non posset Ecclesia auctoritas in fidei controuersis interponi, si nota Ecclesia esset vera doctrina.

Quo.

Quoniam igitur veram doctrinam fidei neq; in vniuersum integram atq; incorruptam, neq; etiam secundum vllam eius partem, aut partes, idoneam atq; necessariam Ecclesie notam esse, demonstratum est: coguntur pati Aduersarij, vt ex alijs notis quæ sit vera Ecclesia diiudicemus. Et dico, coguntur, quoniam non possunt non inuiti eam rationem de Ecclesia vera disputandi admittere, quæ ipsos euidenter ostendit esse planè extra Ecclesiam veram. Nam, vt supra dicebamus, veritatem doctrinæ notam Ecclesie esse contendunt, non tam, vt ex illa ipsi ostendant (quod planè desperant) esse se in Ecclesia vera, quàm vt infinita quæstione primùm de veritate doctrinæ instituta nos impediant atq; retardent, quo minus ex alijs idoneis Ecclesie notis, à quibus omnibus defecerunt, clarè videamus, eos ex Ecclesia Christi exiisse, quod hæreticorum est proprium.

Coguntur Sectarij admittere alias Ecclesie notas præter Veritatem doctrinæ.

VERE ECCLESIE NOTÆ STABILIVNTVR.

Sed quanam tandem illæ sunt notæ? Omnino in Ecclesia, quemadmodum neque in alia vlla re, præter ipsius essentiam & accidentia nihil inest. Ostendimus autem euidenter paulò antè, essentiam ipsam Ecclesie, ad quam veritas doctrinæ fidei pertinet (est enim congregatio verè fidelium) nequaquam esse satis, vt aliquem hominum cœtum Ecclesiam veram esse dignoscamus. Si enim ad probationem aliud nihil sumas, quàm quod hic vel ille cœtus sit congregatio verè fidelium baptizatorum, &c. (hæc enim est ratio & essentia Christianæ Ecclesie) nihil omnino effeceris. Hoc enim ipsum alijs ex notis volo mihi confirmes, sicut paulò antè contra nimis arrogantem Aduersariorum inscitiam argumentati sumus. Restat igitur, vt accidentia alia quædam, seu proprietas

Sadeolis, 179.

*Ecclesia nota
accidentia seu
proprietates
quasdam ipsius
esse oportere.*

*Quid requira-
tur, & quid nō
obstet in Eccle-
sia notā.*

*Ecclesia nota o-
mnes nō debue-
runt necessariō
illis competere
in ipso suo exor-
dio.*

prietates Ecclesiæ sint illius notæ. Sed quia multa ac va-
ria, ut suprâ docuimus, sunt Ecclesiæ accidentia siue pro-
prietates, intelligendum est, & quid in iis requiratur, ut
sint Ecclesiæ notæ, & quid etiam, quo minus sint, nō im-
pediat. Requiritur ergo primùm, ut omnino Ecclesiæ
veræ conueniant; atq; etiam ut illi soli, qua ratione qui-
dem assignabuntur pro Ecclesiæ notis. Nam si aut Ec-
clesiæ veræ non competunt, aut in aliis cœtibus qui Ec-
clesia non sunt, reperiuntur, non poterit ex illis certò at-
que propriè dignosci ille cœtus hominum qui solus est
Ecclesia Christi vera. Deinde etiam necesse est, ut sint
eiusmodi accidentia cognitu facilia omnibus, & quidem
clariora ea ipsa re, quæ quæritur, nempe vtrum hic aut il-
le cœtus sit Ecclesia, id est, cōgregatio eorum, qui veram
fidem habent. Nam id est de ratione notæ, sicut demon-
strauimus paulò superiùs. Non impedit verò neq; tollit
rationem notæ, quod quædam ex eiusmodi Ecclesiæ ac-
cidentibus non iam inde ab eius exordio ipsi conuene-
runt. Satis est, si secūdam certissimas Scripturas ei com-
petāt in eo statu quem iam habet, quemq; habitura fuit
post disseminatum Euangelium in orbe per prædicatio-
nem Apostolorum. Quæritur enim iam post Apostolo-
rum tempora Ecclesia in eo velut ætatis suæ statu, quem
habet & fuit habitura post ea tempora, non autem in il-
lo quem vel in ortu suo vel in primo progressu habuit ad
breue tempus, tanquam in infantia. Quare illa acciden-
tia, quæ in hoc statu ipsi competunt, illius sunt in hoc sta-
tu notæ, licet non illis prædita fuerit etiam initio, cum
primùm oriretur. Sicut contrâ quoque, aliis quibusdam
ex accidentibus, tanquam ex notis, in suo primordio co-
gnosci Ecclesia potuit ac etiam debuit, quibus nunc qui-
dem post Euangelij propagationem non perinde est præ-
dita.

data. Erant illis temporibus Ecclesiæ notæ non modò quædam eius proprietates, quas nunc habet & tunc etiam habebat (vt quod erat vna, Apostolica, &c.) sed etiam mira quædam prodigia & signa visibilia, quæ tunc cernebantur in Ecclesia, id est, in cœtu fidelium. Quas notas ipse miraculorum auctor Dei filius assignauit atq; ostendit hominibus. Nam, *signa*, inquit, *eos qui crediderint hæc sequentur, in nomine meo demonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, &c.* Atque etiam descende-
Quædam initiis fuerunt Ecclesiæ nota quæ nunc non sunt.
Marci 16.
Actor. 2.

bat visibiliter Spiritus sanctus super iis, qui manuum impositione ab Apostolis confirmabantur. Hæc signa non perinde nunc in Ecclesia fiunt: neque tamen id impedit, quo minus tunc, cum illis ornaretur Ecclesia, notæ ipsius, vt erat quidem in illo statu, fuerint. Ita vicissim, post propagatum Euangelium, alia quædam Ecclesiæ accidentia, quæ statim exponemus, Ecclesiæ notæ sunt in hoc Ecclesiæ statu: tamen si non etiam illis initiis fuerint in Ecclesia.
Sadec.
Inscientia Sæctariorum.
Quæ explicatio ignorantiam erroremque quorundam Sæctariorum perspicuè redarguit, qui putant nunc aliquid se dicere, cum argumentantur, claritatem, & diffusionem, & similes prærogatiuas Ecclesiæ, de quibus statim dicemus, ideò Ecclesiæ notas esse non posse, quoniam illis aliquando caruit Ecclesia: quæ tamen tunc etiam cognosci debuit ac potuit. Non enim cogitant, cum differentia status Ecclesiæ, vt explicatum est, differentiam notarum eiusdem Ecclesiæ optimè congruere. Quocirca perperam etiam atque inscitè concludunt, idoneam atque necessariam Ecclesiæ notam omni tempore esse doctrinæ veritatem, quia ea nunquam Ecclesia caruerit, cum sit de eius essentia. Cōtrarium enim, vt supra demonstraui, concludere deberent. Nam quia de essentia Ecclesiæ est, perpetuò doctrinæ veritas, inde fit vt in-

primis ipsa quærat, cum quæritur Ecclesia, atque adeo ut ex aliis notis indicari ipsa in Ecclesiæ quasi ventre (ut loquitur Augustinus) & antè in illis initiis debuerit, ut explicatum est, & nunc etiam debeat. In Ecclesia enim sicut *depositorium*, ut Irenæus inquit, cœlestis doctrinæ veritas custoditur: atque adeo non satis ipsa per se patet, nisi Ecclesia, quæ custos & depositaria eius est, auctoritatem suam, tanquam clauem, ad Scripturam admoueat, & aperiat. Prorsus, ut non minus absurdum sit, veritatem facere notam Ecclesiæ, quam si ex re deposita, bene atque arcanè custodita, cognoscere velles, quis & qualis sit depositarius, & non potius ex depositario quæreres de re ipsa deposita. Sed quemadmodum Ecclesia non essentia sua ad quam spectat veritas, sed ex eius accidentibus, tanquam ex notis, cognosci debeat; & qua id ratione possit accidentibus conuenire, satis hæcenus expostum est.

Nunc assero, secundum eam doctrinam, notas dignoscendæ Ecclesiæ esse priores sex proprietates, ex illis octo, quas supra ostendimus, Ecclesiæ Christi conuenire: videlicet, quod sit *vna, Catholica, sancta, Apostolica, rectè ordinata, visibilis*. Has siue proprietates, siue prærogatiuas Ecclesiæ, simul saltem atque coniunctim consideratas, affirmo necessarias atque sufficientes illius notas esse, secundum eum quidem statum, quem post disseminatam in orbe Euangelium habet & habitura est vsque ad tempus consummationis seculi. Nulla est enim earum Ecclesiæ prærogatiuarum, quæ secundum aliquam saltem notionem ipsius (ut explicabimus) facilius cognitu apud omnes non sit, quam ipsa ratio Ecclesiæ. Et præterea omnes conueniunt Ecclesiæ, ut supra probatum est; atque etiam soli ipsi, saltem si coniunctim, ac simul omnes illas,

Lib. 3. cap. 4.

Absurditas nota quam assignant Sæctarij rursus ostenditur alio exemplo.

Ecclesiæ notas esse potissimum sex, & quomodo.

vel etiam pleraque earum considerentur. Quod ideo sic dico, quia fieri forte posset, ut aliqua prerogativa illarum per se sola & separatim ab aliis, reperiretur in aliquo coetu hominum, qui non sit vera Ecclesia (ut claritas per se, verbi gratia) sed ut aliqua illarum prerogatiuarum simul atque coniunctim cum omnibus reliquis, aut illarum plerisque, in alio coetu, nisi in Ecclesia vera reperiatur, fieri secundum legem quidem Dei ordinariam non potest. Quoniam via & ratione omnino tunc careremus, Ecclesiam Dei certo internoscendi (vbi etiam iubemur) fecerendique ab aliis hominum conuenticulis, qui Ecclesia non sunt. Quod diuina erga nos prouidentia nullo modo consentaneum esset. Non enim ex ipsa alioqui Ecclesie essentia, atque adeo neque ex doctrinae fidei veritate, aut ex officiis seu ritibus, de quibus ex doctrina iudicandum est, satis ab omnibus Ecclesia dignosci potest, ut supra euicimus. Neque vero preter doctrinae veritatem, & ritus ex doctrina pendentes, aliud aliquid ipsa Ecclesie essentia clarius ordinarie in Ecclesia animaduertere licet, nisi iam numeratas illas eius prerogatiuas. Quare restat omnino, ut ex illis, saltem coniunctim consideratis, tanquam ex suis propriis notis dignosci Ecclesiam oporteat. Et certe Scriptura sacra manifeste hoc ipsum indicat, dum proprie per haec ipsa accidentia Ecclesiam nobis, qualis ea post Euangelium disseminatum futura fuit, describit, ut supra perspicuis testimoniis, pro vnaquaque earum proprietatum adductis, docuimus. Inde enim fit, ut qui sibi persuadeat, eam congregationem esse Ecclesiam, in qua omnes eiusmodi proprietates (quae quidem ab omnibus facile cognosci queant, sicut Ecclesia debet cognosci ab omnibus) animaduertit: is plane Scripturam sacram, tanquam Duce[m] Ecclesiam indicantem, sequatur.

Accidentia Ecclesiae maxime illustrata, per quae illa in Scripturis describitur, à Scriptura ipsa tanquam Ecclesiae notae indicantur.

quatur. Quamobrem ne in errorem homines à Scriptura ipsa per se, cum ita de vera Ecclesia ratiocinantur, induci aliquando possint; necesse profus est, eiusmodi accidentia seu prærogatiuas (saltem coniunctim) esse proprias ac certas Ecclesiæ notas, quæ nequeant proinde secundum legem quidem Dei ordinariam in alio cœtu hominum, qui non sit Ecclesia, reperiri. Atque hoc ipsum præclare sanctos Patres intellexisse, inde perspicuum est, quod non nisi ex iis proprietatibus (vt videbimus) contra hereticos suis temporibus Ecclesiam veram asseruerunt, illosque ab ea descivisse conuicerunt. Hęc vis illius Diui Augustini sententię est: *Nolo, inquit, humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.*

Lib de vnitat.
Eccl. cap. 3.

Quo sensu dixerit August. Ecclesiam esse demonstrandam per Scripturam.

Quia nimirum Scriptura est, quę quibusdam in locis clarissimè (nō enim ubiq; planè obscura est) nobis eas Ecclesię proprietates indicat, ex quibus illa tanquam ex notis probari debeat. Porro septimam & octauam proprietatem Ecclesię suprā numeratas, nempe assistentiam atq; directionem Spiritus sancti perpetuam, ne vnquam aberret à veritate; & certam in ea sola spem comparandę æternę salutis; idè in Ecclesię notis non etiam pono, quia licet illi quoque proprietates istę, vt suprā probauimus, maximè conueniant, tamen sunt cognitu difficiliores, quàm ipsa Ecclesia, vt ex iis patet, quę antè sunt à me disputata.

*DEMONSTRATVR EX LEGITIMIS NOTIS
Ecclesiam solam Romanam esse veram Ecclesiam.*

Solam Romanam Ecclesiam esse veram demonstratur ex Ecclesię notis.

PROBO igitur ex notis iam assignatis solam illam congregationem seu cœtum hominū, qui Romano Pontifici pro tempore existenti paret, esse veram Christi Ecclesiam, hoc modo: Illa hominum congregatio sola est Eccle-

Ecclesia Christi, quæ eadem est & una, & sancta, & Catholica, & Apostolica, & rectissime ordinata, & visibilis, hoc est, in luce hominum perpetuò constituta. Sola autem ea congregatio, quæ Romano Pontifici pro tempore existenti paret, & nulla alia est talis. Igitur ipsa sola est Ecclesia Christi. Prior propositio, scilicet illam solam hominum congregationem esse Christi Ecclesiam, quæ est una, sancta, &c. satis hætenus probata est tum iis testimoniis, quibus eas Ecclesiæ proprietates supra asseruimus, tum etiam iis rebus, quæ de Ecclesiæ notis disputatæ iam sunt. Solam autem congregationem, quæ Romano Pontifici pro tempore existenti paret, esse talem, nempe unam, sanctam, Catholicam, &c. id verò nunc ordine probandum est. Neque verò in hac probatione omnes eas notiones persequemur, quas supra docuimus spectare ad huiusmodi Ecclesiæ proprietates, sed illas duntaxat, quas cognitu facillimum sit alicui hominum cœtui competere.

TALIS est potissimum in vnitatem Ecclesiæ doctrinæ fidei cōsensio. Hanc in sola cōgregatione, quæ Romano Pontifici paret, nunc reperiri facillè probatur. Nam ea sola rationem accommodatam ad retinendam in doctrina cōcordiam retinet: in qua re supra euicimus hanc doctrinæ fidei vnitatem propriè consistere. Ipsa enim vnum Pastorem rectissime (vt suo loco probabitur) agnoscit, cuius iudicio in fidei controuersis acquiescit. Vel (vt Cypriani verbis vtatur, quibus Ecclesiam definit) ipsa est *plebs sacerdoti advnata, & pastori suo grex adherens*. Itaque quàm facile est in Ecclesia cognoscere quid summus Pontifex de fidei quæstionibus cum auctoritate, hoc est, vniuersam Ecclesiam obligando decernat: tam est Ecclesiæ facile retinere in doctrina fidei consensum. Contra verò hæreticorum omnium conuenticula, dum Scri-

I.
Ecclesiam Romanam solam esse vnam.

Lib. 4. epist. 10. ad Florentiū Pup.

Omnia hæreticorum conuenticula.

Z ptura-

*cula carere
Sinitate.*

pturarum atque adeò fidei explicationem alicui certæ auctoritati, tanquam diuina assistentia infallibili, non committunt; sed vnicuique Scripturam solam, vt vnicam ac sufficientem fidei regulam proponunt; necesse est, vt in tot sententias de fide ipsa diuersas distrahantur, quot sunt ferè capita. Quod & experientia plus satis profectò docet. Ita non retinent doctrinæ fidei vnitatem: quoniam non sequuntur in doctrina rationem accomodatam ad consensum, sed eiusmodi prorsus, quæ sectas ipsa varias identidem pariat, vt variè à variis Scriptura ipsa intelligitur. Nam quod dicunt, Scripturam esse cognitu facilem; suprâ ostendimus, qui sibi id persuadent, eos propemodum etiam insanire. Quid enim esse causæ censebimus, quam ob rem Lutheri doctrina, dum Scripturam tantum, id est, Lutheri de Scriptura sensum, est sequuta, tot sectas differentes ipsa protulerit, quot passim etiam in tabulis depictæ monstrantur? Nempe quia Scriptura, quam solam proposuit discipulis suis Lutherus, facillimè potuit diuersis modis intelligi, cum sit ea hominibus ipsis quidem, ob multas causas superius expositas, ad intelligendum difficilis. Neque verò aliqua ex illis ipsis sectis, quæ ex Lutheri quasi prima disciplina prodierunt, magis iam vna & suapte ratione consentiens secundum doctrinam fidei, quàm illa prima disciplina Lutheri dici potest. Nam cum similiter vnaquæque sectarum Scripturam solam sequendam sibi nunc proponat; illarum quælibet est similiter suapte ratione (vt ita dicam) dissolubilis porrò atque dissipabilis: Siquidem nihil procliuus est, hominibus præsertim æquè imperitis ac superbis, quàm varias admodum de Scriptura opiniones comminisci.

Quod

Quod si nobis isti respondeant, se satis hoc ipso doctrinae unitatem retinere, quod tandiu quidem omnes consentiunt, quandiu in vna aliqua secta, vt Sacramentaria, vel Vbiquitaria, vel Illyricana, &c. numerantur: iam supra docui non proprie in actuali consensu, sed potissimum in ratione accommodata ad retinendum consensum ponendam esse necessariò hanc prerogatiuam unitatis, quae proprie tribuitur Ecclesiae verae. Non enim alioqui Ecclesia Dei ab haereticorum coetibus unitate doctrinae differret: cum (vt supra docui) nullus vnquam haereticorum fuerit coetus tam exiguus, in quo non actu, fuerint in quaestionibus fidei consentientes, qui ad ipsum pertinuerunt, quandiu pertinuerunt ad eum quidem. Et tamen sancti Patres antiquis etiam nihilominus haereticorum sectis diuisionem atque doctrinae schismata & varietatem rectissime obiecerunt: quia cum omnibus haereticis commune fuerit Scripturis solis, id est, suo de Scripturis sensu niti velle; in ipsa sectarum omnium ratione radix fuit & causa dissensionum. Hinc Donatistarum secta seu pars, ^a vt Augustinus inquit, in minutissima frustra concessa fuit. Quod similiter de aliis haereticis alij ^b Patres memoriae prodiderunt. Variant enim, vt inquit ^c Tertulianus, haeretici inter se, dum vnusquisq; pro suo arbitrio modulatur quod accepit: quemadmodum ea pro arbitrio composuit ille, qui tradidit. Quare idem licuit, inquit, Valentianis quod Valentino (sicut & Lutheranis quod Lutheri) Marcionis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innouare. Denique penitus inspectae omnes haereses in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur. Ergo doctrinae unitas in Ecclesia vera, in primis etiam ratione accommodata ad retinendum doctrinae consensum continetur. Qua ratione, quia carent, vt ostendi, omnes sectae; nulla illarum vera

*Coguntur Sectarij agnosce-
re, velint no-
lunt, se carere
Unitate.*

NOTA.

*Eodem modo
nunc Sectaria
obici defectio-
nem ab Unitate
quo eam olim
Patres obiece-
runt haereticis.
^a Lib. 1. de
Bapt. contra
Donat. cap. 6.
^b Irenaeus lib.
1. aduers. hae-
res. cap. 5. Cy-
prian. lib. de
unit. Eccl. &c.
^c Lib. de pra-
scriptis.*



Lib. 4. epist. 10.

Ecclesia est: sed sola Ecclesia Romana. Hæc enim, vt ex Cypriano reperam, *plebs est sacerdoti adunata & grex pastori suo adherens. Quem quidem dum audit, vnitatem doctrinæ retinet: sicut contra non aliunde hæreses obortæ sunt aut nata sunt schismata, quàm inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos & ad tempus iudex vice Christi cogitatur, vt idem inquit Cyprianus.*

Lib. 1. epist. 3, ad Cornel. contra hæreticos.

II.

Sola Ecclesia Romanam esse CATHOLICAM.

IAM verò quod sola congregatio, quæ Romano Pontifici pro tempore existenti paret, sit Catholica, eodem modo probamus, quo probauerunt id olim sancti Patres, vt hæreticos sui temporis ostenderent exiuisse ex Ecclesia. Ille enim cœtus in primis Catholicus est, qui communicat in fidei & religionis Christianæ instituto cum omnibus per orbem gentibus; vt ex instituto etiam suscepit Augustinus probandum in peculiari libro, quem de vnitæte Ecclesiæ conscripsit. Solus autem cœtus, qui Romano Pontifici nunc paret, ita communicat cum omnibus gentibus, hoc est, credit, quod vbique, quod ab omnibus nationibus creditur, igitur ille solus Catholicus est. Sed præstat audire Augustinum, qui contra Donatistas maximè argumentum hoc ita tractat, vt planè etiam videatur contra Sectarios hodie propugnare causam Ecclesiæ Romanæ, sicut tunc etiam propugnabat.

Lib. de vnitæte Eccl. cap. 3.

Cum Christi Ecclesia, inquit, Catholica canonicarum Scripturarum diuinis & certissimis testimoniis in omnibus gentibus designata sit: quidquid attulerint aut vnde cunq; recitauerint, qui dicunt; Ecce hic est Christus, ecce illic; audiamus potius, si oues sumus, Pastoris nostri vocem ibidem dicentis; Nolite credere. Singulæ quippe hæreses in multis gentibus vbi Ecclesia Catholica est, non inueniuntur. Hæc autem quæ vbique est, etiam vbi illa sunt, inuenitur. Item: Audite, inquit, hæretici, quid scriptum sit: Oportebat Christum pati & resurgere à mortuis, & prædicari

Matth. 24.

Lib. 4. de Symbol. cap. 10. Lucæ 24.

in nomine eius penitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes. Omnes gētes totus mundus est. Ecclesia totum possidet, quod a viro suo accepit in dote. Quaecunq; congregatio cuiuslibet heresis in angulis sedet, concubina est, non matrona. Nonne videtur cum Sectariis hodie loqui? Hoc enim est in angulis sedere, & tanquam cōcubinam esse, in paucis prouinciis (vt hodie euenire Sectis omnibus cernimus) locum habere; in plerisq; aliis omnibus aut omnino non esse, aut latere, non se prodere, non manifestè per orbem dilatari. Quod perinde est, ac omnino non esse. Nam Ecclesia Christi continuò succrescit vsque ad^a messem, & b palmites suos vsq; ad mare extendit, neque sub modio delitescit, sed Domini luce perfusa, vt Cyprianus inquit, per totum orbem radios suos porrigit: vt videmus num etiam facere vberimè in immēsis illis Orientis atq; Occidētis plagis. Cōtrā Sectarij in^c penetrabilibus sunt, & d vbera habēt arentia. Sed audiamus adhuc pronobis contra Sectarios loquentem D. Augustinū: Quoniam Ecclesiam Dei, inquit, quæ Catholica dicitur, sicut de illa prophetatū est, per orbem terrarum diffusam videmus: arbitramur nos non debere dubitare de tam euidentissima impletione sanctæ prophetiæ. Nam & in capite sacrosancti Psalterij scriptum est de Filio Dei: Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Item contra Petilianum: Obiicio, inquit, tibi (Lutherane vel Calvinista) Schismatis crimen, quod tu negabis, ego autem statim probabo. Neq; enim communicas omnibus gentibus, & illis Ecclesiis Apostolico labore fundatis. Item: Tenet me, inquit, in Ecclesia ipsum Catholica nomen, quod non sine causa inter tam multas hereses sic ista Ecclesia obtinuit, vt cum omnes heretici se Catholicos dici velint; querenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hereticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Velint

Z 3

enim

a Matth. 13.

b Psalm. 79.

Lib. de vnit. Eccle.

c Matt. 24.

d Osee 9.

In episto. 171. ad Honoratū Donatist.

Psalm. 2.

Lib. 2. contra literas Petiliani. c. 16.

Contra epist. fund. cap. 4.

Lib. de vera relig. cap. 7.

*enim nolint, inquit alibi idem Augustinus, ipsi quoque heretici & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant, non enim possunt intelligi, nisi hoc nomine eam discernant, quo ab uniuerso orbe nuncupatur. Exemplum planè hodie habemus in iis etiam regionibus, in quibus aliquis sectis locus est, vt in Germania. Quamuis enim Ecclesie Catholicae varia hereses (ait idem Augustinus) diuersa nomina impo-
nunt, cum ipse singula propriis vocabulis appellentur, tamen apud ipsos etiam hæreticos nomen potissimum Catholicae ea Ecclesia obtinuit, quæ verè Catholica est, nempe quæ sequitur fidem Romanam. Quod vel ipsi certè librorum Catalogi, qui conficiuntur in nundinis Francordiae singulis, anni bini ab ipsismet hæreticis, declarant. Libros enim qui à Catholicis auctoribus scribuntur libros vocant Catholicos, qui Romanæ, inquit, Ecclesie subiiciuntur. Quo nomine & titulo eiusmodi libros ab aliis libris discernunt, qui sunt à Sectariis hominibus compositi, quos illi Protestantes Theologos appellant, Catholicos autem appellare non audent: non enim intelligeretur, vt inquit Augustinus. Sed & alios Patres præter Augustinum audire operæ precium est, qui hac eadem nota Catholica, cœtum eorum, qui veram fidem amplectuntur, id est, Ecclesiam Christi ab hæreticorum conuentibus discernunt. State, inquit magnus Basilius, in fide; Ipsum orbem inspicite, & videte quàm modica sit ea portio, qua hoc morbo laborat. Reliqua verò vniuersa Ecclesia, qua ab orbis finibus vsq; ad fines Euangelium recepit, sanam hanc & rectam fidem sectatur; à cuius communionem, vt ne excidatis, petimus. Item Tertullianus; Nos, inquit, communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, id est, ab Apostolis fundatis, quod nulla doctrina aduersa facit. Hoc est testimonium veritatis. Hieronymus:*

Lib. de vilit.
cred. cap. 7.

Epistola 72.

mus: Poteram, inquit, omnes propositionum tuarum riuulos uno Ecclesia sole siccare. Opratus Mileuitanus: Cum manifestum, inquit, sit & ipsa luce clarius, nos cum tot innumerabilibus populis esse & tot nobiscum prouincias, iam videtis vos in parte unius aut alterius regionis positos, & ab Ecclesia vestris erroribus separatos. frustra vobis solis hoc nomen Ecclesie cum suis dotibus vendicare. Item Cyprianusea ratione probat, Nouatianos hæreticos esse & ab Ecclesia alienos; quia constat, inquit, eos cum corpore Ecclesie non conuenire, &c. Et Vincentius Lyrinensis: In Ecclesia, inquit, Catholica, ad quam non una natio, non unus angulus, sed multitudo maris conuertitur, id teneamus quod ab omnibus, quod ubique, quod semper creditum est. Præclare igitur, ut alios omittam, Pacianus annotauit, Christiani nomine à Paganis & Iudæis, Catholici autem cognomine ab hæreticis fideles distingui: Ne estues (inquit) frater, Christiani mihi nomen est, Catholicus verò cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit, hoc probor, inde significor.

Hæc omnia iure suo certè Ecclesia Catholica nunc etiam sibi vendicat, nec ad ullam accommodari possunt sectam recentium hæreticorum. Sola enim Ecclesia, quæ Romana paret Pontifici, per vniuersum orbem pertinet, vel certè Indies per eum diffunditur. Itaque ipsa sola est, hereditas, illa ac possessio Christi, quæ non angustiorem, quam totius terra terminis continetur. Quam quo Sectarij quidem vehementius oppugnant, eo magis in Oriente & Occidente propagatam esse videmus. Prorsus ut in istos pulchrè conueniat, quod de sui temporis hæreticis commodè dixit D. Bernardus. Ipsi, inquit, potius se subtrahunt huic hereditati, qui illam Christo conantur subtrahere. Neque verò nobis hic obstat, quod apud illas ipsas gentes, in quibus doctrina Romanæ Ecclesie disseminatur, multi etiam inueniuntur, qui illam repudient. Nam & illud oportet impleri quod item scriptum est: Eritis odio

Contra Luciferian.
Lib. 2. contra
Parmenianum,
ante medium.

Lib. de vnit.
Ecclesie.

Aduersus
prophan. hæres.
nouit.

Sermo. 66. in
Cantica.

odio

Luc. 21.

odio omnibus hominibus propter me. Itaq; Ecclesiam Christi esse Catholicam, minimè quidem est, eius doctrinam ab omnibus & singulis vbiq; gentium recipi, sed esse certè vbiq; qui illam indies recipiant: vt diligenter etiam Ioannes Driedo, vir eruditissimus, annotauit. Quod cum in eum cœtum duntaxat, qui Romano Pontifici, tanquam pastori grex adhæret, conueniat; ille solus Ecclesia Catholica est.

Psalm. 18.

Quam ob rem siue prophetiam illam Davidis de Apostolis: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum*: per Apostolos ipsos omnino impletam fuisse (sicut placuit quibusdam è sanctis Patribus) siue continua indies Euangelij propagatione per orbem vsq; ad seculi consummationem impleri (vti Augustinus & alij sentiunt) arbitremur; perspicuum est, in solam Ecclesiam, quæ fidem amplectitur Romanam, eiusmodi prophetiam competere, atque ad eam ipsam solam esse Catholicam. Nam (quod obseruatione dignissimum est) sicut à nulla vnquam hæreticorum Secta legitur Christi fides apud vllas gentes fuisse plantata: ita nulla vnquam gens Christianam complexa est fidem, nisi eorum opera, qui cum Ecclesia Romana communione habuerunt, eiusque membra fuerunt: sicut & hodie quoque in amplissimis Orientis & Occidentis regionibus ab Ecclesiæ Romanæ ministris Euangelium diffunditur. *Negotium enim*, inquit ^b *Tertullianus, est hæreticis non ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur.* Qua in re quàm illi sint Apostolorum dissimiles, pulchrè idem Tertullianus ostendit his verbis: *Apostoli enim, inquit, de mortuis viuos suscitabant, isti de viuis mortuos faciunt.* Neq; verò Christi fidem Ecclesia Romana tantummodo propagauit, sed etiam perpetuò il-

Li. 4. de variis
dogmat. ca. 2.
p. 2. sententia 9.

Vide de ea
quest. Driedo,
loco citato.

^a Lege hist. Ec-
clesial. Socrat.
li. 4. c. 29. & li.
7. c. 8. & 30. So-
zom li. 2. c. 23.
Niceph. li. 14.
c. 40. Bedam
lib. 1. & 2. hist.
Anglican. Pla-
tinam in vitis
Pontif. Steph.
VII. & Adria-
ni IV. Eneam
Sylu. de origi.
Bohem. c. 16.
&c.

^b Lib. de præ-
script.

*Hæreticorū stu-
dium paucis
verbis compre-
hensum à Ter-
tulliano.*

Ibidem.

Iam ipsa conseruauit; ^c auctoritate nimirum sua hæreses, quæcumq; olim exortę sunt, damnādo & proscribendo, vt ex variis historiis & Conciliorum actis cognosci potest.

IAM sanctitatis Ecclesię illa inter cęteras illustrior notio est, qua illius firmitas atque constantia declaratur, contra quam nec portę inferi præualebunt, vt superiüs à nobis in huius proprietatis assertionem demonstratū est. Hoc modo solam congregationem quę Romano Pontifici paret, sanctam esse, planissimum est. Nempe quę nullis vnquam aut persecutionibus, aut erroribus opprimi potuit, sed illis est potius illustrior multo facta. *Improbatio enim hæreticorum*, inquit ad Dominum D. Augustinus, *facit eminere quid Ecclesia tua sentiat, & quid habeat sana doctrina.* At hæreticorum conuenticula nulla fuerunt diuturna vnquam. Sed neq; erunt recentium Sectariorum, cū & illa ipsa, quę ab illis defenduntur, nefaria dogmata, iam olim etiam ab Ecclesia reiecta fuerint: vt minimè existimandum sit, eam in posterum doctrinę deprauationem perpetuò duraturam. Etenim fidem solam ad salutem satis esse, cum ^d Simone Mago & ^e Eunomio volunt: cum ^f Aërianis sacrificium & orationes pro defunctis improbant: Sanctorum atque imaginum cultum cum ^g Vigilatio & ^h Iconoclastis: Matrimonium virginitati anteponunt ex sententia damnati ⁱ Vigilantij: Episcopos superiores presbyteris non agnoscunt, quę fuit hæresis ^k Aërij. Originis peccatum tegi tantūm, non tolli baptismatis gratia, docent cum ^l Messalianis: Excrantur Euangelicam paupertatem cum ^m Vigilantio: Item Ecclesiam errare posse putant, vt ante illos ⁿ Donatistę & alij hæretici opinati sunt. Traditiones non scriptas repudiant, solisq; Scripturis niti volunt, quod illis

a est

^c Leg. Niceph. li. 4. c. 36. & li. 6. c. 29. Terrul. li. 1. cōtra Præxeam. & li. de pudicitia. Hieronymum ad Pamach. & Oceanū. Cypri. li. 1. ep. 4. Aug. li. 2. de peccat. orig. c. 21. & c.

III.

Solam Romanam Ecclesiam esse SANCTAM.

Lib. 7. conf. cap. 19.

Sectarios veteres hæreses reuocasse.

^d Irē. li. 1. c. 20. ^e Aug. hęc. 54. ^f Damasc. lib. de hæresib. Nicēph. li. 16. c. 6. ^g Epiph. lib. 3. ^h Tō. 1. hęc. 75. ⁱ Hieron. cōtra Vigilant. ^j Secunda Synod. Nicæn. ^k Hieron. cōtra eund. ^l Epiph. loco citato. ^m Aug. hęc. 53. ⁿ Hieron. cōtra eund. ^o Aug. passim cōtra Donat.

e Basil. lib. de
Spir. san. c. 27.
Aug. li. 7. con-
tra Maximin.
Arrian.
Theodoret.
lib. 1. cap. 8.
Vide tabulas
Lindani.

Psal. 36.

III.

*Solam Ecclesiam
Romanam esse
APOSTOLI-
CAM, & quo-
modo id probe-
tur.*

est cōmune cum ° Arrianis & Eunomianis, & quotquot vnquam exstiterunt hæretici. Et ne omnia enumerem quidquid aduersus Ecclesiam Catholicam *perniciosa animositate*: vt Augustini verbis vtar, defendunt, non nisi ex veterum fæce hæreticorum hauserunt: vt in omnibus quæstionibus controuersis facillè ostenditur. Quod cum ita sit, omnino sperandū est, non multò pōst fore, vt quorum errores isti imitantur, eorum quoq; habeāt exitum, *deficientesq; quemadmodum fumus deficiant.*

DEINCEPS sequitur, vt illam ipsam congregationem, quæ cum Ecclesia Romana communionem habet, Apostolicam item esse, id est, fidem atq; dogmata Apostolorum sequi, ab iisdemq; originem ducere, probemus. Hoc Episcoporum omnium continua successione, & doctorum ac populorum, per quos doctrina ab Apostolis accepta, ad nos vsq; perpetua temporum serie peruenit, rectissimè probatur. Vt enim aliquis tum optimè probat, se patrimonium aliquod aut nobilitatem antiquam à maioribus suis, qui multò antè vixerunt, accepisse, cum ostendit, id se accepisse à parente, & hunc rursus à patre suo, & illum item à suo, sicq; deinceps donec ad familiæ caput perueniatur: ita nos rectè probamus, doctrinam, quam hodie tenemus, à maioribus nostris, Apostolis, atq; adeò ab ipso Christo, tanquam hæreditatem accepisse, cum defendimus, hanc ipsam doctrinam fuisse eorum, qui nos proximo seculo antecesserunt, & rursus illos à maioribus suis, qui similiter proximè illos præcesserunt, eandem ipsam accepisse, & ita deinceps, donec successione series continua ad Apostolos ipsos perducatur, qui Ecclesiam Christi plantauerunt. Hanc probandi rationem aptissimam esse sanctissimi Patres etiam iudicârunt, eamq; ipsi contra sui temporis hæreticos

cos passim vsurpauerunt: Quo quidem in genere maxime est illustris illa Diui Irenæi sententia: Traditionem, inquit, ab Apostolis, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsq; ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cacitatem et malam sententiam, præterquam oportet colligunt. Sed vt hanc argumentandi formam nobis cõpetere doceamus, cõfirmandum iam est, nos hanc ipsam doctrinam, quam Romana nunc tenet Ecclesia, ab iis, qui proximo seculo præterierunt, & illos similiter ab antecedentibus proximè suis maioribus, & sic deinceps vsq; ad Apostolorum tempora accepisse. Quod his modis certissimè ostendimus.

Lib. 3. cap. 5.

Doctrinã Ecclesie Romanæ ab Apostolis traditam esse, argumentis probatur.

PROBATIO I.

PRIMÒ. Quotiescunq; in Ecclesia aliqui ab Apostolica doctrina discesserunt, cõstat eos tandem à Catholica Ecclesia, iuxta diuinas^a promissiones, quas habet, notatos primùm, deinde repressos & proscriptos esse; idq; cum personarum ac temporum notatione variis historiis est proditum. Quo autem tempore vel à quibus Ecclesiis primùm, post Apostolorum tempora, doctrina ea, quam nunc Ecclesia Romana tenet, cõtra doctrinam Apostolicam introducta fuerit, doceri non potest; multoq; minus constat, illi vnquam ab Ecclesiis Catholicis (ab Ecclesiis Catholicis inquam, non ab vno vel altero, vel paucis hæreticis, qui & ipsi cõmuni Ecclesiarum sententia damnati fuerint, vt Huls, VViclephus, & similes) reclamatum esse. Dum autem Sectarij, qui Ecclesiam accusandi partes sceleratè sibi sumpserunt, id non ostendunt; iure optimo possessionem huius doctrinæ Apostolicæ, tanquam hæreditatis à nostris maioribus acceptæ, nobis vendicamus.

Isa. 59. Matt. 16. Ioan. 14. & 17. &c.

Id videre est passim in auctororũ Orthodoxorũ Chronicis.



^b VVolfgang^o
Muscul in lo-
cis com. c. 12.
de Eccle.
^c Lutherus in
supput. anno-
rum mundi.
^d Illyricus in
catalo. testiū
verit. in præfa-
tione & alij
passim.
^e Id apparet
satis ex episto-
lis eius.

*Doctrinam A-
postolicam nū-
quam fuisse in
Ecclesia Roma-
na mutatam.*

Lib. de præ-
script. post
medium.
Matth. 16.

Sadeel contra
Theses Pofin.
& alij.
*Multum inter-
esse, utrum pri-
uato vel com-
muni errore
doctrina corru-
pta esse dica-
tur.*

Nam quod ^b quidam ex Sectariis dicunt, abhinc an-
nis circiter quadringentis doctrinam Apostolicam in Ec-
clesia palam corruptam esse; ^c alij abhinc ferè sexcentis;
^d alij abhinc ferè mille, circa tempora videlicet D. Gre-
gorij; nonne satis hac opinionum varietate declarāt, ha-
bere se nihil ea de re compertum? Fuit temporibus Gre-
gorij communis orbis terrarum ea fides, quam defendit
Gregorius; vt qui cum omnibus Ecclesiis earumq; Epi-
scopis ^e communionem habuit. Eandem autem fidem
Gregorij, post Gregorij tempora vsq; ad nos, in orbe cō-
muni atq; Catholicam fuisse fidem constat de omni-
bus hodie doctrinæ capitibus controuersis. Quomodo
igitur aut Gregorij temporibus, aut post Gregorij tem-
pora doctrina illa, quæ sola erat vbiq; terrarum eadem,
corruptela doctrinæ Apostolicæ fuit? *Quod enim apud
multos, & multò magis quod apud omnes, vnum inueni-
tur, non est erratum, sed traditum,* inquit verissimè Tertul-
lianus. Et impossibile est, vt in orbe toto contra legiti-
mam Christi Ecclesiam *porta inferorum proualeant*, cor-
ruptelaq; Apostolicæ fidei vbiq; obtineat, sicut obti-
nuit à tempore Gregorij, atq; adeò Apostolorum vsque
ad nos, fides ipsa Gregorij.

Quod autem Sectarij quidam hoc loco respondent,
iam vsq; ab Ecclesiæ exordio Apostolicam doctrinam
corrupti cœpisse, id verò nihil quidem pertinet ad rem,
de qua nunc agimus. Quærimus enim, quando Aposto-
lica doctrina adulterari cœperit, non tantum priuato
vnus aut paucorum errore, sed communi eius cœtus cō-
sensu qui vera Christi Ecclesia antea fuisset, quiq; proin-
de, deficiens communiter à vera fidei doctrina, vera eti-
am esse Christi Ecclesia desierit.

Hac

Hæc enim summa eius accusationis, quam Ecclesiæ Romanæ non ita pridem Sectarij intentârunt, est: cum aliquando esset cœtus verè fidelium, hoc est, cum fuisset aliquando legitima Christi Ecclesia, ab ipso Apostolo Paulo, aliisque permultis Apostolicis sanctissimisque viris, magnificè etiam ob integritatem fidei laudata; demum errore communi ab Apostolica veraque doctrina fidei degenerâsse, adeoque legitimam Christi Ecclesiam esse desisse. Hoc autem quando factum sit, iure nos optimo percunctamur Sectarios; quando, inquam, vel omnino, vel ex parte, Apostolica doctrina corrumpi in Ecclesia Romana, communi (communi, inquam) errore cœperit. Etenim priuatis erroribus, non dubium est, quin iam inde ab Ecclesiæ primordio seductores aliqui veritatem fidei adulterare tentauerint, quos passim suis in epistolis confutauit Apostolus, qui etiam idcirco ad Thessalonicenses scribens aiebat, iam suo tempore *mysterium iniquitatis operari*. Quando autem communi eius cœtus consensu, qui vera fuisset Christi Ecclesia, corrumpi Apostolica doctrina vel omnino vel ex parte cœperit; hoc verò est, quod expedire nobis nequeunt Sectarij iure ac merito de ea re interrogati.

Accedit quod de auctoribus per quos ea communis corruptela sit inuecta, & quomodo deinde ab Ecclesia vera fuerint illi repressi, nihil isti proferre possunt. Nisi quod planè incredibiliter, & admodum etiam ridiculè quandoque solent (ne videantur ipsi esse hæretici) nobis affingere errores quorundam veterum hæreticorum; qui tamen à nulla alia Ecclesia, neque secundum vllam aliam doctrinam nisi nostram, damnati & profligati ex Christi castris sunt. Verbi gratia: Dixerunt Ebionitæ, non solam Christi fidem (quatenus ea vox pro tota lege Christi

Sectarij quomodo Romanam Ecclesiam accusent de defectione.

Rom. I.

Quam ineptè Sectarij hæreticorum quorundam errores Catholicis affingant.

^a Niceph. lib.
3. hist. cap. 13.

^b In refutat.
Apolog. caus.
farū Herbran-
di, cur institu-
tum certamē
de idololatria
deferret, 2.
p. causa 1.

*Sectariis in-
cumbere ut pro-
bent doctrinā
Apostolicam in
Ecclesia Roma-
na fuisse muta-
tam, nec id fa-
cere posse, ideo-
que causā ca-
dere.*

*Tergiversatio
Sectariorum in
quæstione de
Ecclesia Roma-
na doctrina,
utrum sit Apo-
stolica.*

sti accipitur) ad salutem sufficere: intellexerunt autem etiam requiri^a caremonias & obseruationem veteris legis. Quia verò nos docemus, non solam fidei virtutem, sed aliis etiam animi bonis motibus, vt caritatis, &c. & obseruatione aliorum mandatorum Christi, salutem comparari: Nugantur isti, doctrinam illam Ebionitarum nos defendere. Quis non videt discrimen? Ac ratione: què facili similes istorum in hoc genere leuissimas nugas confutau^b alio loco.

Sed aiunt præterea se ex libris ipsis Apostolicis, id est, ex Scriptura sacra, probare, contraria nos Apostolica doctrinæ sentire. Id verò non modò falso, sed etiam admodum ineptè ab illis in hac controuersia obiicitur. Cùm enim quæstio aliàs de Scripturæ sententia & interpretatione in variis doctrinæ capitibus inter nos agitur; eaq; sit propter istorum pertinaciam penè interminabilis: postulam^a ab ipsis duo. Primum, vt quandoquidem Ecclesiæ accusatores sunt, quibus incumbit ex officio probare, planum nobis ex Scriptura faciant, doctrinam suam esse Apostolicam potius quàm nostram. Hoc verò cùm præstare non possint, eoque nomine (sicut est accusatorum lex) causā cadant; nec videant tamen, vt sunt cæci, à nobis potius se in quæstionibus omnibus tanquam corruptores Apostolicæ doctrinæ reuinci: Petimus deinde, vt compendio historiarum, notatis temporibus & personis, testimoniisque contrariis Catholicorum, doceant, nostram doctrinam post Apostolorum tempora contra Apostolos aut eorum in doctrina successores inuectam in Ecclesiam fuisse. Hic dico ineptè ipsos facere, si ad quæstionem de Scripturæ sententia infinitam regredi velint. Quod nostri quidem non idè in hac de Ecclesia controuersia detrectant, quia de doctrina ipsa ex Scri-
pturæ

pturæ fundamentis disputare nolint (faciunt enim id in singulis doctrinæ locis controuersis, satis copiosè, & voce quotidie in templis & scholis, & scriptis etiam libris, pluribus fortè quàm est necesse) sed vt quæstio de vera Ecclesia atque adeò de veritate in vniuersum doctrinæ, finem aliquando habere, compendioque diiudicari possit ex iis notis, quibus Ecclesiam suam Deus discerni voluit, quarum vna est hæc originis Apostolica.

Postulamus igitur ab Aduersariis, vt si Ecclesia Romana ab ea fide Apostolica communiter defecit, quæ de ea per vniuersum mundum, vt Apostolus inquit, cum laude aliquando *annunciabatur*; nobis tempora, auctores, & modum indicent eius defectionis. Cùm enim hæreses in vtilitatem Ecclesiæ diuinitus permittantur, vt qui probati sunt, sicut Apostolus inquit, *manifesti fiant*; cumque maneat Spiritus veritatis cum Ecclesia in æternum: certè fieri nequit, vt doctrina vera atque Apostolica, vel simul, vel sensim per partes, palam adulteretur, quin id ipsum in Ecclesia manifestissimum fiat.

Rom. i.

1. Cor. ii. Semper in Ecclesia notari ex orientes hæreses.

Non enim Ecclesia, vt Sectarij quidam ludunt, tanquam singulare alicuius hominis corpus est, quod nemine animaduertente labefactari sensim potest, donec totum appareat rabidum. Neque etiam ideò nauicula Petri eadem nominatur, quia vt nauicula potest nemine atendente rimas paulatim facere, donec fluctibus tandem obruatur: sic sensim etiam Ecclesia ipsa possit inquinari eiusmodi erroribus, qui neque sciuntur, neque notentur, neque damnentur ab Ecclesiæ coetu. Non est in hoc comparatio, sed in eo, quòd vt corpus, sic etiam Ecclesia variis ex membris constat, & tentationibus variis, sicut nauis fluctibus, quatitur, dum ad portum patriæ cœlestis appellit. Cùm verò *civitas etiam supra montem posita*

Sadeel contra Theses Pofnaniende Ecclesia. Non potuisse sensim fidelibus ipsis non animaduertentib. corrumpi doctrinam Apostolicam in Ecclesia, sicut Sectarij negatur.

Matth. 5.

sita

sita sit & luce solis clarior; necesse est, ut sensim in ea no-
tentur errores, si sensim in illam irrepunt.

Itaque cum multas ac varias doctrinae corruptelas
iam inde ab Apostolorum temporibus diuersi haeretici,
tanquam zizaniæ, superseminare in agro Ecclesiae con-
tra fidem Apostolicam tentauerint: nulla tamen ex illis
est, cuius auctorem, originem, progressum, extirpationem,
notatis temporibus assignare ipsi non possumus.
Imò verò ex qua haeresum facere doctrina Lutheri alio-
rumque; Sectariorum sit hausta, clarè & distinctè eiusmodi
obseruatione docemus. Potèstne igitur isto modo indi-
cari, quo tempore, à quibus, qua ratione, ea quæ hodie est
doctrina Ecclesiae Romanae, contra doctrinam Aposto-
licam inuecta sit, & rursus à Catholica Ecclesia reiecta:
profectò non potest. Quare alterutrum fatendum est,
vel doctrinam, quam hodie tenet Ecclesia Romana, esse
planè eam, quam ab Apostolis initiò sine controuersia
accepit; vel si corruptela potius illius doctrinae Aposto-
licae est, Spiritum sanctum Ecclesiam suam deseruisse, qui
de ea iniquatione doctrinae nullis seculis præteritis ante
Lutherum ipsam admonuerit; atque etiam orbem uni-
uersum perpetuo quasi lethargo laborauisse, qui non
animaduertit, neque literarum monumentis prodide-
rit tantam in religione Romana mutationem. At hoc
incredibile est: alterum illud igitur est verum, nempe do-
ctrinam Ecclesiae Romanae esse incorruptam planeque
Apostolicam.

Quæ ratio eò apud me maioris est ponderis, quòd il-
la similiter video veteres Patres suorum temporum he-
reticos refutasse, Ecclesiaeque doctrinam in uniuersum
Apostolicam esse probauisse, cum illi æquè atque iam
Sectarij à doctrina Apostolica eam descuiisse comminif-
cerentur.

*Vide supra, ubi
probatum est,
solam Ecclesiam
Romanam esse
sanctam.*

*Eodem modo iam
probari doctrinam
Ecclesiam
Romanam esse
Apostolicam, quo
ad os aduer-
sus haereticos.*

cerentur. Videamus, inquit Tertullianus, ne Apostoli simpliciter & plenè omnem regulam ordinem omnibus ediderint: Ecclesia autem suo vitio aliter acceperint, quàm Apostoli præferabant. Omnia enim, inquit, ista scrupulositatis incitamenta inuenias prætendi ab hæreticis. Et plus satis, Tertulliane, cum hodie prætextum impium notamus in nostris Sectariis. Sed subiungit deinde eiusmodi calumniæ refutationem: Hoc, inquit, si ita est, neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius Spiritus sanctus, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos prædicabat. Quomodo, inquit, verisimile est, ut tot ac tanta Ecclesia in vna fidem errauerint? nullus inter multos euentus, vnus est exitus: variasse debuerat error doctrina Ecclesiarum. Ceterum quod apud multos vnus inuenitur, non est erratum. Hactenus ille, & rectissime quidem. Vbi enim Ecclesia, inquit B. Irenæus, ibi & spiritus Dei: & ubi spiritus Dei, illic Ecclesia & omnis gratia, spiritus autem veritas.

Neque facere possum, quin hinc propter loci opportunitatem adscribam pulcherrimam, ac spiritu Dei plenam, Campiani nostri, non ita pridem fortissimi in Anglia Christi martyris, orationem, qua figmentum Sectariorum de corrupta doctrina in Ecclesia Romana, mirifice redarguit. Quando, inquit, fidem tantoperè celebratam Romaperdidit? Quando esse desit, quod antè fuit? Quo tempore? Quo Pontifice? Qua via? Qua vi? Quibus incrementis urbem & orbem religio peruasit aliena? Quas voces, quas turbas, que lamenta, ea res progeniuit? Omnesne orbe sopiti sunt, dum Roma, Roma inquam, noua Sacramenta, nouum sacrificium, noua religionis dogmata procuderet? Nullus exstitit historicus, neque Latinus, neque Græcus, neque remotus, neque citimus, qui rem tantam vel obscure iaceret in commentariis?

b

Atque

probauerunt
Patres Veteres.
Lib. de præ-
script.

NOTA.

Lib. 3. contra
hæres. cap. 40.

In libello de-
cemrationum
pro doctrina
Ecclesie Rom.
ratione 7.

Exemplis manifestis ostenditur, esse incredibile quod Sectarij fingunt Ecclesiam Romanam non esse Apostolicam doctrinam.

NOTA.

Atque, ut ego quidem aliqua ratione exprimam, quantam apud animum certè meum hæc oratio Campani vim habeat: hoc utar exemplo. Censent Sectarij, institutum sacrificandi Eucharistiam, moremque sanctos inuocandi, & aliorum eiusmodi cultuum, turpissimam esse idololatriam, atque adeò non minus, sed multo etiam magis peruersum, Apostolicæque doctrinæ contrarium, quàm si quis vellet ritu gentilium aut Iudæorum, oues & boues aliasque pecudes immolare Deo, aut pro Diis venerari volucres & serpentes. Obsecro, quis nunc credat, fieri his temporibus posse, ut vel Pontifex aliquis Romanus, vel alius quisquam, eiusmodi ritus immolandi animalia, vel adorandi serpentes, contra Christi Apostolorumque doctrinam in Ecclesia inducat, tum Spiritu sancto coniuente, tum eadem ipsa Ecclesia Catholica per cunctum orbem & consentiente & planè dissimulante, neque notante quidem ad memoriam posterorum talem Christianæ atque Apostolicæ doctrinæ deprauationem? Profectò insanus est, ac mente omni caret, qui hoc existimet in Christi Ecclesia posse euenire. Quod si hoc accidere posse incredibile est: quomodo credi potest, id ipsum iam antè euenisse? Quomodo, inquam, est verisimile, & sacrificium Missæ (v. g.) atque adeò ritum vestium sacrarum, & templorum; & morem venerandi imagines, ac Diuos inuocandi; æquè (ut assument Sectarij) Apostolicæ doctrinæ contrarium esse, atque immolandi animalia ritum; & tamen in Ecclesiam per cunctum orbem sic esse introductum, ut neque repugnauerint in ea re vnquam Christiani populi, neque posterorum quidem memoriæ, cum obseruatione personarum & temporum, talem corruptelam religionis prodiderint? Porrò, si hoc in vno etiam vel altero dogmate factum

factum esse, incredibile apparet: quanto id videri debet incredibilius, si res omnes cumules hodie controuersas, in quibus Sectarij criminantur Ecclesiam Catholicam communi errore ab Apostolorum institutis doctrinaque recessisse? Me quidem hæc consideratio certissimè apud animum meum statuere facit, aut nullam omnino esse in orbe incorruptam doctrinam Apostolorum, quod existimare nefarium esset, aut eam esse, quam retinet Ecclesia Romana, quæ proinde verissimè est Ecclesia Christi Apostolica.

SECVNDÒ, Id ipsum probamus, quia, vt maximè consuetudines aliquæ pro ratione temporum, vt fit, variæ fuerint: tamen quod attinet ad doctrinam ipsam de auctoritate statuendi, quod in Ecclesia conuenit, aliisque doctrinæ locis hodie controuersis, sæpe nostri ostenderunt, Patres & Doctores illustres, qui ab Apostolorum temporibus ad hæc vsque tempora diuersis ^a seculis scripserunt, nobiscum esse consentientes. Quod profectò verissimum esse, ab his deprehenditur, qui non Sectariorum more pauculas quasdam sententiâs obscuriores hinc inde in monumentis Patrum venantur, sed locos ipsos perlegunt & cum iudicio conferunt. Consensus autem ille diuersarum ætatum manifesto argumento est, continua serie successionis eam doctrinam iam inde ab Apostolico seculo ad nos vsque peruenisse.

TERTIÒ. Non tantùm Patres ac Doctores illustres per omnes ætates ad hæc nostra vsque tempora in doctrinæ capitibus hodie controuersis nobiscum consentiunt: sed disertis etiam verbis passim ^b confitentur, Ecclesiam Romanam; cui, similiter vt iam, Pontifices Romani variis temporibus præfuerunt, legitimam & Apostolicam esse Ecclesiam. Neque verò hîc obstat, quod veteres

b 2 Patres

PROBATIO II.

^a Hanc etiam continuationem doctrinæ ostendit per singulas annorum centurias à Christo nato, Genbrardus Theolog. Parisien. in docta illa sua Chronologia non ita pridem edita. Vide etiâ Sanderum, de visibili Mōnarch. Ecclesiæ.

PROBATIO III.

^b Irenæus lib. 3. ca. 3. August. cont. ep. fund. cap. 4. & aliâs passim. Ambr. Serm. 47. de fide Petri. Hieron. in epist. ad Damasc. de ver-

bo Hypofaf.
Cyprian. lib. 1.
epift. ad Cor-
nel. & lib. 4.
epift. 9. ad Pup.
& alij.
e Lege præfer-
tim Irenæū &
Auguft. locis
cit. & Tertul.
lib de præfcri-
pt. & Optatū
lib. 2. contra
Parmen. &c.

PROBATIO
III.

*Magdeburgen-
fes centuriato-
res doctrinam
potius Ecclefia
Romana eften-
derunt eſſe A-
poſtolicam.
In præfat. lib.
pro epift. Pon-
tif. & canoni-
bus Apoſt. cō-
tra Magde-
burgen.*

Patres non videantur de hac ipſa numero congregatio-
ne, quæ hodie paret Romano Pontifici, paruit quæ Ponti-
ficibus recentioribus, eſſe loquuti. Huic enim quoque
teſtimonium re ipſa perhibuerunt, eo ipſo, quod non alia
de cauſa fatebantur, eum cœtum hominum, qui cum
Romana Eccleſia communionem illis temporibus ha-
bebat, eſſe Apoſtolicum, niſi quia ſucceſſione Epiſcopo-
rum ac populorum, atque adeò etiam ipſius doctrina,
cum illa ipſa Eccleſia primitiua coniungebatur, quæ fuit
ab ipſis Apoſtolis plantata, ſicut hodie planè coniungi-
tur Eccleſia quæ nunc eſt Romana.

QUARTO, cùm Aduerſarij contra, teſtimonijs vete-
rum, tum alibi, tum maximè in hiſtoria Magde-
burgenſi probare voluerint, non retineri à nobis, ſed in-
ſtaurari à ſe potius doctrinam ab Apoſtolis traditam; hoc
adeò non præſtiterunt, vt tanquam laboraſſent ipſi pro
nobis, non ſuam, ſed noſtram omnino originem oſtēde-
rint eſſe Apoſtolicam. Etenim (vt optimè Turrianus no-
ſter annotauit) præcipuus illorum labor in eo conſum-
ptus eſt, vt ex omnibus Eccleſiæ ætatibus teſtes collige-
rent & accerſerent, qui pro nobis, noſtraque doctrina,
contra ſe teſtimonium dicerent, vt id ipſi teſtimonium
non aliter refellerent, quàm auctoritate ſua (magna ſci-
licet) affirmando, næuos atque errores eſſe eiſmodi Pa-
trum, quòd nobis fuerint ſuffragati. Qua quidem re non
minus ſtultè fecerunt, quàm reus aliquis faceret, ſi dum
nullum innocentia ſua idoneum teſtem inuenire pō-
teſt, laboraret tamen in teſtibus accerſendis, qui ipſum
condemnarent, vt coram iudicibus deinde diceret, illos
omnes mentiri. Atque hoc idem iudicium eſt aliorum
omnium, qui cum iudicio aliquo hiſtoriam illā Centu-
riatorum Magdeburgenſium legunt. Nulla enim anno-
rum

rum centuria est ex tredecim, in quas memoriam tem-
poris à Christo nato ad annum vsque circiter 1300. parti-
ti sunt, in qua non ipsi aperte^d indicauerint, Orthodo-
xos, qui vnaqua; centuria floruerunt, doctrinæ nostræ
vel more institutoq; religionis, vel fidei dogmatibus ex-
plicandis, vel damnandis hæreticis (quorum isti nunc di-
scipuli sunt) suffragari: nisi quod inclinationem doctri-
næ, nãuos, superstitiosos cultus, erroresq; Doctorum
(scilicet) appellant.

resibus, & cap. 6. cuius inscriptio est de cærimoniis & ritibus; & cap. 7. cuius inscriptio est
de gubernatione Eccle. & cap. 10. cuius inscriptio est de Doctoribus & Episcopis. Item
quandoque in præfationibus ipsarum centuriarum. Item sæpe etiam in cap. 2. quod est
de Ecclesia; & in cap. 3. quod est de Ecclesiæ persecutione.

ALIA Ecclesiæ proprietates, ex qua item, tanquam ex
nota, dignosci illam debere dicebamus, recte est or-
do. In quo maximè illustris est auctoritas atq; dignitas
Ecclesiastici ministerij, continua serie successionis Epi-
scoporum ac Ministrorum Ecclesiæ constans, quos Deus
vsq; ad seculi consummationem esse voluit, vt tanquam
Pastores & Doctores in vera solidaq; doctrina conti-
neant atq; confirmet fideles alios, ne falsarum opinio-
num vento circumferantur. Hinc verò propterea fir-
missimum ad veram Ecclesiam comprobendam argu-
mentum ducitur, quia ex epistola ad Ephesios perspi-
cuum est, doctrinam fidei veram, atq; ad eò communica-
tionem cum legitima Christi Ecclesia, ab huiusmodi Pa-
storum atque Doctorum ministerio disungi non posse.
Nam Apostolus nobis declarat, consilium Dei fuisse, per-
petuò vt in Ecclesia sint Pastores, à quibus Christianus
populus doctrina solida rectè informari possit. Cuius
quidem consilij, cum totum ad Christiani populi salu-
tatem accommodatum sit, ea certè vis est, vt nunquam nõ
idem populus, in Ecclesiæ legitimis Pastoribus doctri-

d Id maximè
animaduerte-
re licet in vna-
qua; centu-
ria ca. 4. cuius
inscriptio vbi-
que est, de do-
ctrina, & ca. 5.
cuius inscri-
ptio est de hæ-

V.

Ephes. 4.

*Continua suc-
cessio ministro-
rum, cur sit Ec-
clesia nota cer-
ta.*

nam veram reperturi sint, si ab iis eam requirant. Id autem ut consistat, omnino fatendum est, secundum legem quidem ordinariam Dei, neququam fieri posse, ut legitima perseveret in Ecclesia successio Pastorum, & tamē apud eos non sit vera atq; solida fidei doctrina. Quod & illa etiam ratione manifestissimè patet. Si enim fieri posset, ut omnes legitimi Ecclesiæ ministri à vera fide aberrarent, posset quoq; euenire, ut aberrarent item cum illis reliqui fideles omnes. Sequuntur enim hi, imò sequi debent, vocem Pastorum. At ut oues omnes & Pastores errent, id est, ut erret Ecclesia vniuersa, quæ constat omnis, ut Diuus Gregorius Nazianzenus ait, ex ouibus & pastoribus, fieri, ut suprà est probatum, nullo modo potest. Ergo neque ut errent omnes Ecclesiæ ministri legitimi.

In orat. de modo
der. in disput.
habenda.

Patres ex successione ministrorum ostendisse veram Ecclesiam.

Lib. de præscript.

In Psalmo contra partē Donati post medium.

Lib. contra epist. fund. c. 4.
Atque eodem modo idem Aug. argumentatur in epist. 165. ad literas cuiusdam Do-

Hoc cum præclarè olim intelligerent sanctissimi Patres, ipsi quoq; contra sui temporis hæreticos vehementer premebant istud argumētum, quod pro Ecclesia vera, ex legitima Episcoporum auctoritate, continua successione ab Apostolis proueniente, ducitur. *Edant*, inquit Tertullianus, *origines suarum Ecclesiarum: euoluant ordinem Episcoporum, ita per successiones ab initio decurrentes, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseverarit, auctorem habuerit vel antecessorem.* Item Augustinus aduersus Donatistas: *Numerate*, inquit, *Sacerdotes primò ab ipsa sede Petri: & in ordine illorum Patrum quis cui successerit, videte.* Et contra Epistolam fundamenti; *Tenet me*, inquit, *in Ecclesia Catholica ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus commendauit, usq; ad presentem Episcopum successio sacerdotum.* Hoc argumento Augustinus nunquam esset permotus, nisi ex sacris literis didicisset à manifesta continuataque

Pasto-

Pastorum Ecclesie successione, doctrinae veritatem atque adeo legitimam Christi Ecclesiam diuelli non posse. Quod enim ait: *Tenet me in Ecclesia Catholica, sacerdotum successio*: tantundem valet, ac si dixisset: Ideo in huius coetus communionem permaneo, quoniam in eo existimo esse cum successione veritatem coniunctam, quae tanquam anima est Ecclesiae. Præterea ^a Irenæum, ^b Epiphanium, ^c Cyprianum, ^d Optatum, & alios, qui similiter ex eiusmodi successione, tanquam ex certa nota, dignosci legitimam Ecclesiam voluerunt.

Hanc notam ordinis in manifesta Pastorum atque Doctorum successione, in solam Ecclesiam, quae Romano Pontifici paret, conuenire, clarius est, quam ut ab ipsis Sectariis negari villo modo possit. Constat enim à Diuo Petro vsque ad Gregorium ipsum decimum tertium, qui Pontifices in Ecclesia Romana, successione serie præfuerint, itemque in aliis etiam Ecclesiis omnibus qualis itidem fuerit à sua cuiusque Apostolica origine successio Pastorum. Contra Sectarum magistri, quibus ipsi Apostolicis viris loco atque ministerio Ecclesiastico successerint, demonstrare non possunt. Imò ne volunt quidem cum iis aliquid esse sibi commune, qui in illo externae successione ordine suum locum ministrorum tenent. Itaque quod Optatus Mileuitanus de Victore hæretico Donatista, inquit, eum Romæ fuisse *filium sine patre, discipulum sine magistro, &c.* hoc idem rectè de Lutero dici potest, itemque de Zuinglio, Caluino, & aliis Sectariis, qui primariis in urbibus nostra Patrumque memoria errores disseminârunt. Hi enim *nemini succedentes* (ut de Nouatiano Cyprianus scripsit) *à se ipsis Episcopi ordinati sunt* & tanquam *de se prodigiôsè nasci voluerunt*, ut inquit de hæreticis aliis Optatus. Quod cum ita sit, non sunt Ecclesia Christi illi

nat. in qua Pontifices oēs enumerat vsque ad Anastasium.

^a Lib. 3. c. 3.
^b Contra hæref. 27.
^c Lib. 1. ep. 6.
^d Lib. 2. contra Parmen.

Legitima successione ordinis soli Romanae Ecclesiae competere.

Lib. 2. contra Parmen.

Lib. 1. ep. 6.

Lib. 1. contra Parmen.

coetus,

coetus, qui ab eiusmodi Sectariis sunt eruditi. Ceterum hic respondent dupliciter. Primum, externam successionem Pastorum & Doctorum in ministerio tantum externo & loco, minimè ipsam per se indicium esse veræ Ecclesiæ, nisi cum successione sit coniuncta in eadem doctrina Apostolica. Ab hac autem descivisse Pastores & Doctores qui adhærent Romano Pontifici. Proinde, quamvis in locum illi successerint Apostolorum, tamen nihil minus quàm Apostolicam esse eam Ecclesiam, quæ ipsis adhæret. Deinde aiunt, se quantumvis careant illa successione, tamen legitimos esse Pastores & Doctores, quoniam diuinitus sint ad instaurandam doctrinam Apostolicam excitati extraordinaria vocatione: nō minus quàm olim Prophetæ, aut ipsi etiam Apostoli: qui auctoritatem docendi minimè sunt consequuti ordinaria successione.

Non posse Sectarios illo modo defendere esse se legitimos Ecclesiæ Ministros.

Successionē in doctrina verā non posse à successione ipsa Pastorum Ecclesiæ separari.

Sed quis non videat utrumq; ab istis vanissimè dici? Quod enim ad primum attinet, paulò antè ex Scriptura & Patribus probauimus, à successione legitima & ordinaria Pastorum omnium & Doctorum Ecclesiæ neutiquam separari posse veritatē Apostolicæ doctrinæ. Quare fatemur, si successio legitima Pastorum & Doctorum absq; doctrinæ veritate stare, non ex illa satis posse veram Ecclesiam demonstrari. Sed pernegamus (secundum legem quidem Christi ordinariam) doctrinæ veritatem ab illa successione penitus seiungi posse; ita nimirum, ut nulli aliquando supersint in illa successione Doctores atque Pastores, qui doctrinam incorruptam retineant, sed omnes à verò aberrant. Quid enim si Augustino, Irenæo, Cypriano, & aliis Patribus, à successione Pastorum & Doctorum Ecclesiam Christi, atque adeò veritatem in ea doctrinæ quasi compendio quodam demonstrantibus,

tibus, Lutherus aliquis vel Calvinus, vel quiuis alius recens Sectarius, obiecisset, ex successione ipsa ministrorum per se, veram Ecclesiam demonstrari non posse, nisi cum ea successione veritatem doctrinæ cõiunctam esse argumentis aliis comprobetur? An nõ hoc fuisset stultitiæ sanctissimos atq; eruditissimos Patres arguere, quòd ex successione pro vera Ecclesia argumentarentur, cum potius deberent argumentari ex vnica veritate doctrinæ? Atqui illi veritatem doctrinæ, vnà cum legitima Ecclesia, rectè ex ordinaria illa successione probari posse putauerunt, quia nec Ecclesiam, neque adeò veritatem doctrinæ ab illa Doctorum successione seiungi posse existimabant. Hac verissima persuasione fretus D. Gregorius Nazianzenus hunc in modum sui temporis hæreticos Arrianos exagitabat: *Absconditam post Christum sapientiam nobis annunciant. Rem lachrymis dignam. Si enim triginta his annis fides originem habuit; cum quadringenti serè anni ab eo tempore fluxerint, quo Christus palam cõspectus est; inane tanto tempore fuit Euangelium. Inanis etiam fides nostra. Et Martyres quidem frustra martyrium subierunt. Frustra etiam tales tantiq; Antistites populo præfuerunt.* Itè Hieronymus: *Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antè nescimus? Vsq; in hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit.* Et Tertullianus in præscriptionibus contra hæreticos: *Qui estis, inquit, vos? Vnde aut quando venistis?*

Num verò illi hæretici, quos ita sanctissimi Patres refutabant, nouam & ab Apostolica traditione diuersam doctrinam proferre se fatebantur? Minimè. Sed id tamen Patres eo argumento conuincebant, quod secus illi docerent, quàm ordinarij ministri ante illos docuissent, à quorum ordinaria vocatione & successione doctrinam Apostolicam separari non posse Patres illi sanctissimi

Episto. 2. ad Cleidon.

In epist. ad Pammach. & Ocean. de erroribus Origenis.

Sectarios iam eodè modo quo veteres hæreticos tergiversari, & eodè modo rennes quo illi à Patribus cõfutabantur.

Lib. 4. aduers.
heret. cap. 4.

Eodem lib.
cap. 45.

atissimi meritò persuasi erant. Quod ipsum euidentissimis illis verbis affirmat D. Irenæus. *Obaudire oportet iis, qui successione habent ab Apostolis, qui (id est, quia) cum Episcopatus successione charisma veritatis acceperunt.* Et rursus: *Vbi charismata Domini posita sunt, ibi oportet discere veritatem; apud quos est ea, quæ est ab Apostolis successio.* Hi enim eam, quæ est in vnum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt, & Scripturas sine periculo nobis exponunt. Vides quemadmodum ex successione, certo quasi vinculo colligit veritatem?

Sectarios non esse à Deo extraordinarie ad docendum missos.

In orat. de veris ac falsis Doctor.

Quod autem isti aiunt, se extraordinario modo diuinitus esse vocatos atque missos, vt olim Prophetæ & Apostoli fuerunt: id verò non nisi vanissimè ab ipsis fingi demonstrari nuper alio quodam in loco. Vbi primùm aiebam, vix me credere, sic illos esse persuasos. Quanta enim temeritas est, homines & ventri plerumq; & mundo deditos; nec magnis aliquibus aut eruditionis, aut pietatis insignibus ornatos, hunc in modum apud se statuere: Ego neque vocatus ad Ecclesiasticum ministerium, neque missus modo ordinario sum, videlicet per seriem successione: sed sum tamen vocatus & missus ab ipso Deo, vel certè à Martino Lutero & similibus, qui sine successione fuerunt ipsi diuinitus tanquam Prophetæ atque Apostoli, ad id ministerium excitati. Profectò dubitant isti saltem vtrum ita sit, nisi planè insaniunt.

Deinde neque Lutherum, neque vllum Sectarium extraordinario modo fuisse à Deo missum, hac ratione manifestissimè probatur: Si qui vnquam extraordinarie ad docendum diuinitus mitterentur; ijsic etiam ad persuadendum, diuinitus instructi essent, vt spectatis omnibus rerum circumstantiis, prudenter possent fideles, etiam vulgares, illis potius quàm ordinariis ministris fidem

Quam argumentandi forma certissime probetur Sectarios non esse extraordinarie ad docendum missos.

fidem adhibere. Non sunt autem ita ad persuadendum diuinitus instructi Sectarij. Quare extraordinariè ad docendum missi diuinitus nequaquam sunt. Maior propositio patet. Quoniam quos extraordinariè Deus ad docendum contra doctrinam ab ordinariis ministris traditam mitteret; iis vt potius fideles omnes etiam vulgares crederent, procul dubio vellet: imò ad eam rem mitteret, vt ab iis omnes de veritate aduersus receptos errores docerentur. Neque verò Deus vult aut etiam velle potest, vt iis Doctoribus homines fidem habeant, quibus fides haberi prudenter nequeat re tota circumspèctè deliberata. Vult enim Deus, vt nihil nisi rectè ab hominibus agatur, rectè autem non creditur, nisi quod prudenter creditur. Atque ideò diuina testimonia dicuntur à Psalmista *credibilia nimis*, quia doctrina cœlestis eo modo, quo ex voluntate Dei hominum ministerio proponitur, dignissima est fide ac assensione prudentum. Quin sit igitur vera nostri argumenti Maior dubitandum non est; nempe qui extraordinariè ad docendum diuinitus mitterentur, eos ita etiam ad persuadendum diuinitus oportere esse instructos, vt omnes etiam vulgo fideles prudenter possint ac debeant illis potius, quàm ordinariis ministris, fidem adhibere.

Psalm. 92.

Nunc probo propositionem alteram argumenti minorem, videlicet nullos Sectarios ita diuinitus ad persuadendum esse instructos. Hi enim quò hominibus persuadeant, doctrinam quam proferunt, esse illam ipsam, quæ in Scripturis cõrenta, quæ ab Apostolis tradita, quæ miraculis olim cõfirmata, & in summa quæ vera sit, nulla realia præterquam vnica pollicitatione doctrine verè nituntur. Non multitudine, non antiquitate, non integritate vitæ, non vllo cuiusmodi titulo, qui auctoritatem

*Non posse fide-
les prudenter
credere Secta-
riis.*

alioqui doctrinæ cōciliare posset, extraordinarij isti Pro-
phetæ cum Ecclesiæ Ministris ordinariis certare volunt.
Quin propterea tantum postulāt, vt sibi potius credatur,
quoniam verissimam, vt dicunt, ostendunt doctrinam.
At ipsa per se veritate doctrinæ quomodo ad credendum
prudenter induci poterunt ij, qui nō queunt ipsi satis di-
iudicare & perspicere doctrinæ veritatē? Quid opifices?
Quid rustici? Quid ad vnū omnes literarum ignari faciā?
Debent, inquit Sectarij, nobis potius, quàm Papisticis
ministris ordinariis credere, sibiq; persuadere à Deo non
esse ad repurgandā fidei doctrinam missos. Cur ita verò?
Quoniam nihil in vlla fidei quæstione hodie cōtroersa,
nisi ipsissimam Scripturæ sanctæ doctrinam docemus. At
maior hominum pars, iudicare de ipsa per se veritate do-
ctrinæ in quæstionibus cōtroersis nequit, vt suprà cō-
uicimus. Nam etsi sententiā fortasse vnus partis vtrunq;
possint vulgares fideles percipere: nō tamen cum alia cō-
traria accuratè conferre, nō argumenta vtrinq; suis mo-
mentis satis prudenter ponderare, nō deniq; ita intellige-
re, vt necesse est ad iudicandum de ipsa ratione doctrinæ;
quod sine doctrina, qua pleriq; carēt, fieri minimè potest.
Quomodo igitur ij prudenter animū inducent, vobis po-
tius credere, si nihil aliud, quàm doctrinæ veritatē, vt vo-
bis assentiantur, proponitis? Quid quod nō minus ab or-
dinariis ministris promitti veritatē animaduertunt? Cer-
tè est manifestum, eos, qui obiecto tātum veritatis titulo
opinionēs suas aliis persuadere student, non esse diuinitus
ad persuadendum ita instructos, vt prudenter omnes ho-
mines facturi sint, si illis potius crediderint. Solam autem
doctrinæ veritatem prætendunt Sectarij: Non sunt igitur
diuinitus ad persuadendum omnibus instructi: atq; adeò
neq; missi diuinitus ad docendum extraordinariè, vt antè
conclusimus. Hoc

Hoc ut clarius intelligeretur, hominem faciebam aliquem prudentem, neque tamen rerum Theologicarum peritum, secum ratiocinantem hunc in modum.

Audire Catholicos & Sectarios contrarias mihi sententias de fidei questionibus proponentes. Vtri verò parti potius adhaream? Certè illi debeo, cui si re circumspectè deliberata potius credidero prudenter sim facturus. Vult enim Deus, ut nò nisi prudenter credam. Sed quosnam potius veritatem proponere mihi prudenter persuasero? Catholicosne an Sectarios? Omnino duplex ratio suppetere potest ad id diiudicandum. Vna, si veritatem apud hos potius, quàm illos esse ipse perspiciam. Altera, si horum potius auctoritate mouear, ut ab his potius, quàm ab illis veritatem (tametsi eam ego non satis intelligam) doceri statuam. Priori modo, nempe ut ipse ex ratione doctrinae de veritate iudicem, nequaquam prudenter definire possum, vtri potius veram doctrinam profiteantur. Neque verò, ut hac ego via ad veram fidei cognitionem perueniam, Deus à me requirit. Non enim res ipsas controuersas satis intelligo: nec me Deus obligat, ut quò fidem incorruptam tenere possim, in studium incumbam Theologiae. Restat igitur ut auctoritate me induci oporteat, quò demum statuat, apud hos potius, quàm apud illos esse doctrinam veritatem. Quod si auctoritate hominum me duci oportet: certè est necesse, ut quorum auctoritas, consideratis omnibus, maior & fide dignior est, eis potius assentiar. Porro eorum hominum, qui docent, auctoritas partim existit ex rebus naturalibus quae fidem conciliare solent, partim aliquando ex mirabilibus signis, quibus doctrinae veritas nonnunquam solet diuinitus comprobari. Naturalia quasi ornamenta, quae ad auctoritatem faciunt, sunt, ingenium, studia, antiquitas, multitudo, & id genus prerogatiuae eorum, qui in eadem doctrina consentiunt. Supernaturalia sunt, miracula, qualia ediderunt olim Prophetae & Apostoli, & alij qui ad doctrinam supernaturalem aduersus errores inueteratos homi-

In oratione illa de Doctoribus supra citata.

Qua ratione vir prudens apud se prudenter deliberare possit vtri potius parti, Sectariorumne an Catholicorum, assentiri debeat.

nibus persuadendam diuinitus missi aliquando fuerunt. Tam igitur ut maioris pondere auctoritatis prudenter impellar, ad assentiendum alterutri parti, videlicet Catholicorum vel Sectariorum: comparatio mihi auctoritatis horum & illorum facienda est; ut quorum, omnibus consideratis, maior & fide dignior videbitur esse auctoritas, eos potius credam verum docere. Considerabo autem atque comparabo in utraque parte sigillatim tum naturales, tum supernaturales causas auctoritatis. Cerè quod ad naturales attinet, nihilo sunt Catholici atque ordinarij ministri Sectariis extraordinariis (sicut se volunt nominari) inferiores, quin imò multis partibus eis antecellunt. Quis enim ita despiat, ut censeat eos, qui fuerunt post Lutherum, Sectarios, vel ingenio, vel studiis, vel multitudine, vel antiquitate, vel integritate vitæ aut superiores aut pares esse iis omnibus Catholicis Ministris atq; Doctõribus, quos illi oppugnant, id est, omnibus qui à tot seculis sunt ac fuerunt in Germania, Gallia, Hispania, Italia, in toto orbe Catholici? Quod si verò me ad causas supernaturales auctoritatis conuerto, planè reperio, ne comparari quidem ullo modo cum ordinariis ministris Catholicis Sectarios extraordinarios posse. Quod enim aut quale, aut quando miraculum ediderunt, quo diuinitus probaretur, digniores esse ipsos fide? De nullo prorsus constat. Cùm tamen apud Catholicos nullo non ferè tempore variis in locis admirabiles euentus, beatissima præsertim Virginis aliorumq; Sanctorum intercessione, contingant. Si igitur extraordinarij Sectarij neque naturalibus ornamentis, aut superiores aut pares Catholicis & ordinariis Doctõribus, neque supernaturalibus ullo modo cum iis comparandi sunt; consequitur certè, Catholicorum auctoritatem, consideratis omnibus præponderare apud me debere. Cùmq; auctoritate ipse in hac varietate sententiarum de doctrina fidei (ut antè conclusum est) duci debeam: neque prudenter moueri possim, nisi à maiore auctoritate: statuo prorsus Catholicis potius, quam Sectariis

riis assentiri. Hos doctrinam fidei verissimam proponere: hos legitimos esse Doctores & Ministros: ab his doctrinam diuinitus reuelatam, & à Christo traditam, & ab Apostolis verbo, scriptis, miraculis cõfirmatam doceri credo: Sectarios autem omnes, non extraordinariè diuinitus ad docendum missos, neque ad eò vera docere, sed hæreticos planè extraordinarios esse (quales à Catholicis iudicantur) mihi persuadeo.

Ex his certò concludebam, omnino nihil Deum habiturum quod in illo tremendo tribunali opponat huic opifici, huic mercatori, huic nobili, huic homini illiterato, qui hunc in modum apud se ratiocinatus, doctrinam potius Catholicorum de multiplicibus atque variis illis quæstionibus hodie controuersis veram esse crediderit? An enim is conuinci poterit minus prudenter credidisse? Certè non poterit. Vna est enim auctoritas, inquit verissimè Augustinus, qua stultos, hoc est indoctos, ad sapientiam peruenire oportet. Neque minori, sed maiori auctoritate hominem moueri par est, vt animum inducat credere. Antecellunt autem auctoritate Catholici longè Sectariis, qua meritò atque prudenter mouentur, præfertim ij, qui non sunt docti. Quod cum ita sit, non sunt diuinitus instructi ad persuadendum omnibus Sectarij: vnde sequitur, neque esse eos extraordinariè missos ad docendum; sicut antè sumus argumentati.

Atque id probabam rursus hoc modo: Quotiescunque Deus voluit, vt paucis & in speciem minus fide dignis aduersus reliquam multitudinem, tanquam extraordinariè missis, crederetur, toties supernaturalib⁹ signis, que naturalibus omnibus aliis ornamentis præponderarent, eorum auctoritatem hominibus comprobauit. Hoc animaduertere licet in Moyse, in Prophetis, in Apostolis, quorum doctrinæ veritatem signis mirabilibus, atq; prodigiis

Lib. de vtilit.
cred. cap. 16

Restè concludi
Sectarios non
esse extraordi-
nariè à Deo
missos quando-
quidem eorum
doctrina nullis
miraculis à
Deo comproba-
tur.

Hebr. a.

digitis Deus contestatus est, ut inquit D. Paulus. Hoc etiam ipsa ratio diuinæ prouidentiae requirit. Si enim supernaturalibus saltem virtutibus ij, qui naturæ alioqui ornamentis inferiores auctoritate sunt, superiores esse non videantur, quomodo poterunt homines, praesertim indocti, qui sola auctoritate commoueri debent, prudenter illis assentiri? Neque profectò rectè ab hominibus exigeretur, ut id crederent, quod non possent prudenter credere. Atqui nullis Deus mirabilibus ac supernaturalibus signis auctoritatem nobis istiusmodi prædicantium extraordinariorum commendauit; & sunt alioqui Catholicis, si cætera spectemus ornamenta, impares: Nequaquam sunt igitur diuinitus ad eam rem missi, ut doctrinam à Catholicis ministris ordinariis traditam ipsi refellant.

In epistola ad
Regem Gallie
Franciscum.

*Refellitur Cal-
uini tergiver-
satio quod attu-
net ad miracu-
la.*

At illis ipsis miraculis (inquit Calvinus) freti sumus, quæ Apostoli ediderunt, quandoquidem non nisi illam ipsam doctrinam proponimus, quæ ab ipsis Apostolis est explicata. Quid verò magis ineptè responderi potuit? Quæstio enim omnis inter nos est, vtri potius doctrinam illam Apostolicam sequantur? Catholicine atque ordinarij Doctores, an verò Sectarij extraordinarij? Quod cum quaeritur, simul quaeritur, vtrine nitantur illis miraculis, quibus est Apostolica doctrina diuinitus probata. Ita fit, ut ea quaestio minimè ex illis ipsis Apostolorum miraculis determinari debeat aut possit. Vtraque enim pars illa miracula vnà cum ipsa doctrina Apostolica sibi vendicat: Et quaeruntur præterea indicia, ex quibus constet ad quam partem illa potius pertineant, Catholicorumne an Sectariorum? Hic igitur si Sectarij respondeant, ad se pertinere, quia ipsi doctrinam Apostolorum miraculis confirmatam tradant; quis non videat eos lu-
dere

dere & principium petere, hoc est, id ad probandam suam causam sumere quod est in quæstione positum & aliunde deberent probare? Veritate, inquiunt, ipsa doctrina id probamus. At hanc veritatem non omnes intelligunt, ut antè dictum est. Auctoritatis igitur pondere necesse est homines impellatis ad vobis assentiendum. Hac cum non excellatis; utpote neque præstantioribus naturæ ornamentis, neque vllis supernaturalibus indiciis diuinitus commendati: concludimus, non fuisse vos extraordinariè à Deo missos, ut mundum doceretis quod (ut inquit Hieronymus) antè nesciuerat. Huc accedit quod ne iis quidem, qui ad oppugnandam Ecclesiæ doctrinam miracula ederent, nunc credi debet: cum necesse sit ea esse falsa miracula, facta in astutia Satanæ, quæ opiniones confirmant pugnantem cum certissima veritate diuinitus iam pridem nobis testata. Id autem cum ita sit, quanto minus credendum Sectariis est, qui nullis neque veris, neque apparentibus miraculis confirmant doctrinam pugnantem cum orbis vniuersi consensione?

Sed quàm non sint isti diuinitus ad docendum extraordinariè missi, satis hætenus demonstratum esse puto. Cum autem neque sint Doctores & Pastores ordinarij, ut ipsimet fatentur: restat ut *ascenderint aliunde in ouile ouium*, atque adeò ut (Christo ipso iudice) sint *fures & latrones*, qui non pastum doctrinæ salutarem præbeant Christi ouibus, sed eas *furentur*, hoc est, abstrahant ab Ecclesiæ ouili, *perdant & mactent*. Quod cum ita sit, non sunt Christi Ecclesiæ illi coetus qui adhærent Sectariis. Nam Ecclesiæ, ut antè argumentabamur, sine ordine legitimorum Ministrorum, Pastorum & Doctorum nunquam est. Tales autem, ut ostensum est, non sunt Sectarij, sed Catholici ministri, ut probauimus.

Ioan. 10.

d tholico

tholicorum Doctorum atque Pastorum ordo conspicitur, id est, qui Romano Pontifici paret, est vera Christi Ecclesia. Et hactenus quidem hoc modo ad eam assertionem confirmandam argumentum ab Ecclesiæ prerogativa, quæ in ordine consistit, duximus.

*Ecclesia ordinē
in differentia
variorum Vita
statuum & of-
ficiorū emine-
re: Unde etiam
probat, solā
Romanam Ec-
clesiam esse Ec-
clesiam veram.
Descriptio bre-
uis variorū Vi-
vitarū & or-
dinis hierar-
chici Ecclesiæ.
1. Cor. 12.
Triplex Vita
statuum.*

Eminet etiam Ecclesiæ ordo maximè in differentia atque varietate vitæ statuum & officiorum seu administrationum quæ in illa cernuntur. Quæ differentia partim nascitur ex differentia obligationum, quibus alij atque alij fideles ad alia, & alia genera vitæ astringuntur; partim ex differentia gratiarum & potestatum, quæ ad varias functiones in Ecclesia obeundas, diuinitus distribuuntur. *Diuisiones enim, inquit Apostolus, gratiarum sunt, & diuisiones operationum, & diuisiones administrationum.* Atque pro differentia quidem obligationum ad alia & alia genera vitæ, tres in vniuersum status fidelium maximè insignes in Ecclesia distinctos animaduertere licet, quorum quilibet in Scriptura sacra noui Testamenti commendatur. Vnus coniugatorum, qui sola communi obligatione seruandæ legis diuinæ tenentur, quò ad beatitudinem peruenire possint. Quæ vitæ ratio satis ab ipso etiam Christo Domino^a probata est. Alter status est Episcoporum & Præbyterorum, à quibus & officij & dignitatis ratio singularem vitæ perfectionem requirit. De quorum obligatione sæpe verba facit^b Apostolus. Tertius est religiosorum, quorum vitæ institutum; nisi obedientiæ, & castitatis, & paupertatis professio, in^c Scripturis sanctis luculenter commendata & proposita, impiè vituperetur; sperni non potest. Porro ex differentia etiam earum operationum, quæ secundum legem Dei ordinatam in Ecclesia necessaria sunt, vt ad beatitudinem peruenire possint fideles; differentia etiam nascitur officiorum

^a Matth. 19. & Marci 10. &c.
^b 1. Tim. 3. & 4. & ad Tit. 1. & apud Lucā. Act. 20. &c.
^c Obedientiæ, Lucā 9. 2. Cor. 2. Hebr. 13. &c.
Castitatis, Matth. 19.
Paupertatis, Matth. 19. Lucā 9. &c.

ciorum Ecclesiasticorum. Sunt autem tria genera eius-
modi operationum. Nempe diuini verbi prædicatio. Sa-
cramentorum administratio. Gubernatio seu regimen
animarum. Quæ tria genera actionum D. Dionysius A-
reopagita aliis verbis expressit, cum actus hierarchicos
tripartitò diuisit. Docet enim ad Ecclesiasticum mini-
sterium tria pertinere, nempe *purgare, illuminare, & perficere*.
Fit enim *Purgatio* prædicatione diuini verbi, *illuminatio*
administratione Sacramentorū, quibus animus splē-
dore gratiæ exornatur, vt D. Dionysius interpretatur,
Perficere autem ad eos maximè spectat, qui regunt alios;
vt ad Episcopos: quos idcirco D. Dionysius appellat per-
fectores. Iam concionandi muneri destinantur propria
quadam ratione quidam in Ecclesia cum delectu: neque
cuius id munus vsurpare licet. Administrationi autem
Sacramentorum varij ministri, secundum varios gradus,
qui cōtinentur ordinis Sacramento, destinati sunt. Item
regendi auctoritas multis, neque omnibus vno modo
conuenit: quin aliis amplior, vt Episcopis; aliis angustior
concessa est; vt Præsbyteris Pastoribus animarum. Qui
omnes vni Pastori, summo secundum Christum, subiecti
sunt, cui est omnis Ecclesiæ cura (sicut postea videbimus)
commissa. Hac *varietate* tum vitæ statuum, tum officio-
rum, tum graduum, tanquam *vestitu deaurato*, circumamicta
Ecclesia summam obtinet dignitatem. Hunc ordi-
nem & hierarchiam insigne Christi Ecclesiæ ornamen-
tum esse, passim sancti Patres, integris etiam volumini-
bus de hoc argumento editis, testificantur. Quin & Scri-
ptura sacra multis modis significat huiusmodi ex varie-
tate Ecclesiam esse constitutam. Ideò enim *corpus* (vt su-
perius quoque notauimus) ideò *regnum*, ideò *ciuitatem*,
ideò *domum*, & ne omnia nomina id genus persequar,

*Triplex ordo
hierarchicus
officiorum.*

Dionys. de Ec-
cle. hierarch.
cap. 5. & 6.

Psal. 44.

ideò *castrorum aciem ordinatam* Ecclesiam vocat: in quibus rebus magnam licet officiorum ac munerum varietatem animaduertere. Et *alios*, inquit D. Paulus, *dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Doctores & Pastores, &c. in consummationem^e Sanctorum*, & vt efficiatur (sicut alibi inquit) *omnis homo^f perfectus*: qui finis atque scopus est huius Ecclesie varietatis atque Hierarchie. Et quemadmodum bonitas atque perfectio Dei variis admodum creaturis, & varia multiplicique ratione communicatur, vt eo magis in illis omnibus emineat: ita etiam conuenit, vt multiplex Christi gratia, tanquam à capite in membra, variè deriuetur in varios fideles, quò magis pateant diuitiæ gratiæ & donationis ipsius.

Hac verò varietate & ordine Hierarchico Ecclesiam Romanam insignem esse, nemo est qui dubitet. Carent autem prorsus illa cœtus Sectariorum. Non illi igitur, sed Ecclesia Romana est ea Christi Ecclesia, quæ in Scripturis sanctis *corpus, regnum, ciuitas, & domus Dei* propter eiusmodi varietatem nominatur. Quid enim aliud in Sectariorum Synagogis, præter Babylonicam cõfusione, & velut orbitatem quandam atque desolationem tristissimam, apparet? Reiciunt varietatem vitæ statuum: oderunt obedientiam, castitatis, paupertatis professionem: nullam ministrorum differentiam, quæ quidem auctoritate aliqua seu potestate peculiari ad munus rectè obeundum (præter meram ad id deputationem seu designationem) agnoscunt: Omnes apud eos, quod ad muneris auctoritatem attinet, sunt sacerdotes & Euangelij ministri: iidem pastores & oues: nulli qui certa professione virtutum præstantissimarum, obedientiæ, castitatis, paupertatis, secundum consilia Christi, ad beatitudinem contendant, per *viam* (vt Apostoli vocabulo vtat) *excel-*
lentiorem

e Eph 4.

f Colos 1.
Finis ordinis
hierarchie.

Cur tanta ex
varietate sit
constituta Ec-
clesia.

Varietatem ex
qua Ecclesia est
circundata, in
sola cerni Ec-
clesia Romana.

Confusio Syna-
gogarum here-
ticarum.

Lutherus tum
alias passim
tum maximè
in lib. de ab-
rog. Missa pri-
uata.

1. Cor. 12.

lentiorem: nulla fermè cultus carimonia: Denique talia apud eos omnia, vt in eorum religionis ratione vix aliquod Christiane discipline signum reliquum sit, quo eos possis ab ethnicis, nulla veri Dei cognitione imbutis, discernere. Sed de probatione ab Ecclesie ordine satis habentenus multa.

POSTREMÒ, quòd sola Ecclesia Romana perpetuò fuerit visibilis (hæc enim vltima prærogatiua est, ex qua supra conuicimus, probari etiam debere veram Ecclesiam Christi) ne ipsi quidem Sectarij diffiteri possunt. Quare in eo magis laborant, vt Ecclesiam inuisibilem nobis faciant: ne si visibilem esse concedant, fateri cogantur à vera Ecclesia se defecisse tum cum defecerunt ab Ecclesia Romana, quæ sola, ante desertorem Lutherum, fuit in orbe cognita. Quando enim aut vbi ante annos circiter sexaginta Lutheri Synagoga fuit, hoc est, hominum aliquis cœtus, qui doctrinæ, qui cultus rationem à Luthero traditam sequerentur? Audemus, inquit ipse Lutherus, gloriari, Christum primò à nobis vulgatum. Et VVi-gandus: Secundum, inquit, Germania beneficium est, articulo- rum fidei illustratio, qualis ab Apostolorum temporibus huc usq; in mundo non est cognita. Si igitur doctrina Lutheri tam multis illis seculis ante Lutherum non fuit: qui esse poterunt ante Lutherum cœtus, qui sequerentur doctrinam Lutheri?

Sed instaurauit (inquiunt) Lutherus omnino doctrinam veterem, adeoque veritatem in tenebris per tot se- cula delitescentem in lucem protulit. Hoc verò est quod ostendimus esse incredibile; vt tot seculis veritas atque adeò Ecclesia Christi latuerit: vt nulli fuerint cogniti, & successione aliqua constantes Pastores, & Doctores, ad

VI.

Solam Ecclesiã Romanam perpetuò fuisse visibilem, ac proinde legitimã.

In præfat. corp. potis doctrinæ Lypsiæ edita, anno 61.

In lib. de bonis & malis Germaniæ. Sectarios ipsos testari se non auisse doctrinã.

Lutheri Eccle- siam & doctrinam, qua tot seculis delituerat, non posse veram esse.

NOTA.

In libro de p̄-
script. hæreticorum.

Formula redar-
guendi novita-
tem doctrina
Sectariorum ex
Tertulliano.

Refutatio ca-
nilli, quo Secta
rj se expedire
conatur ab ar-
gumentatione
Patrū veterū
cōtra hæreticos
ex assistentia
SS. erga Ecclē.
posita.

quos communiter oves Christi recurrerent pro salutari
pastu doctrinæ. Ecclesia enim Christi, qualis ea quidem
in Scripturis descripta est, omnino talis est, nempe con-
spicua, *supra montem posita*, in qua sint veri *Doctores & Pa-
stores*, in qua vsus legitimus vigeat Sacramentorum, in
qua sonet & audiatur vox veræ doctrinæ, vt superius abū-
dè probatum est. Talis igitur Ecclesia si aliquot seculis
non fuit, prorsus Ecclesia Christi nulla tunc fuit: quod si-
ne ingenti blasphemia dici non potest. Ac multò nos sa-
nè meliore iure Sectariis ita tergiuerantibus possumus
idem obiicere quod olim Tertullianus, ducentorum
tantum annorum præscriptione fretus, nec tam latè
quàm modo propagata Ecclesia, sic hæreticis obiicie-
bat. *Quid? inquit. Verissimilène est, vt tot ac tanta Ecclesia in
vnam fidem errauerint? Scilicet, aliquos Marcionitas & Va-
lentinianos (dicamus nos, Lutheranos & Calvinianos) libe-
randa veritas expectabat? Interea perperam euangelizabatur,
perperam credebatur, tot millia millium perperam iuncta, tot
opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata
perperam operata, tot sacerdotes, tot ministeria perperam fun-
cta. Item, Hoc, inquit. si ita est, neglexit officium Dei vicarius,
Christi vicarius, Spiritus sanctus, sinēs Ecclesiam aliter interim
intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos predicabat.*
At enim veteres ita contra eiusmodi hæreticos ratioci-
nabantur, qui manifestos errores contra Scripturas de-
fendebant. Nos autem, inquiunt Sectarij, nihil docemus,
nisi quod continetur in scriptis Apostolicis. Ego verò
quin hæc à Patribus contra errores disputarentur, mini-
mè dubito. Sed hoc vrgeo, eo demum argumento, tan-
quam compendio quodam, veteres ostēdisse, erroneam
& à Scriptura alienam fuisse doctrinam illam veterum
hæreticorum, quoniam à doctrina multis seculis in Ec-
clesia

clesia recepta discreparet, nec verisimile esset tot Eccle-
sias, tot sacerdotes, tot Christi fideles tanto tempore in
errore fuisse versatos. Hoc idem argumentum, cum no-
bis aduersus Sectarios eò etiã magis competat, quò diu-
turniore tempore fuisse Ecclesiam sine doctrina Lurhe-
ri constat; rectè similiter concludimus, nihilo minus il-
los, quàm veteres hæreticos à vera & Apostolica fide ab-
errare. Vanissimè igitur nobis doctrinam talem vendi-
tant, quæ vera fuerit & Apostolica; & tamen cum ea do-
ctrina, quæ tot seculis palam apud fideles sonuit, pugnã-
rit, ipsaq; latuerit in inuisibili Ecclesia, qualem Christus
certè nullam instituit, vt suprã probatum est. Quæ cum
ita sint, rectè initiò conclusimus, solam Ecclesiam, quæ
Romano Pontifici pro tempore existenti paret; quoniã
(vt hæctenus demonstratum est) sola *vna, sancta, Catholi-
ca, Apostolica, rectè ordinata, & visibilis est*; veram illam at-
que legitimam esse Christi Ecclesiam, in qua vnica de-
mum quæri debeat, atque inueniri possit auctoritas illa
infallibilis, magistra fidei in omnibus quæstionibus
controuersis. Deinceps quæ sunt reli-
qua prosequamur.



ANALY.



ANALYSIS

FIDEI CATHO-

L I C A E, &c.

P A R S S E P T I M A.

PONTIFEX IPSE RO-
MANVS EST, IN QVO AV-

*toritas illa residet, quæ in Ecclesia existat ad
iudicandum de omnibus omnino fidei
controuersis.*



VM varij sint ordines fidelium in Ecclesia Christi; alius eorum, qui docent & præsent, quales in primis sunt Episcopi; alius eorum, qui ab iis reguntur ac pascuntur doctrina salutari atque vñ Sacramentorum; cuiusmodi sunt vulgo ipsi fideles: hæc non iam disputamus an illa auctoritas infallibilis, cuius definitione oportet in Ecclesia diiudicari posse quæstiones fidei omnes, sit etiam in Episcopis & Doctoribus, adeoque in Concilijs, aut in cœtu ipso vulgarij fidelium; (quorum ordinum quatenus certa sit sententia in fidei controuersis, infra dicemus) neque vllam etiam cõparationem huius aut illius ordinis iam institui mus: sed affirmamus nunc certè absolute, eiusmodi auctoritatem in Romano Pontifice, qui pro tempore existit, reside-
re. Quam assertionem satis ipso iudicio legitimæ
Christi

In Rom. Pontifice esse sufficientem auctoritatem ad determinandas oēs omnino quæstiones fidei.

Christi Ecclesiae confirmare possemus. Ita enim persuasus est ille hominum coetus qui Romano Pontifici parer. Quem coetum & veram esse Christi Ecclesiam, neque falli posse, haecenus à nobis demonstratum est. Sed utemur praeterea iis probationibus quae sunt huius loci propriae. Atque ut via & ratione de re latissime patente differamus, placet hanc totam disputationem huiusmodi argumentandi forma concludere.

Cui Ecclesia tota obtemperare tenetur in iis rebus, quae ad spirituale animae salutem pertinent, siue illae fidem, siue cultum, siue mores concernant; in eo auctoritas est infallibilis ad fidei quaestiones omnes diiudicandas. Sed Romano Pontifici, pro tempore existenti, ita prorsus uniuersa Ecclesia obtemperare tenetur. Igitur in Romano Pontifice est eiusmodi auctoritas infallibilis.

Prima istius argumenti propositio facile probatur ex his promissionibus, quae de doctrinae veritate sunt diuinitus factae ipsi Ecclesiae. Quod enim uniuersa Ecclesia credere tenetur: id infallibiliter verum esse oportet. Alioquin falsum illa quandoque obligaretur credere. Quod plurimum abhorret ab illarum certitudine promissionum:

Hoc factus meum cum eis: Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, a modo & usque in sempiternum. Item: *Alium paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis: ut maneat vobiscum in aeternum.* Item: *Ille vos docet omnia, &c.* Ut alia nunc praeteream, quae supra, cum de ea Ecclesiae praerogatiua ageremus, disputata à nobis sunt. Si alicuius igitur in rebus ad salutem pertinentibus, atque ad eam in fidei controuersis iudicium sequi debent omnes fideles: is quin auctoritatem infallibilem ad fidei controuersias omnes determinandas habeat, dubitari

Qua forma ad probandum

Isai. 59.

Ioan. 14.

e non

non potest: vt in illa priori propositione nostri argumēti posuimus.

Illud maius est, & accuratiore demonstratione indiget, quod in altera propositione assumpsimus, Pontificem Romanum esse, in quo talis ac tanta dignitas præmineat, vt in iis, quæ ad animi spectant salutem, adeoq; ad ipsam fidem, omnes fideles ei obtemperare parereq; teneantur. Quæ sanè assertio illum in Ecclesia principatum Romano tribuit Pontifici, quem Sectarij omnes cum primis reuocant in dubium, imò verò inficiantur.

Nomine primatus Rom. Pontifici quid intelligatur.

Neq; enim aliud nomine eiusmodi primatus intelligimus, quàm talem auctoritatem cui omnes fideles in vtroq; foro interno & externo parere debeant in iis, quæ spectant vel ad mores, vel ad cultum, vel ad fidem, id est, in salutis negotio. Ac sanè Romanum Pontificem hunc principatum obtinere, demonstratum luculēter à quàm plurimis Catholicis auctoribus est: ex quibus mihi valde probatur Thomas VValdensis, libro 2. doctrinalis fidei antiquæ cap. 29. & deinceps. Turrecremata lib. 2. de Ecclesia ferè per totum. Rossensis art. 25. cōtra Lutherum. Ioannes Driedo lib. 4. de variis dogmatibus cap. 4. parte

2. & 3.

Melchior Canus lib. 6. de locis Theologicis per totum, vt eos nunc omittam, qui doctissimè etiam de hoc ipso argumento posterius scripserunt: vt Sanderum, Stapletonum, Franciscum Turrianum, &c. Nos quidquid in eius assertionis confirmatione præcipuè disputari solet ad hanc rationē commoda methodo reuocare posse videmur: Auctoritas illa in Ecclesia primaria prorsus à Christo tributa est B. Petro, & ipsius successoribus, vsq; ad consummationem seculi. Sed Romanus Pontifex pro tempore existens, B. Petri est successor. Igitur Romano Pontifici pro tempore existenti illa auctoritas à Christo tribuitur.

Summa dissertationis de Romano Pontificis primatu.

Hoc

Hoc in argumento tria ponimus. Primum. Aucto-
ritatem illam primariam D. Petro esse à Christo colla-
tam. Secundum. Non illi solùm, sed etiam eius succes-
soribus. Tertium. Romanum Pontificem pro tempo-
re existētem B. Petri successorem esse. Quæ tria cùm or-
dine probauerimus, locus hic erit expeditus.

*Ad asserendum
Rom. Pont. pri-
matum tria ex
ordine proba-
da.*

*PRIMARIAM IN ECCLESIA AUCTORI-
tatem fuisse à Christo collatam D. Petro.*

PRIMUM illud, quoniam quæstio hæc omnis est facti,
probandum est ex historia Euāgelica, vbi Christi Do-
mini gesta narrantur. Et quia mihi in hac tractatione, ac
Analyti fidei, propositum (vt in titulo monui) est, non tam
proferre noua, quàm & explicatione nonnihil illustrare
& argumentis communire vetera, quæ solent esse ferè
firmiora: vtar iam etiam ad probationem illis potissi-
mum Euangelij locis, ex quibus vniuersi Ecclesiæ Docto-
res (quos etiam allegabimus) eiusmodi primatum Petri
collegerunt. Primus igitur locus valde illustris est apud
D. Mattheum: vbi Christus Dominus eam auctoritatem
verbis amplissimis D. Petro promisit. Cùm enim is Chri-
sto, communiter ex omnibus Apostolis percontanti: *Vos
autem quem me esse dicitis?* tanquam os omnium Apostolorum
& vertex totius consortij (vt inquit D. Chrysostomus) re-
spondisset: *Tu es Christus Filius Dei viui:* vicissim Christus
ad eum ita loquitur: *Beatus es Simon Bariona, quia caro &
sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego
dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ec-
clesiam meam. Et porta inferi non praualebunt aduersus eam.
Et tibi dabo clauis regni cælorum. Et quodcunq; ligaueris super
terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq; solueris super ter-
ram, erit solutum & in cælis.* Ex quo sanè loco ad confir-

*Primariam in
Ecclesia auctor.
D. Petro fuisse
à Christo tribu-
tam. Probatum
I. ex variis E-
uangelij locis.*

*Primus Euan-
gelij locus pro
D. Petri pri-
matu.
Matth. 16.*

*Homil. 55. in
Matth.*

mandam illam Petri auctoritatem totidem argumeta duci possunt, quot sunt penè in illa Christi oratione verba. Expendamus igitur singula, quò demum intelligatur non perperam eruditissimos Ecclesiæ Patres hoc inprimis testimonio Christi singularem illum Diui Petri primatum (vt pòst videbimus) asseruisse.

I. **B**EATVS es, inquit, *Simon Bariona*. Quemadmodum ex omni illo numero Apostolorum Petrus solus respòderat, & vsq; adeò præclaram de Christo confessionem ediderat: ita Christus prætermisiss cæteris, nomine proprio eum compellat, parètis etiam nomine indicato, vt ea re facilius intelligeretur ad quemnam propriè atque singulariter sequentes promissiones referendæ essent.

II. **Q**UIA caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. Nempe declarauit etiam iis verbis quàm certitudinem habitura esset ea doctrina fidei quæ à Petro traderetur ex præcipua illa auctoritate, quam deinde illi promittit, vt iam iam videbimus. Non enim sensu, qui sæpe fallit, carnis & sanguinis, sed cœlestis Patris inspiratione fides de Christo atq; adeò de aliis omnibus mysteriis (vt quæ ad Christum omnia reuocantur) concipienda à Petro atq; explicanda erat.

III. **E**T ego dico tibi: *Mercedem*, inquit B.^a Hieronymus, *recepit vera confessio*. Et B.^b Cyrillus: *Tam vera*, inquit, *sententia remunerationem Petrus reportauit*, id est, donum aliquod atq; prærogatiuam singularem, vicissim Christus Petro pollicetur in præmium illius verissimæ confessionis, quã ipse solus præ aliis de Christo fecerat. Quod similiter D. Chrysostomus, Theophylactus, Euthimius, Hilarius intellexerunt:

III. **Q**UIA tu es Petrus. Hæc nominis commutatio promissæ etiam in oës fideles auctoritatis indicium est. Quod

a Lib. 3. comment. in
March.
b Lib. 4. dialo.
de Trin. cum
Hermia, paulò
pòst initiũ.
In cõmentariis
eius loci.

Quod primum apparet ex Scripturae analogia in aliis locis. Vbi enim aliàs similis commutatio nominis diuinitus facta perhibetur, singularis alicuius dignitatis symbolum eam fuisse intelligimus. Id videre est in Abraham, Sara & Iacob & aliis. De qua re sic D. Chrysoftomus: *Ipsè Deus est qui nomina aptè imponit. Qui Abram, Abraham, & Sarai Saram, & Iacob Israel vocauit. Multis à natiuitate nomina imposuit. Vt Isaac & Samson, & iis quorum meminist Isaias & Osee. Quibusdam quam acceperunt à parentibus appellationem mutauit, vt prædictis, & Iesu. Mos etiam antiquitus erat à rebus nomina imponi. Quod & Elias fecit. Hoc autem non temerè fit: sed vt ea appellatione imponatur, qua sit diuini beneficij perpetuum monumentum, & memoria per prædicta nomina auditorum animis imprimatur.*

Homil. 18. in Ioan.

Deinde idem in proposito confirmat ipsa ratio impositi nominis. Petrus enim Latine; Græcè πέτρος, & Syriacè atque Hebraicè (qua lingua Christus tunc vñs est) **ΠΕΤΡΟΣ** Cephàs est. Quod vocabulum significat saxum firmum & magno ponderi sustinendo aptum. Eum igitur qui in primis doctrinae coelestis soliditate ac firmitudine totam Ecclesiae fabricam sustentaturus erat; aptissimo vocabulo Christus Petrum appellat: nempe qui tanquam saxum immobile in ædificio Ecclesiae futurum esset. quod totius operis Christiani molem atque compagem contineret, vt D. Ambrosius disertis verbis interpretatur.

Ipsè Petri nomine significatum fuisse auctoritatis principatum.

Serm. 47. de fide Petri.

Accedit quod multò etiam antea eam appellationem Petro Christus promiserat. Cum primum enim Petrus ab Andrea est adductus ad Christum: *Intuitus eum Iesus dixit. Tu es Simon filius Iona, Tu vocaberis Cephàs, quod interpretatur (inquit Euangelista) Petrus. Quorsum ranto antea hæc tam seria appellationis promissio, si vacabat mysterio? Equidem hinc mihi subaudire videor Christum*

Ioan. 1.

rationem eius nominis ab officij auctoritate, quam erat Petro aliquando collaturus, reddentem: perinde ac si apertè subiunxisset: ideò Cephas vocaberis, quoniam instar firmissimi saxi totam molem ædificij Ecclesię sustentaturus es. Hoc enim procul dubio illud est, quod animo Christus voluebat tum, cùm minimè ociosè intuens in Petrum, aiebat: *Tu vocaberis Cephas*. Sic enim hunc locum interpretatur D. Cyrillus: *Respicit, inquit, vt Deum deest, qui corda & renes scrutatur, videtq̃, qui nihil ignorat, ad quantam fidem & virtutem discipulus peruenturus sit, &c. nec Simon fore iam nomen sibi, sed Petrus prædicit: vocabulo ipso commode significans, quòd in eo tanquam in petra lapideq̃, firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.* Quamuis non omnia quidem, inquit Chrysostomus, quæ euentura ei erant, hoc primo congressu prædixit. Non enim tum dixit: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Illud enim maioris erat potestatis nec non & auctoritatis. Quemadmodum igitur Deus Abrahamæ dicens: *Tu vocaberis Abraham*: rationem eius appellationis duxit ab eius futura dignitate, subiungens: *Quia Patrem multarum gentium constitui te*: ita Christus Petro dicens: *Tu vocaberis Cephas*, futuram illius dignitatem & principatum in ædificio Ecclesię insinuauit, etsi nondum tum quidem penitus id expresserit, Sed postea demum cùm is est confessus Christi diuinitatem, vt ait idem Chrysostomus.

Lib. I. in Ioan.
cap. II.

Chrysost.
homil. 38. in
Ioan.

Genes. 17.

Homil. 38. in
Ioan.

V.

ET super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quam non explicârat rationem appellationis cum Petro id nomen promitteret; eam tandem his verbis apertissimè exponit, in ipsa nōminis attributione. *Tu es, inquit, Petrus*. Quamobrem verò? & quâ tandem eiusmodi appellatione tantum valet, vt mercedem illam contineat, quam (vt Patres assueverant) *recepit vera confessio*? Nempe quia
super

super hanc, inquit, petram, id est, super te Petre (vt statim probabimus) *adificabo Ecclesiam meam*. Sanè ex multis aliis nominibus, quibus Ecclesiæ dignitas atque status propter varietatem & ordinem qui in ea cernitur, commodè significari potest, vnum est, *Domus*, vt suprâ notatum est, cum de prerogatiua ordinis Ecclesiæ ageremus. Quod vocabulum idè etiam in Ecclesiam benè conuenit, quia vt domus ab inquilino, ita cœtus fidelium à Spiritu sancto inhabitatur. Hanc domum Deus per filium eius Iesum Christum ædificat: vt Apostolus inquit; *Dei ædificatio estis*. Nec verò diuinitus hanc domum ædificari aliud est, quàm fide, cultu, & moribus aptari diuino beneficio atque perfici fideles, vt postquam gratia demum expoliti, actum inter se, tum cum Christo quàm optimè coniuncti fuerint ex illis quasi construatur dignum Deo habitaculum, secundum gratiam quidem in hac vita, & secundum æternam etiam beatitudinem in altera, quò spectat hæc omnis Ecclesiæ fabrica. Hæc illa ædificatio est, cuius Apostolus præsertim^a sæpè meminit; quam^b dicit esse cum primis in caritate & in fide; ad quam omnia quæ fiunt, referri vult, & in qua perficienda suorum operam ministrorum Deum vt docet, hoc est, *Doctorum & Pastorum, quos dedit Deus*, inquit, *in ædificationem corporis Christi ad consummationem Sanctorum, vt euadamus omnes in virum perfectum*. Cum Christus igitur singulariter supra Petrum se Ecclesiam suam ædificaturum dixit; Petrum constituit facere huius domus atque ædificationis singulare fundamentum: vt ei videlicet post Christum tanquam firmæ petræ tota illa fabrica spiritualis innitatur. Id verò aliud non est, quàm auctoritatem prorsus solidam ac firmam Petro promissam esse, qua certò niti oporteat omnes fideles, in iis rebus, quæ ad fidem, cultum, & mores, hoc est,

quæ

Cur ædificata
dicatur super
Petrum Eccle-
sia?

1. Cor. 3.

2. Cor. 10. 12.
13. Eph. 2. & c.
6 Eph. 4.

quæ ad ædificationem Ecclesiæ (vt explicatum est) pertinent, Etenim, vt eandem Petri personam æquè intelligamus, hoc loco significatâ à Christo esse nomine *petra* (super quam ædificaturum se Ecclesiam dicit) atque nomine *Petrus*; multis modis confirmari potest.

*Petrum ipsum
fuisse à Christo
significatâ no-
mine petra,
multis argumē-
tis probari.
In caput 2. ep.
ad Galat.*

NOTA.

Primò. Quia Christus non duobus illis vocabulis, *Petrus* & *petra*, sed vno & eodem, nempe *Cephas* (cum Syriacè loqueretur) vtroque vsus est. Quod vocabulum, vt B. Hieronymus notat, absolutè significat saxum: sicut etiam *πέτρος* Græcè indifferenter significat & *Petrum* & *petram*, vt igitur, si Christus Latinè dixisset: *Tu es saxum, & super hoc saxum ædificabo Ecclesiam meam*; non dubitarem quin vtroque illo eodem vocabulo (*saxum*) vnâ & eandem personam significasset: ita sentiendum est illum fecisse cum Syriacè loquens vtroque similiter vocabulo *Cephas* vsus est quod *saxum* significat. Neq; quidquam impedire nos in ea re debet, quod primò quidem vbi magis expressè ad ipsam Petri personam vocabulum *Cephas* & *πέτρος* refertur, interpretès à Græco *Petrus* verterit, postea autem, *petra*. Hoc enim ille fecit, non quia diuersæ res vocabulo *Petrus* & *petra* in eo loco significantur; sed vt commodius loqueretur secundum vocum formationem Latinam.

Secundò. Idem ostendit ipsa series orationis Christi, & maximè vis illius demonstratiui pronominis, *Hanc*. Super quam enim petram dicit ædificaturum se Ecclesiam? Super *hanc*, inquit: nempe quam proximè antecedentibus verbis demonstrârat, inquiens; *Tu, tu es Cephas*, id est, *petra* seu *Petrus*. Alioquin quorsum tunc attinebat ipsum *Petrum* seu *saxum* appellare, nisi illud etiâ quod de *petra* subiunxit, ad eundem retulit? Certè id fecit, vt aptè ostenderet, rem illius nominis in Petri personam conue-

conuenire. Vt cum Dominus dixit ad Abraham: *Tu vocaberis Abraham*: ad ipsum accommodauit rem etiam nominis, illud subiungens: *Quia patrem multarum gentium constitui te*. Sic etiam Angelus de ipso Christo: *Vocabis, inquit: nomen eius Iesum. Ipse enim, inquit, saluum faciet populum suum a peccatis eorum*. Vt iam alia exempla similia præteream.

Tertiò. Si non eundem Petrum eam *petram* esse Christus significauit: quem igitur aut quam rem ibi nomine *petra* intellexit? Seipsum, inquit (vt postea videbimus) plerique Sectarij. Primum, qualis esset illa orationis consequentia? Tu Petrus es: Ego super me ædificabo Ecclesiam meam. Deinde cur dicit *hanc*? Num digitum in se intendit, aut manu sublata sese indicauit, vt commodè, *Hanc*, diceret? Accedit quod rem illis verbis facturum se promittit, planè futuram, quam nondum aut fecisset tunc aut etiam inchoasset. At ipse Christus iam inde ab origine mundi erat fundamentum Ecclesiæ, ac super illum iam tum bona ex parte Ecclesia exædificata. Item si se, non Petrum ibi *petram* esse intellexit; quam, obsecro, mercedem illis verbis Petro propter factam ab eo confessionem promisit? Non enim Petri prærogatiua est, quod super Christum ædificetur Ecclesia. At rectè sentiunt veteres, Petri confessionem illis Christi verbis atque promissione singulariter remunerari, vt antè dictum est. Necesse est igitur, vt intelligamus Christum ibi ipsum Petrum appellasse *petram*, super quem ad eò promiserit Ecclesiam se suam ædificaturum.

Quartò. Ita locum illum vniuersi Patres interpretati sunt, neque prorsus dubitauerunt, quin Petrus ibi *petra* dictus à Christo sit. Et si vnus quidem excipiendus est Augustinus, qui cum vtroque modo locum interpretetur, sci-

f licet

Gen. 17.

Lucæ 1.

Christū Matth. 16. non seipsum significasse nomine *petra* probatur

1.

2.

3.

4.

Patres oēs sensisse Petrum ipsum à Christo *petram* esse dictum, excepto Augustino qui nihil ea de re defini.

Lib. 1. Retract.
cap. 21.

licet & de Petro & de Christo, iudicium ad extremum permittit liberum Lectori, ut quam interpretationem probabiliorem putet, eam sequatur. Sed cum ipse Augustinus nihil hac de re certi definiat, atque etiam permittat per petram ibi Petrum intelligere: Sequinoso portet communem sententiam aliorum Patrum, qui in eiusmodi interpretatione consentiunt. Maxime cum ratio ipsa loci eum sensum praeferat, ut ostensum est, nec contrario sit firma ea ratio, quae Augustinum de eiusmodi interpretatione addubitare fecit. *Non enim*, inquit ipse, *dictum est Petro: Tu es petra, sed tu es Petrus.* Atqui si de vocabulis quaerimus, ne *Petrus* quidem à Christo dictum est illi, sed *Cephas*. Quod vocabulum petram seu saxum significat, ut supra notatum est. Quare nihil impedit, quominus petram à Christo Petrum esse appellatum intelligamus, quamvis secundariam quidem post Christum, ut paulò post docebimus.

Nunc Patres eum locum ita interpretantes audiamus. ^a Dionysius Petrum affirmat ab Apostolo Paulo vocatum *fundamentum Ecclesiarum*. ^b Tertullianus: *Latine*, inquit, *aliquid Petrum, edificanda Ecclesia petram dictum*. ^c Clemens: *Simon Petrus fundamentum Ecclesia definitus est. Qua de causa etiam Domini ore cognominatus est Petrus.* ^d Origenes: *Vide magno illi Ecclesia fundamento & petrae solidissima, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur à Domino: Modice fidei quare dubitasti?* ^e Cyprianus: *Petrum primum Dominus elegit super quem edificavit Ecclesiam.* ^f Hippolytus: *Princeps Petrus fidei petra.* Ambrosius in hymno, teste ^g Augustino: *Hoc (gallo gallinaceo) ipsa petra Ecclesia carente culpam diluit. Qui sensus (inquit Augustinus) multorum ore catur in versibus beatissimi Ambrosij.* Item ^h Ambrosius in alio loco: *Petrus pro soliditate devotionis Ecclesiarum,*
petra

^a Ad Timoth.
^b Lib. de praescript. haeret.
^c Epist. 1. ad Iacobum.
^d Homil. 5. in Exod.
^e In epist. ad Quintum de bapt. haeret. Atque idem dicitur quoque asserit, lib. 1. ep. 3. & 12. & 1. 4. epist. 9. & in ep. ad Iulianum & 1. de unit. Eccl.
^f De consummat. mundi.
^g Lib. 1. Retract. cap. 21. Loco citato.
^h Serm. 27. de fide Petri

petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, petra enim dicitur eò, quòd primum in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemq; contineat. Ac rursus de claudo illo homine, qui diuinitus à Petro sanatus est, loquens: Si Petrus, ^l inquit, petra est, super quam edificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat, ut sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. ^k Gregorius Nazianzenus: *Vides, inquit, quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus & excelsis atque electione dignis, hic (Petrus) petra vocetur atque Ecclesie fundamenta (nempe intelligit reliquos Christi Apostolos) fidei sue credita habeat.* ^l Hieronymus: *Secundum metaphoram, inquit, petra, rectè dicitur ei (Petro) AEdificabo Ecclesiam meam super TE.* ^m Basilius: *Petrus cum dixisset: Filius Dei es altissimi; & audisset, petra es; encomiis celebratus est. Etiam si autem petra est, non ut Christus petra est, sed ut Petrus petra. Christus enim reuera petra inconcussa est, Petrus verò propter petram. Largitur enim Iesus suas dignitates & non euacuatur, sed habens dat.* ⁿ Hilarius: *O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesia fundamentum, dignaq; edificatione illius petra, quæ infernas leges dissolueret. O beatus cali ianitor, &c.* ^o Paulinus: *petra est Christus. Etiam discipulo huius vocabuli gratiam non negauit, cui dicit: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* ^p Chrysostomus: *Princeps Apostolorum Petrus super quem Christus fundauit Ecclesiam, verè immobilis petra & firma confessio.* ^q Prosper Aquitanicus: *Hæc fortissima petra ab illa principali petra (Christo) communionem & virtutis sumpsit & nominis.* ^r Epiphanius: *Ipse Dominus constituit Petrum primum Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei edificata est.* ^s Maximus: *Per Christum Petrus factus est petra: dicente ei Do-*

f 2

mino:

ⁱ Serm. 68. de Natali Petri & Pauli.

^k In orat. de moderat. in disput. habenda.

^l Lib. 3. Comment. in Matthe in cap. 16. atque idiplum expressè affirmat, in cap. 2. Isai. & 16. Ierem. & 41. Ezech. & 7. Amos. & 1. Abdia, & lib. 1. contra Iouin. circa mediū, & lib. 1. dialog. cont. Pelagian. ante medium.

^m In cõcione de pccniten. que est numero 28.

ⁿ Canone 16. in Matth.

^o Epist. 4. ad Seuerum.

^p Homil. 27. ex variis Matthe. locis. Idè in Psal. 50. & hom. 2. de encomio Petri & Pauli, & hom. 55. in Matth.

^q Lib. 2. de vocat. gent. c. 9.

^r In lib. Anchoratus non loq; ab initio. / Serm. de Petro & Paulo, qui incip. Gloriosissimos.

7 Actione 3.
 8 Lib. 3. in Ca-
 tic. ex Pifello:
 non longè à
 fine.
 9 Optat. lib. 2.
 contra Parm.
 Leonis ferm.
 3. de passione
 Dñi. Cyril. lib.
 2. in Ioan. c. 12.
 In dori lib. de
 patribus noui
 Testamenti.
 Euthimij in
 cap. 16. Matth.
 Gregor. in Re-
 gistro. lib. 6.
 ep. 37. & alio-
 rum.
 10 Serm. de ca-
 thedra Petri
 qui est 15. de
 Sanctis.
 11 In Psal. 69.
 12 Tract. 11. in
 Ioan.
 13 Tract. vlt. in
 Ioan. & ferm.
 14 de verbis
 Apostoli.
 15 Lib. 1. Re-
 tract. cap. 21.
 16 Tract. 36. in
 Ioan.
 17 Quæst. 75. ex
 nouo Test.
 18 Enarrat. 1.
 in Psal. 108.
 19 Lib. 2. de
 bapt. contra
 Donatist. ca. 1.
 20 Epist. 86.

*mino: Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam me-
 am.* ⁷ Concilium Chalcedonense: *Petrus Apostolus est petra
 & crepido Ecclesie Catholica.* ⁸ Theodoretus: *In Petro Aposto-
 lorum principe Dominus in Euangelio se Ecclesiam suam adifi-
 caturum promisit.* Eadem sententia (ne simus prolixi) reli-
 quorum ⁹ Patrum est. Quin & ipse Augustinus multis in
 locis Petrum à Christo dici petram & fundamentum Ec-
 clesie interpretatus est. Vt cum ¹⁰ inquit: *Petrum funda-
 mentum Ecclesie Dominus nominauit: & ideo dignè fundamen-
 tum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici adificij altitudo
 confurgit.* ¹¹ Item: *Petrus Christum confessus erat filium Dei: &
 in illa confessione appellatus erat petra, super quam fabricaretur
 Ecclesia.* ¹² Item: *Respondit Petrus petra illa, voce omnium: Do-
 mine, ad quem ibimus? Et si autem in aliis quibusdam lo-
 cis petram Christum interpretatus sit; tandemque, vt an-
 tea diximus, ¹³ dubitauerit, vtro modo potius ille qui-
 dem locus Matth. 16. intelligi debeat: tamen de ipso
 principatu alioqui, quem habuerit Petrus in Ecclesia,
 quemque vocabulo *petra, capitis fundamenti, ianitoris caeli,*
 metaphoricis significare Orthodoxi solent, nullo pacto
 dubitauit vnquam Augustinus. ¹⁴ Eius enim sunt illa ver-
 ba: *Quis nesciat primum omnium Apostolorum esse beatissimum
 Petrum?* Item: ¹⁵ *Ipsam, inquit, constituit Dominus esse caput
 eorum, vt pastor esset gregis Domini.* Item: ¹⁶ *Primum in di-
 scipulis habuit.* Item: ¹⁷ *Quis nesciat illum Apostolatus Petri
 principatum cuiuslibet Episcopatus preferendum?* Ac exstat lo-
 cus Augustini in ¹⁸ epistola ad Casulanum; ex quo satis ap-
 paret, minimè illum improbare, quo minus Petrus etiam
 Apostolorum *caput, caeli ianitor, & Ecclesie fundamentum*
 nominetur. Tot enim ac talibus nominibus, Augustino
 referente & minimè reprehendente, Petrum (ex vulga-
 tissima procul dubio Ecclesiarum omnium sententia)
 appella-*

appellavit is contra quem ibi Augustinus de ieiunio Sab-
bati disputat. Sed reliqua argumenta, quæ continen-
tur in illo loco Matthæi pro primatu Petri psequamur.

ET tibi, inquit, dabo claves regni cœlorum. Illustrat his ver-
bis Christus alia metaphora vim auctoritatis illius
primariæ, quam Petro ad cõstituendum de iis rebus, quæ
pertinēt ad salutem fidelium, pollicebatur. Namq; cla-
ves regni cœlorum eam potestatem vocat, propterea
quòd eius vsu multiplici cœlum fidelibus vel clauditur
vel aperitur. Quid enim aliud est, doctrinam fidei certò
explicare; peccata remittere; leges salutares condere; ea
quæ ad sanctissimum cultum pertinent, constituere; aliis-
quæ id genus rationibus hominum salutem cõsulere; quàm
iisdem cœlum, hoc est, aditum ad æternam beatitudinē
aperire? Contrà verò, cùm beneficium remissionis pec-
catorum iusta ex causâ negatur; cùm alicuius aut vita,
aut doctrina condemnatur; cùm excluditur ex commu-
nitione fidelium; huic nimirum quasi clauditur cœlum.
Itaq; intelligendum est, cùm soli Petro in hoc loco cla-
ves regni cœlorum singulariter promittuntur, summam
illi post Christum in Ecclesia promitti potestatem. Nem-
pe eiusmodi, qua & omnibus aliis (atq; adeò etiam ipsis
Apostolis) & omnibus modis aperire potuerit regnum
cœlorum. Non enim Apostolis item reliquis claves ipsas
cœli aut promississe aut tradidisse Christum legimus. Et si
attribuit illis quidam auctoritatem vsus eius-
modi clauium; vt scilicet clauderent cœlum aut aperi-
rent, retinendo vel remittendo, seu quod idem est, sol-
uendo vel ligando peccata. Claves autem ipsæ, hoc est,
plena atq; summa potestas id omni ratione faciendi, Pe-
tro soli, promissæ atq; adeò tributæ sunt, quæ est Christi
promissionum fidelitas.

VI.

*Potestas in Ec-
clesia primaria
eius nomine
clauium regni
cœlorum signi-
ficatur.*

*Soli Petro cla-
ues ipsæ regni
cœlorum promif-
sæ & data sunt:
ceteris autē A-
postolis aliquis
tantum usus
illarum.*

*(Matth. 18. &
Ioan. 20.)*

f 3 Quod

Quod sanè discrimen inter Petrum & reliquos Apostolos, quod attinet ad potestatem eam clauium, præclare veteres Patres animaduertent. Nam Augustinus, quoniam ad vtilitatem ipsius Ecclesiæ, principatus eius auctoritatis Petro tributus est, ideò scribit Ecclesiam illum repræsentasse tum cum ei à Christo diceretur: Et tibi dabo claves regni cælorum. ^m *Quædam, inquit, dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, neque tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille cognoscitur in figura gestasse personam propter primatum, quem in discipulis habuit: sicuti est: Tibi dabo claves.* Et rursus: ⁿ *Quod ad Petrum, inquit, propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus, abundantiore gratia vnus primusq; Apostolus. Sed quando ei dictum est: Tibi dabo claves; vniuersam significabat Ecclesiam. Item: ^o Petrus, inquit, Apostolus propter Apostolatus sui primatum totius Ecclesiæ gerebat figurata generalitate personam. Consentit cum Augustino ^p Optatus Mileuitanus, qui ob eam amplitudinem auctoritatis Petri, quæ cæteris Apostolis antecelluit; disertis verbis inquit: Solus Petrus claves accepit. Item ^q Origenes: Quoniam oportebat, inquit, aliquid maius habere Petrum, ideò illi quidem sic dicit; Et tibi dabo claves regni cælorum, & quacumq; ligaueris super terram, erunt ligata et in cælis. Non ergo modica differentia est, quòd Petro quidem sint data claves non vnus cæli, sed multorum cælorum, vt quacumq; ligauerit super terram, sint ligata non tantum in vno cælo, sed in omnibus cælis, & quæ soluerit super terram, sint soluta non solum in vno cælo, sed in omnibus cælis. Ad eos autem, qui multi sunt ligatores & solutores in terra, sic dicit, vt soluant & alligent, non in cælis, sicut Petrus, sed in vno cælo; quia non sunt in tanta perfectione sicut Petrus. Item beatus ^r Leo: Petro, inquit, præ cæteris est tradita soluendi atque ligandi potestas. Neq; verò præ-*

^m In Psalmū
108.

ⁿ Tract. 124.
in Ioann.

^o Tract. 134.
in Ioan.

^p Lib. 1. contra
Parmen. circa
medium.

^q Tract. 6. in
Matth. ferè in
medio.

^r Epist. 89. ad
Episcopos per
Viens. pro-
uin. constitu-
toa.

houo

11

rò præ-

rò præminentiam hanc auctoritatis clauium in Petro Hieronymus & Cyprianus ignorauerunt, cum^s ille scripserit, *inter duodecim unum eligi, ut capite constituto schismatis tollatur occasio:* hic autem, *primatum Petro dari, ut una Christi Ecclesia, & una Cathedra monstraretur.*

Lib. 7. contra Iovin. circa medium.
Lib. de vnitate Eccl. non longè ab initio.

Clauis in Scriptura sacra Symbolum esse potestatis.
Isai. 22.

Huc præter auctoritatem sanctorum Patrum accedit analogia Scripturæ, eiusq; phrasis in aliis locis. Etenim clauium nomine summa potestas designari in Scriptura sacra solet. *Dabo* (inquit Dominus Eliachin summo sacerdoti, qui typum Christi gessit) *clauem domus Dauid super humerum eius. Et aperiet & non erit qui claudet, & claudet & non erit qui aperiat.* Quid verò hæc clauis significat? Nempe potestatem talem in domo Dauid, hoc est, in Ecclesia, ut quod ab ea rectè ac legitimè constitutum sit, ratum apud omnes ac firmum esse debeat, nec possit à quoquam rescindi. Hoc enim est quod ait: *Aperiet & nemo claudet, et claudet & non erit qui aperiat.* Hanc clauem, hoc est, potestatem in Ecclesia, quæ & dicitur regnum cælorum, Christus præstantissima ratione habet. Ipse enim est *sanctus ille & verus* (inquit Ioannes Apostolus) *qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Petro igitur vices suas in hac vsurpanda clauē, hoc est, summam post ipsum auctoritatem in terris promisit, cum se illi clauē regni cælorum traditurum pollicitus est. *Largitur enim Christus* (inquit Basilius) *suas dignitates & non euacuatur, sed habens dat.* Ac sanè in politicis etiam id similiter obtinuisse videmus, ut cui regendæ ciuitatis summa auctoritas attribuitur, huic tanquam eius dignitatis symbolum quoddam clauē ciuitatis tradantur. Ab hac igitur antiquissima atq; receptissima consuetudine existimare debemus, Christum (qui solitus fuit ex rebus ferè vulgo vsitatis sermonis rationem ac modum petere)

Apocalypsis 3.

In cõcione de pœnitentia, quæ est 28.

petere) illam metaphoram mutuatum esse: vt amplitudinem eius potestatis quam Petro promittebat, quam aptissimè exprimeret.

VII.

In libro Anchoratus, non longè ab initio.

ET porta inferi non praualebunt aduersus eam. Porta inferorum, inquit Epiphanius, sunt hæreses & hæresarchæ. Iuxta omnem enim modum in ipso Petro firmata est fides, qui accepit clauis regni cælorum. Quo pacto & alij Patres portas inferorum hoc loco interpretantur. Si igitur ita super Petrum Ecclesia fundata est, vt possit operâ Petri ac ministerio aduersus omnes hæreses & omnem vim inferorum firma stare: confiteri necesse est, talem auctoritatem Petro tributâ esse, qua potuerit tum in omni fidei questione quod verissimum est certo docere, tum quæ essent fidelibus aut in cultu aut in moribus salutaria, sanctè cõstitueri. Quod enim Christus subiunxit: *Et porta inferi non praualebunt aduersus eam*, id ad antecedentia referri debet, vt inde præstantiam atq; firmitudinem illius potestatis intelligamus, quam Petro pollicebatur, affirmans se super illum Ecclesiam fundaturum, eiq; traditurum clauis regni cælorum. Nam & ad explicandam etiam vim atq; vsum eius auctoritatis adiunxit, illud quod ad extremum sequitur:

VIII.

ET quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumq; solueris super terram, erit solutum & in cælis. Quibus verbis non qualicumq; modo cum significat soluere atq; ligare posse, sed tanquam cum nimirum qui auctoritatem ipsam clauium regni cælorum absolutam atq; plenam habet: vt ex verbis antecedentibus, quæ hæcenus exposita sunt, didicimus. Quo sanè pacto cæteri Apostoli clauium auctoritatem non acceperunt; vt testimoniis Patrum, quæ partim adduximus, partim postea adducemus, perspicuum fit.

Hic.

HIC VERÒ quo minus ex hoc Euangelij loco primatum illum Petri colligamus, nobis obiiciunt Aduersarij primò, Non Petrum, sed Christum ipsum nomine *petra*, super quam Ecclesia ædificanda fuerit, intelligi hoc in loco debere: vel certè confessionē ipsam fidei de Christi diuinitate à Petro editam. Atq; hinc vrgent illud: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, prater id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Secundò, Quidquid hinc Petro promissum est, aliis etiam Apostolis esse tributum. Nam & omnes *fundamenta* appellantur, in Apocalypsi Ioannis: & omnibus Christus dixit: *Quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, et quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Et illud item omnibus: *Ite, ego mitto vos, quorum remisistis peccata, remittentur eis, &c.* Quò accedit auctoritas Patrum, qui pares omnes Apostolos fuisse, testari videntur. Cyprianus enim dicit: *Hoc erant vtiq; ceteri Apostoli, quod erat Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis.* Quod ipsum similiter affirmant ^x Anacletus, ^y Hieronymus, ^z Leo. Tertiò, Quod Petro peculiariter videatur Christus clauas regni cælorum promississe: id, inquit, ad confirmandum illius principatum non valere. Non enim ipsi Petro peculiariter, sed Ecclesiæ, cuius figuram ibi Petrus, auctore Augustino, præferebat, esse promissas atq; datas clauas.

Ad primum respondemus: Etsi Christus alioquæ *petra* angularis & fundamentum præcipuum sit, quo Ecclesia omnis nititur, tamen in eo quidem loco apud Matthæum *petra* nomine non posse ipsum intelligi, sed Petrum significari. Quod cum antea perspicuis argumentis ex ipso loco ductis, & consentiente auctoritate sanctorum Patrum, confirmauerimus, nihil est necesse idem denuò probare. Nam quod Augustinus (vt diximus) sub-

g dubi-

Quibus potissimum argumentis Seditarij contendunt ex loco Matth. 16. non colligi D. Petri primatum.

1. Cor. 3.

Apocal. 22.

Matth. 18.

Ioann. 20.

Lib. de vnit.

Eccl.

x 21. distinct.

c. in nouo.

y Lib. 1. cõtra

Iouin.

z Epistola ad

Anastasiũ

Tharsenf.

Respondetur ad eiusmodi argumenta.

Matth. 16.

dubitârit, Petrusne an potius Christus ibi petra nomine. tur, vbi tam est aliorum omnium Patrum sententia concors & constans, nihil nobis præiudicare debet.

Vt autem ibi per petram confessio fidei etiam, à Petro facta, intelligatur, non impedimus. Nam quod ad rem ipsam attinet, nihil interest, vtrum supra Petrum, fidem certò ac singulariter confitentem atq; docentem, vel supra certam & singularem Petri confessionem, Ecclesiam fundatam esse dicas. Eòdem enim res redit. Nam neq; nos, cum ex sententia Patrum supra Petrum fundatam Ecclesiam esse affirmamus, personam Petri cogitamus nudam, sed explicantem certam de Filio Dei fidem: neq; etiam illo loco vel nuda fidei confessio per se ipsa, vel alterius hominis, præterquam Petri, potest intelligi. Dicit enim Christus: *Super hanc petram*, id est, super te, Petre, confitentem, atq; ad eò super cõfessionem fidei tuam certam ac immobilem.

Itaq; vtrumq; videmus à veteribus explicatum esse, & supra Petrum, & supra Petri confessionem Ecclesiam esse fundatam. Quoniam nihil re ipsa inter vtrumq; interest, vt dictum est. *Princeps*, inquit Chrysostomus, *Apostolorum Petrus. super quem Christus fundauit Ecclesiam, verè immobilis petra, & firma confessio.* Ac rursus alio in loco, posteaquam supra fidem Petri Ecclesiam ædificatam esse dicit; vt magis explicet hoc tantundem esse ac supra Petrum certò de fide pronunciantem ædificari, hæc verba subiungit: *Id Christus agit, vt homo piscator quauis petra firmior reddatur, vniuerso terrarum orbe reluctante.* Atque ibi ad extremum super ipsum Petrum Ecclesiam ædificatam esse disertis verbis testatur. Item Diuus Cyrillus: *Insignem remunerationem atq; honorem ipsius Petri maximum fuisse asserit, quòd inconcussam & firmissimam illius fidem*

Confessionem etiam Petri, quod ad rem ipsam attinet, nomine petra intelligi, hoc ipso quod Petrus confitens Christi diuinitatem intelligitur.

Id etiam ostenditur testimonio Patrum.

Homil. 27. ex variis locis Matth.

Homil. 55. in Matth.

Lib. 4. dialog. de Trini. paulò post initium.

fidem petram Christus vocavit. Et Hilarius: *Hæc, inquit, fides Petri Ecclesie fundamentum est.* Cuius tamen illa etiam sunt verba: *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesie fundamentum! O beatus cæli ianitor!* Sic etiam Diuus Cyprianus: *Super illum unum, inquit, edificat Ecclesiam suam.* Qui tamen eodem loco, paulò post dicit: *Super cathedram, id est, supra doctrinam Petri, Ecclesiam esse fundatam.* Et ob id etiam Diuus Basiliius, Petri nomine *prærogatiuam Simonis, filij Iona,* intelligi docet: *Qui de piscatoribus, inquit, ad Apostolatus functionem vocatus, propter fidei excellentiam, Ecclesia adificationem in seipsum suscepit.* Quibus verbis an non Basiliius clarissimè significavit, nec Petrum sine fide, nec fidem sine Petro, ædificio Ecclesiæ, quasi fundamentum, subesse?

Iam illud quod vrgent Sectarij, solum Christum esse fundamentum, facillimè expeditur. Ita enim Christus solus est Ecclesiæ *fundamentum*, sicut solus est *mundi lux*, sicut solus est noster *Pontifex, Episcopus, Doctor, & Pastor* animarum. Et tamen sunt præter Christum alij etiam in Scripturis *lux mundi, Episcopi, Doctores, Pastores*, verissimè appellati. Nempe non eadem sed alia ratione. Ita quoque *fundamenta* in Apocalypsi Ioannis appellantur Apostoli. Num verò id impedit, quo minus verè dictum sit: *Fundamentum aliud neminem posse ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus?* Minimè. Est igitur intelligendum, quæ primario & principaliter, hoc est, præstanti quadam & singulari ratione Christo conveniunt, eadè aliis convenire secundario. Lux ipse solus est, quæ ^a *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Item solus ipse est ille ^b *Pastor, qui posuit animam pro ouibus suis* seq̃ue ^c *dedit redemptionem pro omnibus.* Et ^d *Pontifex solus, qui penetravit cælos,* ^e *introiuitq; per sanguinem suum in*

g 2 sancta,

Lib. 6 de Trinit. post medium.

Canone 16. in Matth. Lib. de veritate Eccl. paulò post initium.

Lib. 2. contra Eunom. paulò post initium.

Christum sua quadam ratione esse fundamentum Ecclesie singulare, licet ea quoq; super Petrum adificata sit.

Cap. 22.

1. Cor. 3.

a Ioan. 1.

b Ioan. 10.

c 1. Tim. 2.

d Hebr. 4.

e Hebr. 9.

f Iſai. 30.

f Coloff. 2.
b I. Cor. 3.Enarr. in Pfal.
86. nō lōgè ab
initio.In oratiōe de
moder. in di-
ſputat. habenda.Lib. 3. cōment.
in Marth. cir-
ca cap. 16.In cōcōione de
pœnitentia.a Lib. 6. in Lu-
cam, c. 2.
b Sermo. 2. in
Natali Petri
& Pauli.
c Lib. 2. de vo-
catione gent.
cap. 9.
d Lib. 2. c. 17.
& ſeq.

ſancta, æterna redemptione inuenta. Sic ^f *Doctor* eſt vin-
cus, in quo, vt in alio nullo abſconditi fuerint, omnes
^g *theſauri ſapientia & ſcientia Dei*. Denique ^h *fundamentum*
eſt primum Eccleſiæ & maximum, & vt Auguſtinus ap-
pellat, *fundamentum fundamentorum*, quod videlicet ſe-
ipſo conſiſtat, neque vlli alteri innitatur, ſuſtineatque
quidquid omnino pertinet ad Eccleſiæ ædificium, adeo-
que ipſum etiam confirmet Petrum. Sed vt alij poſt
Chriſtum ſuo quodam modo *lux mundi* ſunt. Itemque
Episcopi, Paſtores & Doctores: ſic etiam Petruſ eſt quaſi ſe-
cundarium ac præcipuum, poſt Chriſtum, Eccleſiæ fun-
damentum. Nempe cuius fidei ipſa etiam *Eccleſiæ funda-
menta commiſſa ſunt* (vt ait Gregorius Nazianzenus) id eſt,
Apoſtoli ipſi, qui, vt alios in religione confirmarunt, fun-
damenta etiam quædam fuerunt. Atque hoc idem &
veteres ipſi, qui Petrum fundamentum Eccleſiæ conſti-
tutum eſſe affirmauerunt, luculenter notârunt. *Sicut
ipſe*, inquit Hieronymus, *lumen Apoſtoliſ donauit, vt lu-
men mundi appellarentur, ceteraq; ex Domino ſortiti ſunt voca-
bula: ita & Simoni qui credebat in petram Chriſtum Petri lar-
gituſ eſt nomen: & ſecundum metaphoram petra rectè dicitur
ei: Edificabo Eccleſiam meam ſuper te*. Et Baſiliuſ: *Chriſtuſ ve-
rè eſt petra incõcuſſa, Petruſ verò propter petram, largitur enim
Deuſ ſuas dignitates & non euacuatur, ſed habens dat. Lux eſt
& dicit: Vos eſtis lux mundi. Sacerdoſ eſt; facit ſacerdoteſ. Oui-
cula eſt, & inquit; Ecce ego mitto voſ ſicut oueſ in medio lupor-
um. Petra eſt, & petram facit. Nec opuſ eſt prolixius refer-
re, quæ in eandem ſententiam dicit ^a Ambroſiuſ, ^b Leo,
^c Proſper & alij. Ac poteſt, qui plura de hoc discrimine
fundamentorum Eccleſiæ cognoscere volet, legere inter
cæteroſ doctiſſimuſ ^d Turrecrematam in erudito illo
ſuo opere, quod ſummam Eccleſiæ nominauit.*

Ad

Ad secundam objectionem Sectariorum, de Apostolorum omnium æqualitate, doctè sanè à multis Catholicis auctoribus iam pridem secundum doctrinam Orthodoxam responsum est, vt à ^c Ioanne Driedone, à ^f Cæciliano, à ^g Melchiore Cano, à ^h Dominico Soto, &c. Res autem, vt summatim & aliquantò planius complectar, sic habet. Ad Apostolatus prærogatiuam atque dignitatem duo pertinuerunt. Vnum est, quod ab ipso Christo proximè auctoritatem Ecclesiastici ministerij Apostoli acceperunt. Quamobrem & ab eo missi, sicut ipse missus erat à Patre, dicuntur. Alterum est, quod eam auctoritatem sic à Christo acceperunt, vt non tantum in hac vel in illa orbis parte, sed vbique prorsus possent ritè ac legitime fungi muneribus Ecclesiasticis. *Euntes enim, inquit, docete omnes gentes, &c. Et: Prædicate Euangelium omni creatura.* In his duabus rebus, atque ad eò in huiusmodi dignitate atque prærogatiua Apostolatus, pares omnes Apostoli fuerunt. Atque hæc duntaxat æqualitas Apostolatus probari potest iis testimoniis vel Scripturæ vel Patrum, quæ nobis obiiciuntur.

Cæterum alia duæ res sunt, in quibus Petrus Apostolus reliquis Apostolis, non quidem propriè vt Apostolus, sed vt singulare fundamentum, & caput Ecclesiæ, & pastor ouium Christi, & cæli ianitor constitutus, antecelluit. Vna est, quòd illam Apostolatus auctoritatem in vniuerso orbe, tanquam ordinariam, & duraturam, suisque ad eò successoribus reliquendam, ipse accepit: eò quòd vniuersæ Ecclesiæ, quæ vnquam futura esset, fundamentum est constitutus (sicut infra ostendemus) nec talis fundamenti locum ipse perpetuò, nisi per suos etiam successores tenere potuit. Reliqui verò Apostolicam auctoritatem non eo modo acceperunt. Quin eorum

e Lib. 4. de variis dogmat. cap. 4. parte 2.
f In tract. de compar. Papæ & Concil. c. 3.
g Lib. 6. de locis Theol. cap. vlt. ad argumentum.
h In 4. sent. d. 20. q. 1. art. 2. & 3.

Apostolicam dignitatem in duabus rebus suam fuisse.
Ioan. 20.

Matth. 28.
Marci 16.
In quibus fuerunt Apostoli omnes pares.

Quibus in rebus D. Petrus Apostolis reliquis antecelluerit.

rum quasi extraordinarium priuilegium fuit, quòd & in orbem vniuersum, & à Christo proximè illam auctoritatem Apostolatus acciperent. Itaque illis è vita decedentibus, dignitas etiam eiusmodi Apostolatus esse desit, neque est ad vllos eorum successores deriuata. Quod cum ita dicimus, minimè volumus, nullam iam peruenire Apostolatus auctoritatem ad Episcopos, qui sunt (vt Anaclerus explicat) Apostolorum successores. Habent enim hi, in suis quique Ecclesiis, vicem atq; functionem Apostolorum: estque ad eò perpetuum illud Dei in Ecclesiam beneficium, quo inter ceteros ministros ei attribuntur Apostoli *ad consummationem Sanctorum*, vt Diuus Paulus disputat. Hoc igitur tantum dicimus, si & modum, quo Apostolicam auctoritatem reliqui præter Petrum acceperunt, & acceptæ auctoritatis amplitudinem, in totum scilicet orbem, spectemus; non transiisse eiusmodi dignitatem Apostolicam ad eorum successores. Nam neque auctoritatem ex æquo in vniuersum orbem habent; neque eam quam habent, habent ita proximè à Christo, sicut habuerunt Apostoli; quum Christus nimirum illam ipsis Apostolis per se tribuit, eaque re officium ordinarium Petri (id est, vniuersalis Pastoris, à quo nimirum potestas aliorum Pastorum ordinariè alioqui deriuanda est) sua quadam excellenti potestate quasi præuenit.

Altera, res, in qua Petrus reliquis Apostolis antecellit, est, quòd ipse quidem potestatem accepit etiam quandam in ipsos Apostolos: tanquam omnium videlicet (nemine excepto) qui ad Ecclesiæ ædificium & ad Christi gregem pertinent, fundamentum & pastor (vt post ostendemus) singulariter constitutus. Itaque regere ipsos atq; in fide confirmare cum auctoritate potuit, iisque præscribere

Anaclet. dist.
21. can. in no-
mo.

Eph. 4.

*Dignitas reli-
quorum Apo-
stolorum præter
D. Petrum, quo-
modo non fue-
rit deriuata ad
successores.*

scribere & modum & locum ad fungendum ministerio Apostolico, quatenus ad Ecclesie bonum id expediret. Quam sanè rem doctè mihi videtur Caietanus expediuisse, vbi scribit, Apostolos reliquos, quatenus Apostolos, fuisse quidem Diuo Petro pares: tamen, qua ratione erant oues Christi, fuisse Petro subiectos.

Porro, Hanc Petri præminentiam inter reliquos Apostolos minimè negauerunt veteres Patres. Quin imò ex loco Matthæi hætenus à nobis exposito, & ex aliis, quos deinceps adducemus, luculentissimè eam asseruerunt: etiam illi ipsi qui pares alioquì in Apostolatus dignitate omnes fuisse affirmârunt. Etenim Diuus Cyprianus in eo ipso loco vbi dixit, *pari consortio præditos reliquos Apostolos fuisse & honoris & potestatis*: mox subiungit: *Sed exordium ab vnitatem profiscitur, Petro primatus datur, vt vna Christi Ecclesia & vna cathedra monstretur.* An non in pari consortio Apostolatus primatum Petri agnoscit? Legat, cui otium est, locum illum integrum Cypriani, & satis impudentiam Sectariorum mirari non poterit, quod ex ea Cypriani disputatione probare velint: ita fuisse Apostolatus dignitate pares Apostolos, vt Petrus illis præpositus à Christo non fuerit. Dicit: *compendio veritatis facile fidem probari posse, si caput teneatur, ac illud consideretur, quod Dominus loquitur ad Petrum: Tu es Petrus, &c.* Dicit: *Super vnum Petrum Ecclesiam esse fundatam.* Dicit rursus: *Quamuis & alij Apostoli pastores constituti sint; tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram Christum constituisse, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuisse.* Dicit rursus: *Super cathedram Petri Ecclesiam esse constitutam.* Et illud item quod antè recitatum est: *Primatus Petro datur, vt vna cathedra monstretur.* Denique causam, quam ob rem hæretici perfidiam sub præ-

textu

Loco supra citato.

D. Petrum ceteris Apostolis, quatenus erant quidem oues Christi, superiorem fuisse, illi ipsi veteres Patres asseruerunt, quos pro contrario errore citat Sectarij.

Lib. de vnitat. Eccl. non longè ab initio.

D. Cyprianum agnouisse primatum Petri inter reliquos Apostolos, manifeste probatur contra Sectarios.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

textu fidei, & Antichristum sub vocabulo Christi mentiantur, esse, quia ad veritatis illam & unitatis originem (de qua dictum est) non reditur, nec caput, inquit, quaritur. Quid hæc omnia, si nullum habuit Petrus principatum auctoritatis, sibi volunt?

Lib. 1. contra Iovin circa medium.

Nec minus profectò clarè Hieronymus; *Super Petrum, inquit, fundatur Ecclesia. Et licet id ipsum in alio loco super Apostolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo (quod attinet quidem ad prærogatiuam Apostolatus) super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio. An verò ab Hieronymo vel amplius aliquid ad æqualitatem in Apostolatu declarandam, vel clarius ad Petri nihilominus præminentiam in auctoritate regiminis tuendam dici potuit? Quid Diuus Leo? Inter beatissimos, inquit, Apostolos in pari honoris consortio fuit quadam discretio potestatis. Et cum omnium par esset electio, (nempe ad Apostolatam) vni tamen datum est, ut ceteris emineret.*

Epist. ad Anastasium Tharsensem Episc.

2. Dist. 21. c. In nouo. Et clarissimè epist. 3.

Loco superius citato.

67. dist. can. porro.

Et Anacletus, vbi pari etiam consortio honorem & potestatem Apostolicam reliquos accepisse dicit: perspicuè nihilominus^z asseuerat à Petro post Christum in nouo Testamento sacerdotalem ordinem cepisse, & ipsum Apostolos reliquos habuisse pro principe. Mitto, quòd auctor aliqui eruditissimus Ioannes à Turrecremata contendit, in hoc etiam Apostolos ceteros Diuo Petro fuisse inferiores, quòd à Christo acceperint Apostolici muneris auctoritatem non nisi per ipsum Petrum. Id quod etiam probat ex Anacleto, qui^a affirmat, Iacobum fratrem Domini fuisse ordinatum Episcopum Hierosolymitanum à Petro, & Ioanne, & alterò Iacobo. Sed hæc quidem sententia minus communis est, neque etiam ad Petri primatum asseren-

afferendum necessaria. Nam etsi demus, à Christo proxime omnes Apostolos auctoritatem Apostolicam, vt antè docuimus, accepisse; satis nihilominus defensum iam est, quod ad auctoritatem quidem regiminis attinet, fuisse illos ipso Petro inferiores. Ex qua re fiebat, vt in modo certè exercendi munus illud Apostolicum à Petro dirigi cum auctoritate possent. Quod verò de ordinatione Iacobi dicit Anacletus: id ad designationem quandam loci referri potest.

Deniq; quod tertio aduersus probationem nostram, ex illo Matthæi loco sumptam, obiiciunt Sectarij, clauces regni cœlorum nec promissas nec datas Petro esse, nisi in persona Ecclesiæ: id verò magis ipsos redarguit. Ideò enim de Petro peculiariter Augustinus scripsit, cum in persona Ecclesiæ clauces accepisse, quoniam non vt priuata persona, neque vt qualiscunque alius Ecclesiæ minister, sed vt Ecclesiæ totius præfectus, qui singulariter proinde totam Ecclesiam repræsentauerit, eatenusque in vtilitatem Ecclesiæ, eas accepit; vt supra quoque exposuimus, & diligenter etiam à Caietano, & Eckio notatum est. Sed satis, vt arbitror, de loco Matthæi 16. dictum est, ex quo certè est perspicuum, præcipuam illam in Ecclesia auctoritatem fuisse Petro promissam.

Caiet. in tract.
de Rom. Pont.
instit. c. 3.
Ecki. in locis
com. cap. 3.

Secundus Euangelij locus, valde etiam illustris, quo auctores Catholici principatum Petri probare consueuerunt, est apud Lucam. Vbi Christus, contentione exorta inter discipulos, *quis eorum videretur esse maior*: primùm ambitionem eam atq; superbiam, vt pote secularium principum ambitioni similem, refutat, & sui exemplo proposito modum humilitatis præscribit ei qui maior esset futurus, inquit: *Reges gentium domi-*
h
nantur.

Secundus locus
Euangelij pro
Petri primatu.

Lucæ 22.

nantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: Vos autem non sic. Sed qui maior EST in vobis, fiat sicut minor, & qui precessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Deinde conuersus ad Petrum, eique imperans vsu illius primariae auctoritatis in confirmandis in fide fratribus, satis profecto indicauit, eum ipsum Petrum esse cui antecedentibus verbis modum in supremo dignitatis gradu tenendum proposuerat. Ait enim è vestigio ad ipsum solum: *Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum; Ego autem orauit pro te vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*

Quatuor obseruanda in loco Luc. 22. pro assertione primatum.

Hoc ego loco peto à Lectore, vt quatuor apud se diligenter expendat. I. Primum enim in illa discipulorum contentione minimè sanè Christus negauit, aliquem in Ecclesia superiorem reliquis fuisse futurum. Quin potius id planè affirmat: *Qui maior*, inquit, *EST*, (quia videlicet iam erat Christo decretum, aliquem præficere & caput cæterorum facere) *in vobis*. Itaque hunc monet, vt in maximo gradu dignitatis post constitutus, non mundanorum principum arrogantiam, sed suam moderationem atque submissionem imitetur. *Ego enim*, inquit, *sum inter vos, sicut qui ministrat*. II. Quis autem ille maior futurus est? Nempe Petrus, pro cuius videlicet fide, vt ad communem aliorum vtilitatem sit firma, orat: quem iubet fratres aliquando, hoc est, accepta post lapsum & resipiscentiæ cura pastorali, confirmare in fide. Quo sanè confirmandi vocabulo, auctoritatem in docendo significari, ex aliis^a Scripturæ locis intelligi potest. III. Atq; Petrum maiorem reliquis significari hoc loco futurum, non propriè in vitæ sanctimonia aut virtute, sed in muneris auctoritatis.

^a Act. 15. ver. 41. & cap. 16. ver. 5. & 1. ad Thessal. 3. ver. 2. & c.

toritate; tum ex eo *confermandi* præcepto, quod illi deinde tanquam Maiori datur, tum ex ipsa ratione huius Christi sermonis apparet. Monuit enim ut is qui maior futurus esset fieret virtute humilitatis & submissionis sicut *minor*. Qua monitione non magnoperè iam eget, qui in maximo virtutis atque sanctitatis est gradu, adeoq; perfectionem humilitatis consecutus est. Sed is demum ita cum primis admonendus est, qui in alio aliquo genere excellit; nempe potestatis, quæ nimirum cum importunitatis atque superbiæ vitio facillè coniungi solet; ut est videre in regibus gentium, quorum voluit Christus eum esse dissimillimum qui maior inter Apostolos futurus erat. III. Nec verò putare hoc in loco possumus, sermonem Christo fuisse de potestatis alicuius temporalis principatu, quem moderatè ab aliquo Apostolorum sustineri vellet. Perspicuum enim est de eiusmodi auctoritatis præstantia eum ibi agere, cuius maximè proprius sit usus confirmare in fide fratres. Quæ auctoritas, spiritualis est. Quanquam nec indignum est, ut qui *spiritualia seminant, temporalia etiam metant*, vnumquisque quantum opus habet, spectata temporum ratione & sui cuiusque in Ecclesia gradus.

Sed ipsos etiam sanctos Patres audire operæ præciū est qui etiam ex hoc loco Petri in Ecclesia principatum rectissimè collegerunt. *Commune, inquit D. Leo, erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & diuina protectionis auxilio pariter indigebant; quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere. Et tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur. Tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuina gratia ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum*

1. Cor. 9.

Veteres Patres ex loco etiam Luc. 22. primatum Petri collegisse. Sermon. 3. de die anniuersario assumpt. suæ. Idemq; habet serm. 2. de Natali Petri & Pauli.

h 2

Petro

Petro tribuitur per Petrum Apostolis conferatur. Cum itaque dilectissimi tantum nobis videamus presidium diuinitus institutum; iuste in ducis nostri meritis & dignitate letamur gratias agentes redemptori nostro, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesia principem fecit. Et D. Ambrosius: Petrus, inquit, Ecclesia preponitur. Itaque antè significat Dominus quid sit illud, quod postea cum pastorem elegit Dominici gregis. Nam huic dixit: Tu autem conuersus confirma fratres tuos. Item Theophylactus: Planus, inquit, huius loci intellectus hic est: Quia te habeo ut principem discipulorum; postquam negato me fleueris, & ad penitentiam veneris, confirma ceteros. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesia petra & fundamentum es. Tum D. Augustinus: Quid ambigitur? inquit. Pro Petro rogabat, & pro Iacobo & Ioanne non rogabat? ut ceteros taceam. Manifestum est, in Petro omnes contineri: Rogans enim pro Petro pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in proposito populus aut corripitur aut laudatur.

Et tamen vsque adeò miserabilis cæcitas Sectariorum est, ut contra Petri potius principatum ex hoc ipso Lucæ loco, quo ille vel maximè stabilitur, argumentum petant. Vrgent enim admodum inconsideratè illud: Vos autem non sic. Si non sic: ergo nemo, inquiunt, debet in Ecclesia cæteris omnibus imperare, id quod faciunt Reges gentium. Quantò rectius contrarium isti concluderent, hoc modo: Si non sic, id est, si non eo modo dominari seu imperare aliquis Apostolorum debuit, sicut dominantur Reges gentium. Ergo debuit quidem aliquis ex Apostolis imperare (de quo inter eos fuit contentio quis esset) sed alio quodam modo. Quo tandem? Qui, inquit, maior est in vobis, fiat sicut minor. Non dicit: Nullus eris in vobis maior: Nemo imperabit. Nec: Qui maior est, fiat, aut sit minor, aut omnino non imperet. Quorsum enim esset maior? Sed:

D. Ambrosius in
Psal. 43. ali-
quantò post
medium.
Lucæ 22.

In Comment.
cuius loci.

Quæst. 79. ex
nouo Test.

Redarguitur
pertinacia &
cæcitas Secta-
riorum, quòd
aduersus pri-
matum obies-
ant locum Lu-
cæ 22. Unde ma-
ximè ille con-
firmatur.

Confirmatur
rursus probatio
primatus ex lo-
co Lucæ 22. du-
pliciter.

I.

Sed: *Fiat*, inquit, sic vt minor, hoc est, in mansuetudine, sine superbia; sine importunitate imperet. Non igitur summam auctoritatem hinc Christus remouet: sed modum in auctoritate summa requirit, eumq; longè diuersum ab eo quem Reges gentium tenent.

Id ipsum confirmamus rursus hoc modo: Qui inter Apostolos maior sit, eum ita vult Christus erga reliquos se gerere, sicut ipse Christus se gessit erga Apostolos. Exemplum enim suum proponit eis, inquit: *Ego aut in medio vestrum sum sicut qui ministrat*. Atqui Christus ita fuit sicut qui ministrat, vt non ideò tamen potestate caruerit. Igitur nec vult potestate carere eum quem esse vult vt minorem cum sit maior, sed modum in vsu potestatis ei præscribit, vt dictum est. Quid multa? Ipse Apostolus Petrus, quò pertinuerit illud Christi magistri sui præceptum, disertè explicat, quum iisdem propè verbis id repetens, ac alios etiam Ecclesiæ pastores de eo commonefaciens: *Pascite*, inquit, *qui in vobis est gregem, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè. Neg, vt DOMINANTES in cleris, sed forma facti gregis ex animo.*

Tertius locus est clarissimus apud Ioannem. Vbi Christus Dominus ascensurus in cœlum, Vicarium amoris sui erga gregem (vt inquit B. Ambrosius) Diuum Petrum relinquens; omnibus eum Apostolis, antetulit, eiq; summam tandem auctoritatem Ecclesiam suam regendi, toties antea promissam, attribuit. *Erant* (inquit Euangelista) *Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilæe, & filij Zebedei, & alij ex discipulis eius duo, &c. Et dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: etiam Domine: tu scis, quia*

h 3 amo

2.

NOTA.

1. Petri 5.

Locus Euangelij tertius pro primatu Petri, Ioan. 21. Ambr. lib. 10. in Luc. c. 24.

Ioan. 21.

amo te. Dicit ei: *Pasce agnos meos.* Dicit ei iterum: *Simon Ioannis diligis me?* Ait illi, *etiam Domine: tu scis, quia amo te.* Dicit ei: *Pasce agnos meos.* Dicit ei tertio: *Simon Ioannis amas me?* Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: *amas me?* Et dicit ei: *Domine tu omnia scis, & scis quia amo te.* Dicit ei: *Pasce oves meas.* Hic etiam petimus à Lectore, ut hunc in modum ex hoc tam illustri loco, pro Petri principatu in Ecclesia, ratiocinetur. Si Petro singularis aliqua regendi vniuersam Ecclesiam auctoritas à Christo tributa est, qualem ceteri Apostoli non habuerunt; certè Petrus habuit regiminis in Ecclesia principatum. Nam quæ maior in Ecclesia regendi auctoritas sit quàm ea, quæ antecelluit auctoritati alioquì Apostolicæ? At singularis Ecclesiæ vniuersam regendi auctoritas, qualem ceteri Apostoli non habuerunt, Petro est à Christo tributa. Habuit hic igitur regiminis in Ecclesia principatum.

Ex loco Io. 21.
quaratiōe pri-
matus probe-
tur.

Cōfirmatur ea
probatio ex
v. loci, p. sive
circumstan-
tiis.

Hebr. 5.

Lib. 10. in Lu-
cam, cap. 24.

Id probatur perspicuè ex circumstantiis eius loci apud Ioannem. I. *Simon*, inquit, *Ioannis diligis me plus huius.* Cur de præstantiori caritate eum, præ ceteris tum presentibus, interrogasset, nisi maioris etiam atque præstantioris muneris auctoritatem ipsi attribuere voluisset? II. *Pasce agnos meos.* Vel ut est Græcè, *Rege oves meas.* Et denique: *Pasce oves meas.* Nempe cōmisit ei curam omnium Ecclesiæ ordinum; ut regeret non modò vulgares atque imperfectiores fideles, qui quasi agni sunt, & velut paruuli lacte pascendi: sed etiam perfectos, adeoq; Pastores ipsos Ecclesiarum, qui velut oves ac matres sunt ceterorum. Sic enim D. Ambrosius hanc Christi sermonis varietatem in hoc loco interpretatur. *Tertio*, inquit, *Domini interrogauit: Et iam non agnos lacte pascendos, ut primo, neq; ouiculas, ut secundo, sed oves pascere iubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret.* III. Neq; inter has aut illas oves distin-

distinxit: Sed absolute: *Pasce*, inquit, *oves meas*. Quo ipso aperte significauit, alienum esse à suo ouili quicumq; *Petrum pastorem non agnosceret*; vt scitè atq; eleganter concludit D. Bernardus. Quamobrem nec Apostolos quidem à Petri cura exemit. Nisi fortè nō etiam illi Christi oves fuerunt. IIII. Denique vis verbi, *pasce*, considerata est. Quod vsus auctoritatis salutarem in subditos, in regendo & docendo, secundum ^a Scripturæ sacre consuetudinem, significare, dubium nullum est: quidquid Calvinus contra obganniuerit. Quare Ioannes in recitanda ea Christi sententia, tali verbo Græco (ποιμαίνε) vsus est, quod & pascere & regere significat, vt à sanctissimo ^b Rosenfensi & ab aliis ex ^c Scriptura etiam sacra passim est notatum. Nec aliter ^d Augustinus & ^e Chrysostomus, & alij Patres eius verbi significationem hoc in loco intellexerunt.

Sed quemadmodum hîc Christus auctoritatem in Ecclesia primariam Petro attribuerit, quam antea tot modis eidem erat pollicitus, præstat vt Lector ex ipsis verbis sanctorum Patrum quàm ex nostris intelligat. ^f Chrysostomus: *Ceteris*, inquit, *omissis solum Petrum alloquitur, curam ei committens fratrum suorum*. Et rursus: ^g *Interrogat*, inquit, *discipulum magister, num ab eo ametur? Non quò id ipse edoceatur; verùm vt nos doceat, quante cura sibi sit gregis huius præfectura*. Item ibidem paulò pòst: *Illum*, inquit, *auctoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longè præcellere*. Petre enim, ait, *Amas me plus quàm hi oēs?* Ac rursus: ^h *Ecclesia*, inquit, *primatus gubernatiōis, per vniuersum mundum ei à Christo concreditus est*. ⁱ Ambrosius: *Interrogabat*, inquit, *Dominus, non vt disceret, sed vt doceret, quem eleuandus in cælum amoris sui velut vicarium nobis relinquebat*. Sic enim habes: *Simon Ioannis diligis me, &c. Petrus testifi-*

Lib. 2. de confider. ad Eugenium, paulò post mediū.

^a 2. Reg. 5. Ezech. 34. &c.

Caluin. lib. 4. instit. c. 7.

^b Articul. 25. contra Luth.

^c Psal. 2. & 79. Act 20. Matt. 2. &c.

^d Tracta. 123. in Ioā. sub fin.

^e Lib. 2. de sacerdotio, in initio.

Confirmatur præterea eadē probatio testimonij Patris, f Homil. vlt. in Ioan.

^g Lib. 2. de sacerdotio, in initio.

^h Homil. 1. de penitentia.

ⁱ Lib. 10. in Luc. c. 24.

testificatur affectum, & ideo quia solus proficitur ex omnibus, omnibus antefertur. Et paulò post: Oves pascere iubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret. ¹ Cyprianus, Petro, inquit,

7 In li. de unitate Eccl. sub initium.

post resurrectionem suam dicit: *Pasce oves meas, super illum*

m In cap. 6. ad Rom.

VNUM adificat Ecclesiam suam (en, sententiã Cypriani, quãdo Christus impleuerit illam promissionem: *Super hanc petram, &c?*) & illi pascendas mandat oves suas. Et ^m Origenes: *Quum Petro, inquit, summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum, velut terram, fundaretur Ecclesia*

n In locũ illum, Ioan. 21.

(en etiam quãdo impleta promissio?) nullius confessio virtutis alterius, nisi caritatis ab eo exigitur. ⁿ Theophylactus:

o Lib. 4. Regi- str. ep. 32.

Petro, inquit, non alij praefecturam ouium per uniuersum mundum tribuit. ^o Gregorius: *Totius, inquit, Ecclesiae curam Petro dominica voce commissam esse, cunctis legentibus Euange-*

p In Psalmum 138.

lium liquet. Item ^p Arnobius, *Petrum Episcopum Episcoporum esse inde ostendit, quòd nullus, inquit, Apostolorum nomen pastoris accepit* (intellige, ita singulariter & ab ipso

Ioan. 10.

Christo) *solus enim Dominus dicebat: Ego sum Pastor bonus. Hoc nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit, & ter negatus negatori suo hanc, quam solus habuit, tribuit potestatem.* Nec multò

q Tract. 123. in Ioan.

aliter hoc idem expressit ^q Augustinus, ubi ita eleganter scripsit: *Sit amoris officium pascere dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare Pastorem.* Quibus verbis quis

Lib. 2. de sacerdot.

maximè sit sensus illius loci literalis, quòd toties tamq̃ accuratè de singulari amore Petrus examinatus fuerit, Augustinus significauit. Nempe ut intelligeretur, quanto perè caritas in subditos & eorum Dominum, in Pra-

Homil. 87. in Ioan.

posito necessaria sit. Quod Chrysostomus voluit, ubi supra, cum dixit: *Dominum interrogasse, ut nos doceret, quanta cura sibi sit gregis huius praefectura.* Et alio loco: *Ter, inquit, interrogat, & semper idem praecipit, inquiens: Pasce, ut demon-*

stret

stret quanti ouium suarum curam faciat. Neq; idcirco tamen id improbamus, quod Augustinus etiam de hoc loco ita commentatus est: *Redditur, inquit, negationi trina trina confessio, ne minus amori lingua seruiat, quam timori; & plus vocis elicuisse videatur mors imminens quam vita presens.*

Quod ipsum & Cyrillus notat in eundem locum; simul ibi Petrum appellans & principem & caput caterorum Apostolorum. Neq; eiusmodi Augustini interpretatio impedit, quo minus maximè etiam propter praefecturam gregis Petro committendam, ita illum Christus interrogauerit, vt Chrysostomus & alij Patres exponunt.

SED ALIVD, inquit Calvinus, est; pasce oues meas, quàm habeto auctoritatem in eas omnes. Accedit, quòd non dicit, *omnes*. Et ipse Petrus aliis Episcopis inquit: *Pascite qui in vobis est gregem;* Tanquam habeant omnes ex æquo curam Dominici gregis sibi commissam. Atq; hæc ferè sunt, quæ aduersus pondus tanti tamq; illustis testimonij, quo Petri principatum confirmant Catholici, lenissimè obiciunt Sectarij.

Quibus respondemus, & vsum alioquì sacre Scripturæ; & huius loci circumstantias; & collationem eius cum locis aliis, in quibus antè summa auctoritas Petro promissa est; & (quod magni momenti apud nos esse debet) consentientem interpretationem sanctorum Patrum, satis superque comprobare, *pascendi* vocabulo, in eo loco, metaphoricè significari etiam regendi auctoritatem. Significat enim ea vox officium eiusmodi erga oues Christi, quo bene atque conuenienter illæ & in spiritali vita sustentari, & omnino ad illa vsq; pascua vberissima vitæ sempiternæ dirigi atque deduci possint. Hoc autem, si spectemus hominum naturæ conditionem, sufficienter præstari nequit, sine auctoritate etiam atque vi præcipiendi,

In illo ipso tract. 12. in Ioan.

Lib. 12. in Ioan. cap. 64.

Locis antè citatis. Lib. 4. instit. cap. 7.

1. Petri 5.

Responsio ad ea quæ lenissimè obiciunt Sectarij aduersus probationem ex loco Ioan. 21.

piendi, adeoque obligandi ipsas oues ad eum doctrinæ & religionis quasi pastum sumendum, qui iudicetur salutaris à pastore. Quare, in quo Ecclesiæ Præposito Christus significauit esse auctoritatem pascendi, in eodem auctoritatem quoque spiritualiter regendi esse intelligere debemus: vt auctoritate Scripturæ, & sanctorum Patrum, & ipsa illius loci ratione satis hæcenus demonstratum est.

*Cum Christus
Petro dixit: Pa-
sce oues meas;
oues omnes in-
tellexisse.*

Nec nobis illud quicquam obstat quod Aduersarij obiiciunt, Christum non dixisse: *Oues omnes*. Etenim loci circumstantiæ iam memoratæ, & sententia communis Patrum cogit (nisi velimus esse impudentes) intelligere *omnes*. Obscuro enim, quanam, & quot, & quales oues intelligendæ ibi sunt, si non oportet omnes intelligi? Certè Christus non distinxit inter has & illas, sed absolute: *Pasce*, inquit, *oues meas*. Vnde sic sanè (præter ea, quæ prius à nobis allata sunt) licet ratiocinari: Dubium nullum est, quin Christus, ita diligenter commẽdans Petro oues suas, voluerit ab eo satis intelligi, de quibus ouibus loqueretur. At nisi de omnibus, quæcunque essent suæ, sit loquutus; non satis potuit Petrus, de quibusnam diceret, intelligere. Confitendum est igitur, illum de ouibus suis omnibus in eo loco loquutum esse. Non enim de iis, aut illis determinatè, locutus est; nec verò de nullis; nec, si indeterminatè & confusè de aliquibus locutus esset, satis illæ à Petro potuissent distinctè cognosci. Quod rectè etiam ante nos doctissimus Caietanus in eruditissimo illo suo tractatu de Romani Pontificis institutione concludit.

Cap. 10.

Iam verò Petrus Episcopus item alios, vt gregem pascerent, admonuit; non quia par illis esset commissa cura totius Christi gregis in vniuerso orbe pascendi: sed quia

quia illi etiam certè, sub Petro, pascere oues Christi debuerunt, & hodie debent: vnusquisq; in assignato sibi loco. Itaq; nec dicit Petrus absolute: Pascite gregem; sicut ipsi à Christo generatim atq; absolute dictum est; *Pasce oues meas.* Sed: *Pascite,* inquit, *qui in vobis est gregem;* id est, vnusquisque illum, quem fidei atque curæ suæ habet commendatum. Vt si Rex ad consules diceret: Regite prudenter commissas vobis ciuitates: nunquid propterea significaret, auctoritate regendi consules esse sibi ipsi pares?

ATq; hæc quidè testimonia, quæ pro Petri primatu hactenus ex Euangelio pposuimus, potissima sunt: quibus etiã S. Patres ad eam rē maximè sunt vsi. Sed illis tamen ita positis atq; confirmatis, non minimi ponderis ad eam assertionem stabiliendã alia quædam Euangelij testimonia videri debent, quæ solent huc etiam auctores Catholici non immeritò referre. Huius generis est, quod Christus Dominus soli Petro nominatim iussit, vt pro se & pro illo iis, qui tributum exigebant *solueret staterem*, id est, duo didrachma, vt exponit eo loco D. Hieronymus. Qua re primatum Petri significari Christum voluisse Patres nõ absurdè intellexerunt. Genus enim illud tributum, quidam erat census capitis, id est, vel patrisfamilias, vel certè primogeniti ac præcipui in familia post ipsum, vt D. Chrysostomus interpretatur. Qui & propterea ita inquit: *Cum primogenitus esset Christus; Petrus quoq; discipulorum primus esse videretur, ipsum ad eunt, &c.* Ac post aliqua: *Hunc locum,* inquit, *Marcus, qui discipulus Petri fuit, ideò non scripsisse videtur; quoniam ingens hinc honor magistro deferebatur.* Item paulò post: *In illa hora,* inquit, *Petrum omnibus discipulis prætulit.* Item Augustinus: *Saluator, cum pro se & Petro dari iubet, pro omnibus ex-*

i 2 luisse

1 Petri 5.

Alia quadam
Euangelij testi-
monia, ex qui-
bus iidem D.
Petri primatus
confirmatur
IV.

Matth. 17.

Homil. 39. in
Matth. initio.

Quæst. 75. ex
nouo Testa-
mento.

luisse videtur. Quia sicut in Salvatore erant omnes causse magisterij, ita & post Salvatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, ut pastor esset gregis Dominici. Hinc factum est, ut occasione huius honoris Petri, in illa ipsa hora, sicut Euangelista narrat, discipuli adierint Iesum, dicentes: quis putas maior est in regno cælorum? Quia viderant, inquit Hieronymus, pro Petro & Domino idem tributum redditum, arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse Prælatum. Item Chrysostomus: Veriti, inquit, turbationem profiteri suam, non aperte quare Petrum ipsis præponeret, sed confuse. Quis ergo maior est, interrogarunt? Et rursus: Cum ad unum, inquit, delatus honor est; tunc nimirum doluerunt. Quamquam non ex hac re solum, sed ex aliis multis inflammati fuerunt. Tum, quia dixit illi: Dabo tibi claves regni cælorum. Tum quia: Beatus es tu Simon, &c. Tum etiam hic; Da illis pro me & pro te. Eodem ferè modo loquitur in illum locum Origenes.

Huc addunt etiam Doctores Catholici, quòd Matthæus, cum Apostolorum nomina recensere constitueret: Nomina, inquit, Apostolorum hæc sunt. PRIMVS Simon, &c. Vbi apparet, illum ad ordinem dignitatis respexisse, non ad ordinem temporis, quo essent Apostoli à Christo vocati. Ita enim Andream primùm dicere debuisset: nempe quem primò vocatum esse constat. Quare Ambrosius: Prior, inquit, secutus est Andreas Salvatorem, quam Petrus: & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus. Et animaduertatur contra Sectariorum cauillationes, Doctores Catholicos non inde argumentari, quòd Matthæus primò nominauerit Petrum, sed quòd disertè dixerit: PRIMVS Simon, &c.

Nec obscure idem Petri primatus significatur etiam illius generis locis, quibus perhibetur ipse nomine omnium Apostolorum vel interrogasse Christum, vel eidem re-

spon-

In commen-
tariis eius lo-
ci.
Homil. 59. in
Marth.

Ibidem.

Tractat. 5. in
Marth.

Matth. 10.

In 2. Corint.
cap. 12.

spondisse, vel ab eo, de necessaria doctrina pro omnibus, peculiariter fuisse instructus. *Per unū* (inquit D. Cyrillus) *qui præerat, omnes respōdent. Sanctam profectō disciplinā optimè conseruantes, & posterioribus prudentia atq; modestia relinquentes exempla. Decet enim nō omnes cōfusede prosilire, sed cedere eis, qui & cōsilio & ordine præpositi sunt.* Hæc Cyrillus in eum locū vbi Christo interroganti: *Nunquid & vos vultis abire?* Petrus respondit: *Domine, quo ibimus? Verba vitæ aeternæ habes.* Accedit quòd vbi mentio in historia sacra collegij Apostolici faciendā fuit, passim videas solum Petrum, ceteris non nominatim expressis, planè tanquam ipsorum caput nominari, *Prosecutus est eum* (inquit ^a Marcus) *Petrus, & qui cum eo erant.* Item Lucas: ^b *Dixit Petrus, & qui cum illo erant.* Et rursus: ^c *Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, &c.* Nōne modus ipse narrationis indicat, ex omnibus Petrum fuisse præcipuum, cui reliqui tanquam præposito suo adhererent? Hoc ipsum & ea re significatum est, quòd ad illum primò Christus ^d lauaturus omnium pedes accedit; quòd illi nominatim suam resurrectionem nunciari ^e voluit, &c. Atque inter cetera eiusdem generis indicia, quæ ex Euangelio pro primatu Petri, diligenter etiam à Ioanne Turrecremata collecta sunt: illud mihi videtur à Diuo ^f Bernardo pulchrè notatum esse, quod apud ^g Ioannem legimus, Petrum se mari commisisse, vt ad Christum in littore consistentem perueniret, ceteris discipulis nauigio venientibus. *Quid istud est,* ait Bernardus: *Nempe signum singularis pontificij in Petro, per quem non vnā Ecclesiam, vt ceteri quig; suam, sed seculum ipsum gubernandum suscepit. Mare enim seculum est, naues Ecclesie. Hinc est, inquit, quod ^h altera vice, instar Domini gradiens super aquas, vnicum se Christi vicarium designauit,*

Lib. 4. in Ioan. cap. 23.
Ioan. 6.
^a Marci 1.
^b Lucæ 8.
^c Actor. 2.
^d Ioan. 13.
^e Marci 16.
Lib. 2. de sum. Eccl. c. 5. & 15.
^f Lib. 2. de cōfid. ad Eugen. post medium. § Ioan. 21.
^g Matth 14.
i 3
qui

7 Apoc. 17.

qui non uni populo, sed cunctis præesse deberet. Siquidem¹ aqua multa. populi sunt multi.

V. probatur D. Petri primatus ex rebus ab eo gestis.

Actor. 2.

Serm. 47. de fide Petri.

4 Actor. 3. Serm. 68.

1 Actor. 1.

m Homil. 3. in Acta.

n Actor. 5.

o Ambr. serm. 66. Hieron. in Catalog. scriptorū Ecclesiast. ubi agit de D. Petro. Maximus hom. 5. de Natali Petri & Pauli. Egesippus lib. 3. c. 2. de excidio Hierosol. & alij plures apud D. Aug. ep. 86.

p Actor. 15.

q In epistola quadam ad Aug. qua est xi. inter epist. August.

r Actor. 10.

s Homil. 21. in Acta.

t Actor. 10.

u Actor. 10.

v Actor. 10.

w Actor. 10.

x Actor. 10.

y Actor. 10.

z Actor. 10.

PRæterea colligunt Orthodoxi primatum Petri ex rebus ab eo gestis, quæ in actis præsertim Apostolicis commemorantur. Ille enim post Christi resurrectionem publicè ad multitudinē ex omni natione cōgregatam primus concionem habuit, adeoque in nationibus (inquit Ambrosius) fidei fundamenta posuit. Ille omnium primus in curatione claudi mirabiliter fidem confirmat. Si enim Petrus petra est (inquit Ambrosius) super quam edificatur Ecclesia; rectè primus pedes sanat, ut sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Ille¹ exurgens in medio fratrum, statuit aliquem in locum iudæ fuisse eligendum. Qua de re^m Chrysostomus: Vide, inquit, feruorem. Quàm agnoscit sibi creditum à Christo gregem? Quàm in hoc choro princeps est, & ubique primus omnium incipit loqui? Ad hunc enim inquit Christus: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ille præ cæteris inⁿ Anania & Saphira condemnandis auctoritate vsus est. Ille Simonem Magum, hæreticorum primum, ex Ecclesia eiecit, deinde Romæ palam reuicit, ut plerique veteres testes sunt. Ille mota controuersia de obseruatione^p legalium, primus in Apostolico Concilio loquitur, remque definit tanquam princeps decreti, ut affirmat^q Hieronymus. Vos enim scitis, inquit in eodem Concilio Petrus, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis per os meum (nempe singulari cum auctoritate) elegit audire gentes verbum Euangelij & credere. Vnde & ipsi omnium primo^r visione cœlesti monstratum est, gentes etiam in Ecclesiam Christi debere recipi. In summa ubique, inquit^s Chrysostomus, Petrus primus inuenitur. Quando eligendus

Apostolus.

Apostolus, hic primus: Quando loquendum Iudæis, non esse Apostolos ebrios; quando curandus claudus; quando concionandum; quando agendum contra principes; quando contra Ananiam, quando ab umbra sanationes fiebant, hic erat. Et ubi quidem erat periculum, hic, & ubi moderatio. Vbi autem tranquillitate res erant plenæ, communiter omnes. Sic non exigit honorem maiorem. Atque ut hic Chrysostomus Petrum à facilitate & submissione commendat, quòd ubi opus auctoritate non fuit, cæteris Apostolis minimè se antetulit: ita vicissim Apostolis reliquis laudi dat, quòd sine controuersia Petrum, post Christi resurrectionem superiorem suum, in omnibus illis actis, de quibus iam dictum est, agnouerunt: Considera, inquit, quo pacto concedunt ei solium (cùm de successore Iudæ eligendo ageret) nec amplius ambigunt disceptantes inter sese, quis futurus esset eorum maior. Et clarissimè in alio loco: Nondum, inquit, gratia Spiritus sancti corroborati, facile mouebantur, gratia verò accepta non tales nempe fuerunt sed ubique primatum Petro præbent & in concionibus eum anteponunt, quamuis cæteris rudior videretur. Tractat hoc argumentum à Petri rebus gestis eruditè inter cæteros Rossensis, articulo 25. aduersus Lutherum.

VERVM hîc Lutherus & Calvinus & Sectarij reliqui clarissimæ luci tenebras offundere nituntur, cõtenduntque impudenter, Petrum nequaquã exercuisse aliquando eiusmodi in Ecclesia primatum. 1. Non enim constat (inquiunt) eum in reliquos Apostolos auctoritate esse usum. 2. Quin imò ipse cum Ioanne^a missus est ab illis in Samariam. 3. Deinde cùm electio^b Matthiæ & septem^c Diaconorum facienda fuit, non à Petro est facta, sed ab omnibus æquè Apostolis iactæ sunt sortes. 4. Nec solus etiam controuersiam de religione definiuit, sed in concilio res decernitur. Vbi & Iacobus quidem cum auctoritate

Homil. 3. in Acta.

Homil. 51. in Matth.

Sectariorum obiectiones contra probationem primatus D. Petri ductam ex rebus ab eo gestis.

^a Actor. 8.

^b Actor. 1.

^c Actor. 6.

d Actor. 15.
e Gal. 2.

Auctoritate dicit: *d* Ego iudico, &c. 5. Sed & D. Paulus disertè ait: *Mihi autem qui videbantur esse aliquid* (loquitur de Petro, Iacobo & Ioanne) *nihil contulerunt. Sed contra, cum cognouissent quòd creditum est mihi Euangelium præputij, sicut Petro circumcissionis (qui enim operatus est Petro in Apostolatuum circumcissionis, operatus est & mihi inter gentes) & cum cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur columna esse, dexteræ dederunt mihi & Barnabæ societatis: ut nos in gentes, ipsi autem in circumcissionem.* 6. Accedit quod Paulus etiam *in faciem* Petrum reprehendit.

Responsio ad ea argumenta quibus conatur Sectarij ex rebus à Petro gestis probare non fuisse illi superiorē Apostolis reliquis.
Ad primum.

Hæc ita ordine expediuntur. 1. Aliud est; Petrum non habuisse auctoritatem in reliquos Apostolos: Aliud; propter eam modestiam atque submissionem, quæ ipsi à Christo Luca 22. commendata fuit, eiusmodi auctoritate in illos non fuisse usum. Illud primum omnino falsum est; Hoc vltimum absque incommodo dari potest. Atque id tantum ea ferè probare possunt, quæ sunt obiecta. Nam cum reliqui Apostoli ipsi per se quàm decentissimè omnia facerent, quid opus habuerunt Petri imperio? Reuerentissimè enim Diuus Gregorius: *Si qua* (inquit) *culpa in Episcopis reperitur; nescio quis Episcopus sedis Apostolicæ subiectus non sit. Cum verò culpa non exigit; omnes secundum rationem humilitatis aequales sunt.* Huius igitur moderationis seruandæ exemplum suis Petrus successoribus præbuit.

Lib. 7. Registri
epist. 64.

Ad secundum.

2. Quod verò ab alijs Apostolis, ut Samaritanis manus imponeret, cum Ioanne missus fuerit; id verò nihil obstat. Sæpe enim, qui præcipui sunt de collegio, mittuntur. Nam & filij Israel miserunt ad filios Ruben Phinees, filium Eleazari sacerdotis, & decem^t principes cum eo. Fuit autem Phinees^s *Dux eorum coram Domino*, ut historia sacra testatur. Ac sanè si mittendi vocabulum nimis hoc loco

f Iosua 22.

g 1. Paral. 5.

loco premere velint Sectarij; non modò Petrum superiorem cæteris non fuisse, concludere debebunt, sed ne parem quidem: quod illi tamen non contendunt. Etenim vulgò & communiter, vt inferior non mittit superiorem, ita neque æqualis æqualem. Peculiari autem modo missionis, videlicet rogatu potius & conuentione quàm imperio; constat & pares & superiores etiam quandoque solere mitti, præsertim à toto aliquo collegio, sicut tunc Petrus & Ioannes missi fuerunt.

Sectarij inferiores etiam D. Petrum reliquos Apostolica facere & esse videntur.

3. Quod autem ad electionem Matthiæ & Diaconorum attinet, respondet pro nobis luculenter D. Chrysostomus: *Quid?* inquit. *An non licebat ipsi Petro eligere? Licebat ei quidem maximè. Verùm id non facit, ne cui videretur gratificari.* Non igitur, quia non potuit, sed quia expedire non putauit, ipse non elegit. Et tamen in eo ipso genere satis ea re primatum suum ostendit, quod de electione facienda reliquos ipse cum auctoritate admonuit: vt Chrysostomum etiam annotauisse supra intelleximus. *Oportet enim, inquit, ex his viris, qui nobiscum sunt vnum eligere, &c.*

Ad tertium.

Homil. 3. in Acta.

Acto 1.

4. Idem de congregato concilio Apostolico, ob controuersiam de obseruatione Legalium, sentiendum est. *Quid enim auctoritati suæ Petrus derogauit, quòd ex aliorum etiam consensu rem decerni voluerit? Nec verò in ea ipsa re auctoritas Petri non eminuit. Ipse enim primus sententiam pronunciauit, quo etiam loquente, tacuit omnis multitudo, cæteri que deinde illius sententiam sunt sequuti. Nam quod Iacobus dixit: Ego iudico; quid obstat? Nempe iudicauit idem quod caput cæterorum Petrus. Et expediebat, vt de Iacobi sententia iudicioque constaret; quia Hierosolymis quæstio mota fuit, ubi ille*

Ad quartum.

k

(inquit

In Homil. 33. in Acta. (inquit Chrysostomus) *Episcopus erat, & ut in ore duorum vel trium testium staret omne verbum.*

Ad quintam.

5. Iam verò Diuus Paulus significat quidem Apostolatus dignitate parem se Petro & reliquis Apostolis fuisse. Quod minimè sanè impedit, quo minus, ut ipse etiam ouis Christi erat, Petro inferior fuerit: quemadmodum hoc idem communiter de cæteris Apostolis ex Patrum sententia superius à nobis expositum atq; defensum est. Itaque Diuus Gregorius Paulum cum Petro comparans, *minorem fratrem eum appellat*: Itemque Diuus Augustinus, *posteriorem Petro*. Quin & Paulus ipse hunc primatus honorem Diuo Petro non obscure detulit. Quorsum enim *post annos tres prædicationis sue* (ut in eadem epistola ad Galatas legimus) *venit Hierosolymam videre Petrum?*

Homil. 18. in Ezech. Lib. 2. de bapt. cont. Donat. cap. 1.

Ad Galat. 1.

Homil. 87. in Ioan.

Nempe, inquit^a Chrysostomus, *quia os Apostolorum Petrus erat, princeps & vertex ipsius cætus: propterea Paulus ascendit eum videre præ aliis*. Et^b Ambrosius; vel quisquis fuit ille vetus auctor: *Dignum, inquit, erat ut vellet videre Petrum, cui delegauerat Dominus curam Ecclesiarum*. Et Diuus^c Hieronymus: *Iuit, inquit, non discendi studio, sed honoris priori Apostolo deferendi*. Item^d Tertullianus: *Ascendit, inquit, Hierosolymam Petri cognoscendi causa ex officio & iure scilicet eiusdem fidei & prædicationis*. Et^e Theodoretus: *Principi, inquit, Apostolorum quem par erat, honorem tribuit*.

In cap. 1. ad Gal.

In Cõment. illius loci.

In lib. præscript. circa medium.

In illum locum, ad Gal. 1.

Iam quòd nihil sibi à Petro & ab aliis collatum esse dicit: significat quidem, nihil se ab illis didicisse quod pertineret ad fidem: ut qui erat ab ipso Christo satis in cogitare eruditus, quemadmodum ipse in initio etiam eiusdem epistolæ declarat. Quanquam approbationem quidem Euangelij sui à Petro, ut à principe, & ab aliis, qui *videbantur* (ut inquit) *aliquid esse*, hoc est, ab Ecclesiæ auctoritate, cui Petrus præsidebat; petiit. Adeò ut neget aperte D.

Augusti.

Augustinus, fideles fuisse ei Euangelio, quod Paulus prædicauit, credituros, nisi cum illis Apostolis illud contulisset. Quod idem affirmant Diuus^s Hieronymus & ^h Tertullianus. Atque id clarissimè significant illa eiusdem Apostoli verba: ¹ *Contuli, inquit, cum illis Euangelium quod prædico in gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currem, aut cucurrissem.* Iam verò quod dexteram societatis ei dederunt aliud nihil quàm æqualitatem in Apostolatu significat: quæ non pugnat cum Diui Petri principatu, quatenus illius curæ singulariter ipsa fidei fundamenta, vt inquit Nazianzenus, *commis-
sa sunt*, hoc est, ipsi etiam Apostoli; vt auctoritate Scripturæ & Patrum suprâ confirmatum est.

Nec quod ait illic Paulus: *sibi in Gentibus, Petro autem in circumcisione Euangelium commendatum fuisse*, ita intelligi debet, quasi nec Petro licuerit Gentibus, nec Paulo Iudæis prædicare Euangelium. Contrarium enim constat ex Actis, capite duodecimo. Vbi legimus, viso linteo cœlitus monstrato; in quo essent omnia reptilia & quadrupedia terræ, Petrum cognouisse ad se pertinere vt Gentes etiam ad Ecclesiam aggregaret. Quare & postea quæque disertis verbis pronunciat, *Deum elegisse se, vt ad eius prædicationem gentes crederent Euangelio.* Ac de D. Paulo vicissim scriptum est; quod *ingressus in Synagogas prædicabat Iesum, affirmans quoniam hic est Christus, & confundebat Iudæos.* Est igitur illa distributio præputij & circumcisionis inter Petrum & Paulum facta per accommodationem tantùm quandam: vt illo videlicet tempore (quoniam ita expedire videretur) Paulus Gentibus, Petrus Iudæis singulari cura nunciaret Euangelium, quemadmodum rectè Ioannes à Turrecremata exponit. Neque verò qualiscunquè hæc distributio præputij & circumcisionis quid-

k 2 quam

f Lib. 28. contra Faustum, cap. 4.

g Hieron. ep. ad Aug. num. 11. inter Aug. epist.

h Lib. 4. cont. Marcion. paulo post initiu. Galat. 2.

De moderat. in disput. habenda.

Quomodo intelligendum quod Paulo in Gentibus Petro, autem in circumcisione commissum fuerit Euangelium.

Act. 15.

Act. 9.

Lib. 2. de Eccl. cap. 13.

quam obstitit, quo minus & in preputio & in circūcisio-
ne, hoc est, in Iudæis & gentibus singulari Petrus aucto-
ritate eminuerit, vt supra probatum est.

Ad Sextum.

Hieron. epist.
ad Aug. II. in-
ter Augustini
epist. August.
ep. 19. ad Hieron.

Vide 2. q. 7.
cau. Si quis, &
can. Lator.

*Probatum VI.
D. Petri pri-
matus peculia-
ri quadam eaq;
firmissima ar-
gumentandi
forma expraci-
puit qui ea de
re exstāt Euā-
gelij locū.*

Ioan. 20.
Marcii 16.

NOTA.

6. Denique quod Paulus Petrum reprehendit (si maxi-
mè illud ab eo non simulatè, vt Hieronymus contendit,
sed ex animo, vt vult Augustinus, sit factum) argumento
esse non debet, vel parem, vel superiorem auctoritate
ipsum Petro fuisse. Quando enim ita res (præsertim pu-
blica) postulat, licet etiam inferioribus superiorum pec-
cata debito cum modo redarguere, vt à D. Gregorio lu-
culenter est explicatum.

ET hæc tenus sanè illustria testimonia pro
Petri primatu à nobis allata, & confirmata, & ab Ad-
uersariis cauillationibus defensa sunt. Sed vt clarius
adhuc ipsorum pertinacia, quòd tanta mole testimonio-
rum non moueantur, ante omnium oculos constitua-
tur; Probemus rursus eam assertionem iisdem ex testi-
moniis hoc modò: Si posteaquam Christus & Petro & re-
liquis omnibus Apostolis auctoritatem Apostolici mu-
neris communiter attribuit, inquit; *Ite, ego mitto vos:
quorum remisistis peccata, &c. Et: Prædicate Euangelium, &c.*
nihilominus singulariter Petro cum ita dixisse legerem-
us: *Petre, non ædificabo super te Ecclesiam meam: Non tibi
dabo clauis regni cælorum: Non quodcunque tu solueris aut liga-
ueris super terram, erit solutum aut ligatum in cælis: Non con-
firmes tu in fide fratres tuos: Non pascas tu oues meas.* Item:
Petrus non est primus Apostolorum, &c. Si, inquam, hæc in
Euangelij historia sic legeremus: obsecro, quis ex Secta-
riis dubitaret, quin in eiusmodi enunciationibus negati-
uis, *ædificatio Ecclesia super Petrum; clauis regni cælorum; cura
singularis pascendi oues; auctoritas fratres in fide confir-*
mandis

mandi; primatus, & similia vocabula potestatem in Ecclesia post Christum summam significarent? An clariora (dicerent) testimonia contra Petri primatum requirimus? En, verbum habemus ipsius Christi manifestum. *Non edificabo, ô Petre, super te Ecclesiam meam. Non tibi claves regni cœlorum dabo. Non pascas tu oves meas. Non confirmes tu in fide tuos fratres, &c.* Quid vos Papistæ? An non videtis hîc à Christo disertis verbis negari primatum? Quid enim aliud claves regni cœlorum? Quid Ecclesiæ fundamentum? Quid cura singularis oves pascendi & confirmandi fratres, nisi primatum in Ecclesia significat? Et tamen hæc omnia (dicerent) Christus negat Petro, &c. Equidem minimè dubito, quin pluribus etiam verbis, si quæ talia testimonia ex Evangelio recitari possent, nobis isti insultarēt, vt qui nec iam verentur, nullis, ne probabilibus quidem, testimoniis aut argumentis freti iactare, eius primatus assertionem & commentitiam, & cum Evangelio pugnantem esse. Nuncigitur ita concludo. Quod in enunciationibus illis negatiuis: *Non super te, ô Petre, edificabo Ecclesiam meam. Non tibi dabo claves regni cœlorum. Non es tu primus Apostolorum, &c.* vocabula illa: *Fundamentum adificationis Ecclesiæ; claves regni cœlorum; munus pascendi & confirmandi; primatus, &c.* significarent; hoc idem significant in contradicentibus enunciationibus affirmatiuis, quæ iam exstant in historia Euangelij: Nempe in his: ^a *Super te edificabo Ecclesiam meam: Tibi dabo claves regni cœlorum.* ^b *Confirma fratres tuos:* ^c *Pasce oves meas:* ^d *Primus Apostolorum Petrus, &c.* (Eadem enim ipsa vocabula in his affirmatiuis enunciationibus vsurpantur) Sed in illis enunciationibus negatiuis ea vocabula significarent primariam aliquam ac summam in Ecclesia auctoritatem post Christum, quæ Petro negaretur (vt iam ex

*Petri primatū
eiusmodi Ver-
bis Euangelij si-
gnificari & af-
ferri, quibus nō
dubitassent Se-
ctarij eundem
ipsum signifi-
cari, si per eadē
Verba ille ne-
garetur.*

- ^a Matth. 16.
- ^b Luc. 22.
- ^c Ioan. 21.
- ^d Matth. 10.

ipsa etiam mente & sensu tacito Aduersariorum ostensum est) Igitur hanc eandem primariam auctoritatem, quæ Petro sit tributa, significant illa vocabula in iis enunciationibus affirmatiuis, quas in Euangelio iam legimus: & vi consequentis efficitur, optimè primatum Petri testimoniis illis ex Euangelio productis confirmari.

*Confirmatur
magis præcedē-
tis argumenti
forma.*

Hic nisi vel conscientia reclamante, vel præcipitante incitia & incogitantia, nihil ab Aduersariis responderi posse, certissimus sanè sum. Nam quid dicant? An non idem illa vocabula in enunciationibus affirmatiuis significare, quod significarent in negatiuis? At cum propositiones contradicentes, hoc est, affirmatiuæ & negatiuæ, ex iisdem aliouè terminis constantes, formantur: quis tam omnis artis atque etiam rationis expertus est, ut non intelligat, eosdè terminos siue vocabula eadem significatione utrobique, retinere? Quid igitur? Num cõtendent, in negatiuis illis: *Non adificabo super te, ô Petre, Ecclesiam meam, &c.* vocabulis illis fuisse Christum significaturum non propriè aliquè auctoritatis principatum, sed ipsam omnino auctoritatem Apostolici muneris, quam solam proinde etiam in affirmatiuis nunc significârît? At excludit prorsus hanc responsionem nostri argumenti hypothesis; quæ cum nihil contineat repugnans; & explanationis tantùm gratia à nobis sumatur: reiici certè nec debet nec potest. Posuimus enim, Christum, posteaquam & Petro & reliquis Apostolis communiter auctoritatem Apostolici muneris aliis verbis concessisset; nihilominus singulariter Petro dicere: *Non super te, ô Petre, adificabo Ecclesiam meam: Non tu confirmes fratres tuos, &c.* Ita principatum propriè aliquem auctoritatis Apostolicæ eiusmodi verbis Christus significâisset, Petroq; negauisset: Non autem communem Apostolatus auctoritatem, quam

quam aliàs concessisset eidem, vt ponimus. Quando-
quidem igitur iisdem illis vocabulis in affirmatiuis enun-
ciationibus contradicentibus, quæ in Euangelio exstant,
vtitur; profectò eundem à Christo auctoritatis principa-
tum inibi significari Petroq; attribui confitendum est.

SVppetit etiam Catholicis ad eandem cõ-
firmendam assertionem præter testimonia ratio, quæ
partim ex Scriptura, partim ex ipsa natura Ecclesiæ & di-
uina prouidentia erga illam duci potest hoc modo: Si
Christus voluit Ecclesiæ regimen esse monarchicum,
quod ab vno videlicet, in quo principatus auctoritatis
post Christum esset, penderet: necesse est fateri, Diuum
Petrum esse, quem huic rei præfecerit. Nam quem, obse-
cro, potius existimare possumus? cùm tantum non ex-
pressis verbis legamus in Euangelio Christum dicentem:
Volo, vt Petrus summa post me auctoritate in Ecclesia polleat, vt
exallatis suprà testimoniis apparet. Atqui Christus Ec-
clesiæ suæ regimen monarchicum esse voluit. Petrum
igitur illi præfecit. Id confirmamus. Nam constat Chri-
stum cõuenientissimo atq; optimo modo voluisse pro-
uidere, vt Ecclesia, quæ varia atq; multiplici conditione
hominum continetur, vna esset vnitate doctrinæ, carita-
tis, pacis, &c. vt suprà demonstratum est, cum de eiusmo-
di Ecclesiæ proprietate, quæ est vnitas, inter cætèra age-
remus. Nec enim fuisset alioquì Christus Dominus vti-
litatum Ecclesiæ sponsæ suæ satis prouidus: Siquidem
experientia cognitum est, perniciem ac pestem commu-
nitatum omnium esse dissidia: contra verò optimum il-
larum esse statum, cùm est omnium partium consensio
stabilis atq; firma pax. Est autem eius vnitatis in Ecclesia
cõseruandæ modus sanè optimus, si omnes ex vnus au-
ctori-

*Probatur etiã
VII. Diui Pe-
tri primatus
ratione.*

*Institutum à
Christo fuisse
Ecclesiæ regi-
men monar-
chicum.*

Parte VI.

*Consensio in
multitudine
conseruanda
ratio, qua sit
optima.*

toritate in terris post Christum suprema pendeant. Quod dupliciter probamus. Primum ab ipsa professione ratione unitatis. Nam quod potest accommodatius esse quasi principium & causa unitatis quam unitas? Etenim contra videmus, omnia dissidia & quascunque controuersias in communibus non nisi ex aliqua tandem diuersitate proficisci, opinionum vel voluntatum. Deinde id ipsum intelligi debet ex iis omnibus rebus, quas videmus, ab auctore ipso mundi Deo quam optime factas atque constitutas esse. Quaecunque est enim in omni genere multitudo sic est ab eo condita institutaque, ut quoad eius fieri potest, ex unitate pendeat ab eaque contineatur. Satis ut appareat bene esse multitudini eo modo prouisum. Hoc in corpore animaduertere humano licet; cuius omnes partes ab una quadam praecipua, nempe a capite vel corde; in quo sit vitae quasi principatus, vim suam percipiunt. Hoc in arboribus, quarum omnes ramusculi per ramos, & omnes rami per truncum ad unam radicem pertinent, ex qua succum attrahunt. Idem in bestiis etiam minimis, quae quidem congregari soleant, cernere possumus. Ut in gruibus, ut in apibus, quae ducem unum & tanquam regem suum sequuntur. Denique ne singula persequar, id in ipsa cernitur vniuersitate rerum, quae quidem res, quoniam (ut ait in duodecimo libro prima Philosophiae Aristoteles) nolunt male disponi, sed bene, hoc est, quia rectissima quadam inclinatione omnes in optimum sui statum propendent, non plura principia, sed vnicum habent a quo velut a principe uno reguntur, ut concludit etiam in illo loco Philosophus,

Deuter. 17.

Ac sane Respublicas quam optime constitui monarchico ordine, idem Philosophus libro octauo Ethicorum & tertio Politicorum euincit. Itaque & in veteri lege vnus.

vnus sacerdos summus præficietur, cuius auctoritate finirentur omnes controuersæ: quandiu Synagoga quidem finem nondum fuit habitura, sicut habuit temporibus Christi. Quin & Sectarius quidam, non infimi inter Lutheranos nominis, palam aliquando affirmauisse^a fertur, nisi vnus aliquis, tanquam Archisectarius, reliquis omnibus Sectariis in causa religionis præsit, Synagogam ipsorum nequiquam posse consistere. Nempe quia & isti experiuntur, nullam aliquam disciplinam religionis facile conseruari posse, nisi contineatur vnus auctoritate. Ac multa præterea, quæ illustrant confirmantq; hoc argumentum, tractata sunt inter cæteros à D. Thoma libro 4. contra Gentes, cap. 76. & à Turrecremata lib. 2. de Ecclesia, cap. 2. & 4. & plura non ita pridem à Nicolao Sanderò in accurato illo suo opere de visibili Ecclesiæ monarchia in quinque libris prioribus. Nos breuiter tantum volumus ostendere nequaquam defuisse rationem, quam obrem Christus regimen Ecclesiæ voluerit esse monarchicum, cui Petrum præfecerit, vt in primis constat ex propositis antea Euangelij testimoniis: si maximè nulla nobis eius institutionis ratio perspecta esset.

VERVM HOC etiam loco nobis obstreperit Calvinus. Arbitratur enim ille nequaquam expedire, vt vnus Ecclesiæ toti præficiatur: vt nec expedit, inquit, vnum orbis toto in temporalibus dominari. Quin & exempla nostra aduersus nos retorquet. Nam quod ad apes attinet, singuli, inquit, Reges suis alucaribus contenti sunt. Cur non igitur sit contentus Romanus Pontifex Romana sua diocesi? Præterea, vt maximè oporteat Ecclesiæ totius esse vnum caput, illud certè est Christus, non alius.

Respondeo. Primùm assertio nostra non illa ratione præcipuè nititur, sed Christi instituto, quod constat ex

I Euan-

^a Id de Schmidelinopublicè nuper testati sunt Heidelbergenses in epistola consolatoria ad eundem.

Lib. 4. institur. cap. 7.

Confutatio obiectronum Calvinii contra regimen Ecclesiæ monarchicum.

Euangelij perspicuis testimoniis. Deinde & illam quoque rationem congruentem esse defendimus. Nec enim, si non expediret, vnum præesse vniuerso mundo in temporalibus, illico sequeretur, neque in spiritualibus vnum præponi omnibus debere. Gubernatio enim temporalis plus multò habet negotij, ac proinde non æquè commodè potest per vnum administrari. Præterea longè difficilius est, pœna temporali quàm spirituali eos coercere, qui longissimè distant. Animaduersionis enim spiritualis, vt excommunicatio, &c. nullo locorum interuallo, quo minus efficax esse possit, impeditur. Denique reliqua omnia, quæ ad gubernationem spirituales pertinent, facile ab vno Pontifice administrantur, modò Episcopis & aliis ministris inferioribus tantam pro ratione locorum & rerum & aliarum circumstantiarum impertiat auctoritatem, quanta satis sit ad commodam omnium expeditionem. Neque enim qui vniuersæ Ecclesiæ Præfectus est, debet omnia per se ipse conficere.

*A suis ipse re-
uincitur cauilla-
tionibus Cal-
uinus.*

Quod autem Calvinus deinde nobis obiicit, singulos quosque apium reges contentos esse suis aluearibus: id sanè rationem nostram confirmat. Cogitare namque Calvinus debuit, non modò vnamquamque Ecclesiam aut dioccesim particularem, sed Ecclesiam etiam vniuersam tanquam vnum esse alueare. Itaque vt quælibet aluearia suum habent regem; sic tota Ecclesia, quæ vna item est vnitatem totius, vnum etiam, quasi regem, id est, vniuersalem pastorem habeat oportet: non minus quàm vt quælibet Ecclesia particularis habeat etiam particularem Præpositum suum. Caluini verò cauillatio procederet, si particulares duntaxat Ecclesias voluisset Christus vnitatem retinere, & non etiam statuisset, vt vniuersa quoque Ecclesia, quæ ex particularibus, tanquam ex partibus, constat,

constat, vnica esset. Nunc verò, quia Ecclesia etiam tota, instituto atq; voluntate Christi, est vnica, necesse Caluinus habet, huic quoq; magno alucri suum quasi regem concedere.

Quamuis autem Christus sit nunc etiam omnis Ecclesie caput: tamen vt fidelium congregatio visibilis est, sic oportet, vt, quò suauiter gubernetur, caput etiam in terris visibile, id est, vnum Pastorem habeat: licet is ipse quidē ab illo pastore primario (Christo) pendeat, vt supra fatis ex sententia Patrum explicatum est. Nec ideo, vt Aduersarij nugantur, Ecclesiam monstrosam corpus facimus: Sed ratio metaphoræ animaduerti debet. Christus regit Ecclesiam primò & principaliter. Vicarius eius etiam id facit in terris summa secundum ipsum auctoritate. *Omnes enim hic propriè regit* (inquit Diuus Leo) *quos principaliter regit & Christus.* Hoc solum, quod ad rem ipsam attinet, significare volumus, cum & Christum & eius Vicarium caput Ecclesie appellamus. Quemadmodum etiam & Petrus *petra* fundamentalis Ecclesie est à Christo appellatus, cum ipse Christus maximè sit *petra* & fundamētum. Communicat enim Christus aliis sua nomina & potestatem, & habens dat, vt supra ex sanctis Patribus audiuius.

QUæ cum ita sint, meritò sanctissimi Ecclesie Patres (quorum sententias magna ex parte hætenus recitauimus) Euāgelij testimoniis supra citatis, adducti sunt, vt Petro primatū in Ecclesia fuisse à Christo tributum assererent. ^a Ambrosius affirmat, D. Petrum à Christo omnibus prælatum fuisse, & tanquā vicarium in terris relictum. ^b Hieronymus, fuisse caput omnium Apostolorum. ^c Augustinus, Primatum in discipulis habuisse. ^d Gregorius:

1 2 Cunctis

Ecclesiam non ideo esse quasi monstrosam corpus, quia aliud etiam in terris habeat visibile caput, præter Christum.

Serm. 3. de die vniuers. assumptionis suæ.

VII. Probatur Dini Petri primatus testimonio Patrum.

^a Lib. 10. in Luc. c. 24.

^b Lib. 1. cōtra Iouin.

^c In Psalmum 108.

^d Lib. 4. Regiſtri, epist. 32.

Cunctis Euangelium legentibus liquere, voce Dominica Petro Apostolorum principi totius Ecclesie curam commissam esse. Idem quod ij quatuor Ecclesie Doctores, asseuerant, æquè luculētis verbis cæteri Patres Latini. ^e Hilarius, ^f Cyprianus, ^g Optatus, ^h Prosper, ⁱ Maximus, ^k Arnobius, ^l Beda, ^m Bernardus, &c. Nec minus clarè Doctores Ecclesie Græcæ vetustiores, à quibus recentes Schismatici degenerârunt. ⁿ Dionysius vocat *summum & verticalem.* ^o Basiliius ait: *Omnibus discipulis fuisse prælaturam.* ^p Gregorius Nazianzenus: *Vnum ex omnibus discipulis fuisse electum & eius curæ fundamenta ipsa fidei, hoc est, reliquos Apostolos, fuisse commissâ.* ^q Chrysostomus: *Pastorem & caput fuisse & uniuerso terrarum orbi à Christo præpositum.* ^r Cyrillus Alexandrinus: *Principem caputq; cæterorum.* ^s Cyrillus Hierosolymitanus: *Principem discipulorum, & regni cælorum clauigerum.* ^t Epiphanius: *Ducem discipulorum.* ^x Eusebius: *Christianorum Pontificem primum.* Idem ^y Origenes, ^z Theophylactus, Euthymius, Oecumenius, vt reliquam vtriusq; Ecclesie Doctorum turbam iam omittam, quam dinumerare nemo potest, inquit appositè Caietanus in tractatu de institutione Romani Pontificis, cap. vltimo.

^e Can. 16. in Matth.
^f Lib. de vnit. Eccle.
^g Lib. 2. cõtra Parmen.
^h Lib. senten. sen. 359. & li. 2. de voca. gent. cap. 9.
ⁱ Sermo. 3. in Natali Petri & Pauli.
^k In Psalmum 138.
^l In caput 1. Ioann.
^m Lib. 2. de consider. ad Eugen.
ⁿ Cap. 3. Ecclesiast. Hier.
^o In præfat. de Dei iudicio circa finem, Tomo 3.
^p In oratione de moderatione in disputat. habenda. ^q Homil. 55. in Matth. ^r Lib. 12. in Ioannem, cap. 64. ^s Catech. 2. 17. 21. ^t Hæresi 51. ^x Lib. 2. histor. cap. 14. ^y Super caput. Ioann. 2. In caput 27. Lucæ. Euthym. & Oecumenius in cap. 21. Ioannis.

Testimonium veterum Pontificum Romanorum pro D. ni Petri primatum, non esse. Se Sectarij caulantur, rescindunt.

Neque tamen antiqui Pontifices sanctissimi, iidemq; maiore ex parte insignes Christi Martyres, qui & ipsi Petri primatum ex Euangelio confirmauerunt, quasi testimonium in propria causa perperam dicerent (vti calumniantur impudentissimè Sectarij) parui pendii in hac quæstione debent. Nam præterquam quòd eos & sanctitatis & doctrinæ singularis existimatio, & martyrij gloria, iure ac merito apud prudentes omnes ea suspicione liberat, obsecro, quò fieri potuit, vt ad vnum omnes tam multi,

multi, tamque & natione & ætate varij ad causam propriam iniquè tuendam conspirauissent? Igitur ex eo numero summorum Pontificum non tanquam priuatam causam, sed tanquam Ecclesiæ Christi communem, plerique viri & zelo religionis & studio veritatis vsque ad vitæ profusionem (magna ex parte) insignes, Diui Petri primatum asseruerunt; præsertim ^a Clemens, ^b Anacletus, ^c Euaristus, ^d Alexander, ^e Pius primus, ^f Victor, ^g Cæpherinus, ^h Marcellus, ⁱ Eusebius, ^k Melchiades, ^l Iulius primus, ^m Felix secundus, ⁿ Damascenus, ^o Innocentius primus, ^p Leo primus, ^q Gelasius, ^r Anastasius, ^s Vigilus, ^t Pelagius primus, ^v Gregorius, & reliqui omnes his posteriores. Quibus adde grauissima sanctissimaque iudicia Patrum in Oecumenicis Conciliis, ^a Nicæno primo, & ^b Chalcedonensi. Item in ^c quinta, & ^d sexta, & ^e septima, & ^f octaua Synodo, & in ^g Romana sub Symacho, & in ^h alia sub Nicolao, & in alia ⁱ Lateranensi, sub Innocentio tertio, & in Florentina, vbi Græci tandem in ea sententia cum Latinis conuenerunt. De prouincialibus autem Conciliis longum esset dicere. Quare habentes tantam nubem testium, tamque firma ad hanc rem Scripturæ sanctæ testimonia, iure ac merito hunc in modum cum Diuo ^l Leone concludimus: *Quisquis Petro, inquit, principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest inuenire dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit.*

13

PRIMA

piscop. Mauritanix & reliquos Episcopos African. ^o Epist. 1. ad Decentium. ^p Epist. ad Anast. & alias passim. ^q In decreto de scriptis Apocryph. ^r In epist. ad Anast. August. ^s In epist. ad Eutherum. ^t In epist. ad Vigil. Episc. ^v Lib. 4. Registri epist. 32. & alias sæpè. ^a Teste Iulio primo, in epist. ad Oriental. Episc. & in epist. ad Episcop. Antioch. citatq; ad eam rem, can. 18. & 19. qua de re lege præsertim Melch. Canum, l. 6. de locis Theolog. c. 4. ^b Actioe 1. & 2. & 3. ^c In sentent. Mennæ, cont. Anthimum. ^d In suggest. Synod. Agathonis approbata, act. 8. 13. & 17. ^e In epist. Synod. Adrian. l. approbata, act. 2. ^f In epist. Ignat. Patriarch. Constantinopol. ad Adrian. l. approbata in eadem Synodo. ^g Refertur 96 d. c. Bene. ^h Refertur 25 q. 2. c. Si quis. ⁱ Refertur cap. Damnamus, de sum. Trinit. l. 6. ^k Epist. 89 ad Episcop. per Viennensem prouinciam constitutos.

^a Epist. 1. ad Iacobum.

^b Epist. 2. & 3.

^c Epist. 1. ad Episc. Aftic.

^d Epist. ad ees Orthodox.

^e Pius in epist. ad omnes Eccles.

^f In epist. ad Theopil. Episcop. Alexand.

^g In epist. ad Episcopos per Siciliam constitutos.

^h Epist. 1. ad Episcopos per Antioch. prouin. constitutos.

ⁱ Epist. 3. ad Episc. Campanix & Tuscix.

^k Epist. ad Episcopos Hispanix.

^l Iulius 1. in Epist. ad Orientales pro causa Diui Athanasij.

^m In epist. ad D. Athanas. & reliquos Alexandria congregatos.

ⁿ In epist. ad Steph. Archiep.

^o Epist. ad Anast. August.

^p In epist. ad Eutherum.

^q Lib. 4. Registri epist. 32. & alias sæpè.

^r In suggest. Synod. Agathonis approbata, act. 2.

^s In epist. Ignat. Patriarch. Constantinopol. ad Adrian. l. approbata in eadem Synodo.

^t Refertur 96 d. c. Bene.

^u Refertur 25 q. 2. c. Si quis.

^v Refertur cap. Damnamus, de sum. Trinit. l. 6.

^w Epist. 89 ad Episcop. per Viennensem prouinciam constitutos.

PRIMARIAM ILLAM IN ECCLESIA AVCTORITATEM SUCCESSORIBUS ETIAM D. PETRI à CHRISTO CONFERRI.

*D. Petrum in
cura & universa
li Ecclesia, suc-
cessores fuisse
habiturum.*

HÆc vis atque sententia huius propositionis est, voluisse Christum, ut Petro vita defuncto aliquis perpetua serie successionis in locum Petri ab Ecclesia reciperetur, cui Christus ipse auctoritatem supremam sicut Petro conferret de fidei & aliis rebus ea constituendi, quæ ad salutem fidelium pertineant. Hanc autem Catholicam assertionem Ioannes VViclephus hæreticus negavit, cuius error vigesimus septimus (vnà cum aliis in Concilio Constantiensi damnatus) fuit talis: Non est, inquit, scintilla apparentiæ, quòd oporteat in spiritualibus esse vnum caput regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Ecclesia militante conuersetur & conseruetur. Quem errorem Lutherus & Calvinus & reliqui Sectarij recentiores sequuti sunt.

Sec. 8. & 15.

PROBATIO I.
ex Ecclesia toti-
us consensu.

CONtra hos omnes probatur assertio nostra; Primum ex consensu Conciliorum & Patrum suprà citatorum, atque ad eò totius Ecclesiæ Catholicæ, quæ verba illa: *Tu es Petrus*, id est, solidus in fide; & *super hanc petram*, &c. Itemque illa: *Confirma fratres tuos*. &: *Pasce oves meas*; ad Petri etiam successores pertinere intellexit. Quod vnum aduersus omnes hæreticorum corruptelas & vanas interpretationes satis esse nobis deberet. Nam quod sæpe dicendum est, ille est certissimus Scripturæ sensus, quem Ecclesia esse intelligit. Peculiariter autem ad eius rei confirmationem valent ea sanctorum Patrum testimonia, quæ etiam nominatim confirmant, Romanos ipsos Pontifices, illos Petri successores esse, ad quos item ea Christi verba, Diuo Petro dicta, pertinuerint. De quibus testimoniis postea etiam suo loco dicemus.

*Talia quoque
sunt omnia illa
veterum Pon-
tificum testimo-
nia paulò super-
ius allegata
pro primatu D.
Petri.*

DEINDE

DEINDE eadem assertio probatur tum ex ipsis Christi verbis ad D. Petrum, tum etiam ex eo fine, cuius causa Petrum vniuersæ Ecclesiæ præfecerat. Ex verbis quidem. Nam dum ait absolute: *Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam*: procul dubio de Ecclesia illa loquitur, quæ iuxta certissimas^a promissiones ad finem vsque mundi duratura est: hæc enim est omnino illa Ecclesia ipsius. Hanc autem Ecclesiam ita perpetuò duraturam ædificare supra Petrum ipsum solum non potuit. Intellexit igitur ibi Petrum & successores eius, vt optimè Diuus Thomas libro aduersus Gentes^b tertio est argumentatus. Item ex eo quod Christus dicit: *Pasce oues meas*, dupliciter eadem veritas colligitur; vt eruditè à^c Caietano in tractatu de institutione Romani Pontificis notatum est. Primum, quoniam officium ibi Pastoris ordinarium instituit: vt vel ex ipso Pastoris nomine (quod ordinarium quoddam officium significat) intelligi potest. Necesse autem est, vt Pastoris officium ordinarium tandiu duret, quandiu ipsum ouile duraturum est. Fuit autem Christi ouile in finem vsque mundi duraturum; neque illud solus Petrus sine successoribus perpetuò pascere potuit: Est igitur auctoritas eius officij non Petro tantum, sed etiam eius successoribus à Christo commissæ. Deinde, quia *oues meas* itidem absque exceptione dicit: proinde oues omnes intelligit, quæ vsque ad consummationem seculi efficient vnum ouile serie perpetua. Has autem omnes solus Petrus, vt iam dictum est, pascere non potuit. Quare tradita est etiam successoribus auctoritas illas pascendi.

IAM ex ipso etiam fine, cuius causa Petrus eiusmodi auctoritatem accepit, idem probatur. Is enim finis fuit, vt vno pastore atque *capite constituto, schismatis tolleretur occasio,*

PROBATIO
II. ex ipsa forma Christi Verborum.

^a Isai. 59.
Matth. vlt. &c.

^b Cap. 26.

^c Cap. 12.

PROBATIO
III. ex eorumdem Christi Verborum fine.

d Lib. I. cont.
Iouin.
e Lib. de unit.
Ecclesiæ.
Opt. lib. 2. cõ-
tra Parm.

sis, inquit^d Hieronymus; & vt *una Ecclesia & una Cathedra esse monstratur*; inquit^e Cyprianus; & *vt in illa una Cathedra unitas ab omnibus seruetur*, inquit Optatus; & in summa vt Ecclesiæ ipsi toti quàm rectissimè Christus ipsius sponsus consuleret, sicut suprâ ostensum est. Atqui non minus voluit Christus Ecclesiæ suæ consultum esse defuncto Petro quàm eo viuento, siquidem eam perpetua caritate diligit. Voluit igitur vnum aliquem Petri successorem, illo defuncto, perpetua serie in Ecclesia præesse.

PROBATIO
III. ab exem-
plo Veteris Sy-
nagoga.
f Isai. 5.
g Deut. 17.

ACCEDIT quod non minus Ecclesiam suam modo Dei filius diligit, quam olim Synagogam, de qua per^f Isaiam dixit: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? Sed illi Pastorem vnum^g prouidit* (omni tempore quo stare certè illa debuit) vt illius auctoritate controuersæ omnes exortæ definirentur. Igitur & iam Ecclesiæ suæ Petrum pastorem præficiens, perpetuò cum in successoribus suis præesse illi voluit. Nam quod Sectarij quidam comminiscuntur, vnum illum sacerdotem in veteri Synagoga tantummodo debuisse iudicare de controuersis politicis; nõnne ex ipsis Scripturæ verbis manifestissimè redarguitur? Etenim cum absolutè dixisset Moyses: *Venies ad sacerdotes & ad iudicem qui fuerit illo tempore, &c. & facies quodcunqve dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te* (quia nimirum consilio etiam illi sacerdoti erat vtendum aliorum) *iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram*: continuò subiungit: *Qui autem superbit nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo, ex decreto iudicis morietur homo ille*. In omnibus igitur omnino, atque adedò multò maximè in materia religionis, dicto audientes sacerdoti esse oportebat. At,

At, inquit Caluinus, dispar ratio est. Nam Synagoga atque etiam Ecclesia quo tempore viuebat Petrus, angustis terminis continebatur: postea per vniuersum orbem diffusa est. Ita si maximè expediuisset tunc temporis illi præficere pastorem vnum: tamen non etiam expediret, vt postea quoq; vnus ei Pastor præsit. Quemadmodum, nec si commodè possit alicui colono vnus vel alterius agri cura committi, illico sequitur, perinde expedire, vt agrorum totius orbis cultura vni committatur. Non vidit hic Caluinus, illâ, quam obiicit, rationis disparitate, nostro argumento vim addi, non minui. Etenim quò maiore ouium varietate & numero existente, maius est periculum dissidiorum, quibus Ecclesia scindatur; eò maior nunc necessitas est vnus Pastoris, cuius auctoritate & officio controuersia componi possint. Cuius rei vel ipsæ dissensiones Sectariorum, irreconciliabiles, eò quòd extra ouile Christi oberrantes Pastorem vnum minimè agnoscunt, argumento esse possunt.

Neque verò Caluini exemplum nobis obstat. Pontifici enim vniuersalis quædam cura eademque spiritua-
lis incumbit, quam ille attributa ministris inferioribus tanta potestate quanta satis sit, haud difficulter sustinere potest, vt supra à nobis explicatum est. Muneris agrorum colendorum alia est ratio. Ex qua si libeat Caluino argumentum ad propositum petere, longius quàm ipse etiam volet, progredia-
tur necesse est. Nempe vt similiter probet, ne vnus quidem diœcesis paulò amplioris curam vni Episcopo rectè committi posse. Nam nec vnus potest colonus omnes vnus prouinciæ agros conuenienter colere.

Atque eiusdem farinae sunt reliquæ cauillationes, quibus Sectarij conantur perperam efficere, Euangelij
m locos,

Lib. 4. institut.
cap. 7.

Confutatio
Caluiniana ob-
jectionis contra
precedentem
probationem.

Non deberet
vnius Episcopus
præesse vni toti
prouincia, si
valeret aliquid
argumentatio
Caluini.

Generalis regula per quam obsecutionibus omnibus responderi possit, quibus Sectarij contendunt non debuisse aliquem in Universali Ecclesia curam D. Petro succedere.
h Matth. 16.
i Luc. 22.
k Ioan. 21.
l Matth. 16.
m Ioan. 21.
n Luc. 22.

• Lib. 2. de Eccles. cap. 35.
 p Lib. 2. doct. fid. antiq. c. 30.
 q In Tract. de institut. Rom. Pont. cap. 12.
 r Lib. 6. de locis Theolog. cap. vlt.
 s Serm. 1. de assumpt. sua.

locos, qui sunt de Petri auctoritate, ad aliquos eius successores minimè pertinere. Sed ad omnes id genus cavillatiunculas refutandas hæc quasi regula adhibenda est. Quæ Diuo Petro à Christo Domino dicta esse Euangelium commemorat, ea duplicis sunt generis. Quædam ad ordinarium Pastoris officium spectant. Ut illud: *h Tu es Petrus, & super hanc petram; &c.* Et: *l Confirma fratres tuos.* Et: *k Pasce oves meas, &c.* Alia ad Petri priuatam personam pertinuerunt. Ut illud: *l Vade post me Satana.* Et: *m Alius cinget te, & ducet quò non vis.* Et illud etiam: Tu aliquando *n conuersus*, id est, postquam à peccato resipueris per poenitentiam. Nec enim necesse est, omnes, qui officio summi pastoris in Ecclesia functuri sunt, prius quàm fratres cum auctoritate confirmet, in peccatum illud Petri aut aliud incidere, à quo resipiscant. Iam verò quæ sententiæ sunt prioris generis, ea ad successores etiã Petri rectè cõset Ecclesia referri debere. Posterioris generis non item. Quæ de re plura Lector (si necesse esse putat) videre potest apud *o* Turcrematam, & *p* Thomam VValdensem, *q* Caietanum, & *r* Melchiorem Canum. Ego, quæ à me sunt iam breuiter explicata, satis esse iudico, ut intelligatur, rectè à D. Leone de auctoritate successorum D. Petri illud scriptum esse, quod in huius puncti conclusione oportunè poni potest: *l Soliditas, inquit, illius fidei, quæ in Apostolorum principe est laudata, PERPETVA est. Et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit; ita permanet, quod in Petro Christus instituit. Manet ergo dispositio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine petra perseverans, susceptis Ecclesiæ gubernacula non reliquit.*

HOc vt probemus, in primis demonstrandum est, quid proprie sit, aliquem esse D. Petri successorem in Ecclesia principatu. Quamuis enim is, qui Diuo Petro succedit, à Christo ipso certissimè accipiat illam in Ecclesia auctoritatem quam habuit Diuus Petrus: tamen si rationes ipsas vocabulorum atque adeò rerum etiam significatarum proprie consideremus, non idem significamus, cum dicimus, hunc esse D. Petri successorem; & hunc à Christo recipere eandem auctoritatem quam habuit Petrus. Pater: Nam hoc secundum ex priori rectè concluditur, tanquam ex eo quod est clarius. Itaque suprà, vt efficeremus, Romanum Pontificem habere in Ecclesia primariam à Christo potestatem, quam habuit Petrus; sine ullo vitio argumentationis assumpsimus, eum esse Petri successorem; vt inde demum eius in Ecclesia principatum euinceremus. Quemadmodum igitur in civilibus aliud est proprie, Ioannem, verbi gratia, esse successorem Petri; & aliud, Ioannem legitime possidere patrimonium à Petro relictum (nam ex illo probari hoc solet) ita in proposito aliud proprie est, aliquem esse Diui Petri successorem; & aliud, eum à Christo habere illam potestatem quam habuit Diuus Petrus. Meritò itaque propria huius successionis ratio explicanda est, vt eandem ostendamus in Romanum Pontificem pro tempore existentem competere: vnde tandem efficitur id quod suprà conclusimus: Romanum Pontificem Petri principatum, quasi patrimonium quoddam à Christo constitutum, in Ecclesia obtinere.

Sanè aliquem esse Diui Petri successorem, nihil aliud est, quàm cum ab Ecclesia in locum Diui Petri legiti-

Non idem proprie esse succedere D. Petro, & à Christo accipere eandem auctoritatem, quam habuit D. Petrus, licet hac duo, quod ad rem attinet, sint coniuncta.

Quid proprie sit D. Petro succedere, & qua-

zenu id pen-
deat ab ipsa Ec-
clesia.

mo modo recipi ac veluti Christo offerri, ut is illi supremam auctoritatem, quam Petrus habuit, conferat: hoc est, ut certa lege statuat, peculiari quadam assistentia cum eo concurrere ad ea in doctrina & moribus constituenda, quæ ad bonum Ecclesiæ statum pertineant. Hoc enim est aliquem habere supremam illam in Ecclesia potestatem atque principatum, quem Petrus habuit. Porro modus legitimus recipiendi aliquem in locum Petri, omnino is est, quem Ecclesia ipsa pro ratione cuiusque temporis & aliarum omnium circumstantiarum præscribit atque adhibet.

Matth. vi.

Ioan. 14.

Quod ut melius intelligamus expendenda diligenter est vis illarum promissionum: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Et: Ut maneat vobiscum in æternum, &c.* Ex his enim & similibus intelligitur, curam & caritatem Christi erga sponsam suam Ecclesiã perpetuò eam esse, quæ ad Ecclesiæ statum suaviter & conuenienter hominum naturæ conseruandum accommodatissima sit. Dubitari autem minimè potest, quin hominum natura atque conditione considerata expediat, ut qui Ecclesiam vniuersam, accepta à Christo auctoritate, gubernaturus sit, is ab eadem Ecclesia ad id muneris recipiatur approbeturque. Proinde volens Christus Dominus, in Ecclesia perpetuò esse (ut superius est probatum) Petri successores, quibus ille supremam in terris auctoritatem, quam Petro contulerat, attribueret; necesse fuit, Ecclesiæ suæ hoc dare, ut eum ipsa deligeret in talem Pastorem, quem pro ratione temporis & circumstantiarum iudicaret esse ad id muneris aptissimum. Quod ipsum perpetua Ecclesiæ consuetudo in successione sedis tum Petri, tum aliorum Episcoporum confirmat. Is enim habitus est semper Episcopali cuius successor legitimus, quem in
cuius

eius locum Ecclesia' recepit ea forma & modo, qui pro ratione circumstantiarum in vnoquoque loco maximè conuenire existimatus est.

Iam cum hoc ita sit, facilè intelligitur, qua ratione probari oporteat, Romanum Pontificem, pro tempore existentem, Diui Petri successorem esse. Nempe non hinc aliquibus argumentis à ratione ductis opus est; vt cum de rebus agitur, quæ non sunt in factu positæ; sed satis superque id testimoniis omnium ætatum locupletissimis probamus, quibus sanè constat, Pontifices Romanos continua serie successionis in Diui Petri locum (absque vlla potestatis restrictione) fuisse ab Ecclesia receptos, atque ad eos, tanquam ad Petri in eadem potestate successores, per omnes Ecclesiæ ætates fuisse relatas maiores Ecclesiæ causas, vt persequitur diligenter Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 36. 37. & 38. & Caietanus de institutione Romani Pontificis cap. 13. & Canus libro 6. de locis, cap. 4. 5. & 6. & admodum copiosè ac luculenter Nicolaus Sanderus, in suo opere de visibili Ecclesiæ Monarchia, lib. 7. vt alios iam omittam.

Qua de re hæc in specie testimonia antiquitatis notentur. ^a Irenæus, ^b Epiphanius, ^c Augustinus, ^d Optatus, sui temporis Romanos Pontifices (quorum & posteriores Pontifices constat successores fuisse) ad Petrum ipsum continua serie successionis ordine deducunt. ^e Innocentius primus, ^f Eulogius, ^g Petrus Chrysologus, ^h Leo, & alij, *Petrum in sua adhuc Cathedra* (Romanorum Pontificum ipsius successorum ministerio) *presidere* asseuerant. ⁱ Tertullianus, ^k Augustinus, ^l Hieronymus, ^m Gregorius,

m 3

Euse-

^a In epist. ad Conc. Mileuit. quæ est 93. inter epist. Dni Augustini. ^f Apud D. Gregorium, epistola 37. li. 6. Registri. ^g Epistola ad Eutyech. quæ exstat inter epistolas alias sub initium Concilij Chalced. tomo 1. Concil. fol. 227. ^h Sermo. 2. de die anniuersario assumptionis suæ. ⁱ Lib. de præscrip. & Contra epist. fundam. c. 4. & alias. ^l Ad Damalium. ^m Li. 6. Regist. cap. 37.

Virum Romanum Pontificem D. Petri successorem esse facti, quæ testimoniis omnium ætatum rectè definitur.

Roman. Pontificem D. Petri successorem esse luculentis testimoniis probatur.

^a Lib. 3. cap. 3. ^b Hæres. 27. ^c Epist. 163. ad literas cuiusdæ Donatistæ. ^d Lib. 2. contra Parmen.

^m Lib. 3. histo. cap. 4.
^o Epist. 3.
^p Epist. 1. ad Antiochenos.
^q Lib. 4. histo. cap. 14.
^r In episto. ad Leonem.
^s Lib. 4. ep. 2.
^t Epist. 157. & li. 2. contra literas Petilianus c. 51. &c.
^v Teste Iul. I. epist. 1 & 3. de quo vide Canonum lib. 6. de locis, cap. 4. & Alanum Co. pum in dialogo, dial. 1.
^x In episto. ad Felicē II. Pontificē, qui Pontifex in descripto ad eosdē Episcopos cōqueritur fuisse plurima decreta Concilij Nicæni ab hæreticis suppressa. Exstant hæ epistolæ tom. 1. Concil. inter decreta Felicis II.
^y Lib. aduersus hæresum nouit. sub fin.
^z Habetur tom. 1. Concil. fol. 520.
⁶ Lege Alfonso Pisani de Conc. Nicæno & Sanderum, de Monarchia Eccles. lib. 7. circa annum Domini 336.

ⁿ Eusebius, & alij infiniti eosdem Romanos Pontifices, *successores* esse Diui Petri apertè asserunt. ^o Anacletus, ^p Marcellus, ^q Sozomenus, ^r Theodoretus, ^s Cyprianus, ^t Augustinus, & alij Patres, idcirco etiam sedem Romanam, *Petri locum & cathedram*, seu *Apostolicam sedem* vocant. Itaque Romano Pontifici, non nisi tanquam Petri legitimo successori, principatum auctoritatis in Ecclesia tribuit omnis antiquitas, Concilia, Patriarchæ, Patres vniuersi.

IN CONCILIO ^v Nicæno primo, Iulius primus testatur, decretum fuisse, ne Concilia præter sententiam Romani Pontificis celebrarentur, itemq; vt ad eum liceret Episcopis aliis ex toto orbe appellare, confirmatq; solenni iuramento eos Canones in sacro sedis Apostolicæ scrinio asseruatos fuisse. Quod itidem in eo Concilio Nicæno fuisse sic statutū, testatur Diuus ^x Athanasius, & alij Episcopi Thebaidis & Libyæ, qui ipsi Concilio Nicæno interfuerunt. Fuerunt autem huius Iulij epistolæ receptæ in Concilio Ephesino; vt ^y Vincentius Lyrinensis ante annos mille testatus est. Item illius primam epistolam recitat in Apologia sua secunda D. Athanasius. Nec sanè obstat, quod Africani Episcopi in ^z epistola ad Pontificem Cælestinum negant, eiusmodi Canonem de appellationibus ad Romanum Pontificem inter Concilij Nicæni Canones, quos à Patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, & Antiocheno petierant, reperiri. Certum enim est, longè plures Concilij Nicæni Canones fuisse quàm illos viginti & vnum, quos illi Patriarchæ ad Africanos miserunt, vt luculētissimis veterum testimoniis à ⁶ nonnullis demonstratum est. Itaq; ex illis Canonibus Concilij Nicæni qui desiderantur, quiq; hæretico-
 rum

cano. & Sanderum, de Monarchia Eccles. lib. 7. circa annum Domini 336.

rum fraude (vt conqueritur etiam Felix secundus) interierunt, procul dubio illi etiam fuerunt, quos ab Iulio primo, & ab Athanasio commemorari diximus. Ac licet Patres illi Africani apud eundem Pontificem Cælestinum egerint, ne appellationes vllas ab Africanis ad sedem Apostolicam factas admitteret, aut de causis eiusmodi ipse vel per se vel per legatos suos constitueret, sed iudiciū omne provincialibus Episcopis permitteret, vt rectius cognita causa in eo ipso loco vbi criminis delatio instituta esset, ipsi litem finirent: tamen nihil minus illi Patres ea re agebant, quam vt supremam alioquē in Ecclesia potestatem, adeoq; auctoritatem in iudicio etiam quarumcunq; causarum Ecclesiasticarum, Romanæ sedis competere negarent: Sed putabant certē non expedire, vt eiusmodi auctoritate Pontifex Romanus in litigiosis controuersis, quæ in transmarinis illis provinciis inciderent, vti vellet, cum melius existimarent eiusmodi causas personarum & criminum in proprio loco posse cognosci & definiri.

Alioquē, quā illi Patres Africani Romanæ sedis primatum agnouerint, suspexerintq; vel ex vna epistola Milcuitani Concilij ad Innocentium primum (cui Concilio pleriq; ex illis ipsis Patribus Africani Concilij paulo antē interfuerant) clarissimē licet intelligere. *Quia te, inquit, Dominus, gratia sue præcipua munere, in sede Apostolica collocauit, talemq; nostris temporibus præstitit, vt nobis potius ad culpam negligentie valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia suggerenda sunt, tacuerimus, quā ea tu possis vel fastidiosē vel negligentē accipere; magnis periculis infirmorum membrorum Christi PASTORALEM diligentiam quæsumus adhibere digneris. Noua enim hæresis (Pelagianorum) surgere capit, &c.* Et post aliqua: *Hac insinuantes*
Aposto-

Est epist. 92.
inter episto.
Aug. ad Ioh.

Apostolico pectore tuo, non opus habemus tantam impietatem verbis exaggerare, cum procul dubio te ita permoueant, ut ab eis CORRIGENDIS ne latius serpent, multosq; contaminent, vel potius interimant, omnino dissimulare non possis. Et sub finem epistolæ: Hec ad sanctitatem tuam de Concilio Numidia scripta direximus, imitantes Carthaginensis prouincia Coëpiscopos nostros, quos ad sedem Apostolicam, quam benignus illustras, de hac causa scripsisse comperimus. Certè luce clarius ostendit hic locus, Romanum Pontificem ab Affricanis Episcopis & Pastorem Ecclesiæ summum, cui aliarum etiam Ecclesiarum præter Romanam cura pastoralis sollicitudoque incumbat, & iudicem causarum religionis ac fidei agnatum fuisse. Carthaginensis autem prouinciæ Episcopi, quorum in ea epistola mentio facta est, hunc in modum ad eundem Innocentium in ea causa^d scripserant: Hoc gestum caritati tue intimandum duximus, ut statuti nostre mediocritatis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum, & quorundam peruersitate etiam corrigenda. Et infra: Error ipse & impietas quæ tam multos assertores habet etiam auctoritate sedis Apostolicæ anathematizanda est. Consideret ergo sanctitas tua & pastoralibus nobis compatiatur visceribus, &c. Et certè ex^e epistolis quibusdam D. Cypriani ad Pontificem Cornelium licet intelligere, antiquam etiam fuisse Affricanorum consuetudinem ad Apostolicam sedem appellandi: ut mirum sit hoc ab illis Patribus Affricanis cogitatum non fuisse: sicut etiam in antiqua Synodo^f Sardicensi eiusmodi appellationes ex omni loco ad sedem Apostolicam discretissimis verbis & concessæ & probatæ fuerant, ut paulò post dicemus.

Sic etiam neque testimonio illi Concilij Nicani, quod pro Romanæ sedis primatu, ex Iulio primo, & Athana-

d Epist. 90. inter epist. Aug.

e Lib. 1. epist. 3. & lib. 4. epistol. 8.

f Can. 3. 4. & 7.

thanasio commemorauimus, auctoritatem detrahunt
 villo modo Sectarij, cum ex Canone sexto eiusdem Con-
 cilij hæc verba (sicut ea quidem ^g Ruffinus refert) nobis
 obiiciunt: *Apud Alexandriam & in vrbe Roma vetusta con-
 suetudo seruetur, vt ille (Episcopus Alexandrinus) Aegypti,
 hic (Episcopus Romanus) suburbicariarum sollicitudinem Ec-
 clesiarum gerat.* Primum enim Canon hic sextus in exem-
 plo à tribus Patriarchis (sicut antè commemorauimus) ad
 Episcopos Africanos misso non omnino ita habet, vt
 refert Ruffinus; sed quædam verba ^h ibi adduntur, ex qui-
 bus clarius apparet nihil ibi minus quàm supremam in
 omnes auctoritatem Romani Põtificis negari. Sic enim
 dicitur: *Antiquiores (Episcopi) obtineant (id est, ⁱ honore
 præcedant) qui apud Aegyptum sunt, & Libyam & Penta-
 polim: ita tamen, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium
 habeat sollicitudinem; quia & vrbis Romæ Episcopo similis mos
 est. Similiter autem & circa Antiochiam, & in cæteris prouin-
 ciis priuilegia propria seruentur METROPOLITANIS Ec-
 clesiis.* Non igitur negat hic Canon Romano Pontifici
 primatus auctoritatem, quam habet is alioquã tanquam
 successor D. Petri in omnes Ecclesias, sed significat certè,
 habere eum quoq; specialem quandam METROPOLI-
 TANI auctoritatem in adiacentes diocesi Romanæ Ec-
 clesias; quam quidem auctoritatem similiter & aliis Ar-
 chiepiscopis Metropolitanis, vnicuiq; in sua prouincia,
 Concilium Nicanum voluit constare. Accedit deinde,
 quod in Concilio ^k Chalcedonensi Canon hic sextus Ni-
 cænæ Synodi (recitante Paschasino, & nemine prorsus
 contradicente) sic incipit: *Ecclesia Romana semper habuit
 primatum, &c.* Ac tunc subiunguntur reliqua de auctori-
 tate Metropolitanorum, quæ ex illo Canone iam à no-
 bis exposita sunt. Denique in eadem actione Concilij
 n Chal-

^g Lib. 10. hist.
cap. 6.

^b Lege Conc.
VI. Carthag.
vbi Canones
illi Nicæni re-
citantur.

ⁱ Ita colligi-
tur ex Can. 8.
Nicæno apud
Ruffinum, vbi
suprà.

^k Act. 16.

Chalcedonensis, post recitatum illum Nicænum Canonem, & omnium sententias auditas, Iudices ita dixerunt: *Ex his quæ gesta sunt, vel ab unoquoque deposita, perpendimus, omnem quidem primatum & honorem præcipuum secundum Canones (nempe secundum illum etiam Nicænum) antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari.* Ac tunc Patres ipsi Concilij dixerunt: *Hæc iusta sententia, hæc omnes dicimus, &c.* Sed de Canone Nicæni Concilij satis.

Item in Sardicensi Concilio, quod generale etiã fuisse graues^a auctores testantur, ^b appellationes ex toto orbe factæ ad Romanum Pontificem approbantur, & Iulio Pontifici ius competiuisse euocandi cum auctoritate alios Episcopos non obscure^c agnoscitur. In ^d Constantinopolitano primo (generali secundo) post Romanum Episcopum primatus honor tribuitur Patriarchæ Constantinopolitano. Atque etiam eius Concilij Patres^e testantur, se Damasi Romani Pontificis literis monitos conuenisse Constantinopoli: Vicissimque^f Damasus reuerentiã ab illis in ea re exhibitam sedi Apostolicæ colaudat. In Ephesino (generali tertio) ^g Cyrillus locum Cælestini Romani Pontificis tenens eius mandato dicit, se (vnã cum aliis Patribus) compulsus fuisse, vt Nestorium damnaret. Itemque Patres eiusdem Concilij ad eundem Cælestinum hoc modo^h scribunt: *Ioannis Anisiocheni temeritatem (quod Cyrillum deposuerat) reseruamus tua pietatis iudicio.* In ⁱ Chalcedonensi porro Concilio (generali quarto) itidem probatur iudicium illud Synodi Constantinopolitanæ, quod Constantinopolitano Patriarchæ secundæ concedantur post Romanum Pontificem. Et rursus^k ibi, Marciano Imperatore præsentem, sine vlla controuersia, caput omnium Ecclesiarum Romana Ecclesia appellata est. Atque etiam ipse Imperator

^a Socrates libro 2. hist. cap. 16. & Athanasius id Concilium vocat magnum, per illudque dicit Arianos eiectos fuisse ex Ecclesia, orat. 1. contra Arian.

^b Can. 1. 4. & 7. ^c Apud Theodoretum li. 2. hist. c. 8.

^d Cap. 5. ^e In epist. ad ad eundem Damasum cuius meminit Theodoret. lib. 5. cap. 9.

^f Apud eundem Theodor. eodem lib. c. 10.

^g Teste Euaugrii lib. 1. hist. cap. 4.

^h In epist. ad eundem Cælestinum.

ⁱ Actione 16. ^k Actione 1.

tor Marcianus ibidem Leonem, tum Pontificem Romanum, *Apostolicum thronum gubernare*, dicit. Itemque Concilij Patres eundem Pontificem his modis compellant: ¹ *Tu, sicut caput membris, praeras. Dioscorus contra te, cui vinea custodia à Salvatore commissa est, extendit insaniam. Tuis decretis nostrum honora iudicium: & firmitas tua filiis quod deest adimpleat.* Itaq; in eo Concilio Paschasinus cum Lucenio & Bonifacio, loco Leonis sic praefuit, ut inter cætera, quæ cum auctoritate ibi gessit, etiam ^m prohibuerit, ne Dioscorus cum reliquis Episcopis Orthodoxis sederet. In Concilio ⁿ secundo Constantinopolitano (generali quinto) Patres profitentur, se per omnia sequi velle sententiam summi Pontificis Agapeti in caussa Anthimi hæretici, quem idem Agapetus ex sede Constantinopolitana, & à communione fidelium ^o eiecerat. Cuius etiam sententiæ vi Synodus eundem quoque eiecit ex sede Trapezuntina. ^p In Constantinopolitano tertio (generali sexto) Dicitur, *per Agathonem Romanum Pontificem loquutus esse Petrus princeps Apostolorum*, cuius nimirum ille & imitator fuisset & successor. In ^q Constantinopolitano quarto (generali octavo) Patriarchas omnes honorandos, *praecipue verò sanctissimum Papam senioris Romæ.* In ^r Nicæno secundo (quod fuit septimum generale) *Romanam sedem primatum per orbem totum obtinere, omnium Christi Ecclesiarum caput existere, &c.* Similia in ^s Lateranensi sub Alexandro tertio, & ^t Lateranensi item, sub Innocentio tertio, ^v Lugdunensi secundo, ^x Viennensi, ^y Constantiensi, ^z Lateranensi sub Iulio secundo, & Leone decimo, ^a Tridentino. Quibus adde provincialia, ^b Arcelatense, ^c Aurelianense quartum, ^d Toletanum primum, ^e Africanum, ^f Mileuitanum, &c.

1 A&3. in relatione facta eidem Pontifici ab ipsa Synodo.
^m Teste Eua-grio, libro 2. cap. 4.
ⁿ Actione 4. in sententia Synodi cõtra Anthimum.
^o Ut patet ex loco citato. Itemq; ex cõstitutione Iustiniani Imperat. contra eundem hæreticũ, quæ exstat in ead. Syn.
^p Actione 18. sub finem.
^q Can. 25.
^r Actione 2. Titulo 2. c. 3. & 4.
^s Cap. 5.
^t Lib. 6. de-cret. c. vbi pe-riculum, de e-lection. & ele-cti potestate.
^u Clemetina 1. de S. Trin.
^y Sessione 8. & 15.
^z Sess. 2. & 3.
^a Sess. 14. c. 3.
^b Can. 1.
^c Can. 1.
^d In assertio-ne fidei in fin.
^e Cap. 35.
^f Apud Aug. epist. 92. & 93.

n 2 Nec

g Sozomenus
 lib. 3. cap. 7. &
 ipse Athan. in
 Apolog. ad
 Constan.
 h In epist. ad
 eundem, ab
 Athanasio &
 aliis missa ex
 Synodo Ale-
 xandrina.
 i In epist. ad
 Solitaria vita
 agentes.
 k Epist. 18. Si-
 militer quoq;
 loquitur epist.
 10 & 11.
 l Teste Libe-
 rato in Breui-
 ario, c. 18.
 m Vt videre
 est apud Theo-
 doretū, lib. 5.
 hist. c. 23.
 n Teste Sozo-
 meno, libro 8.
 hist. c. 3. & So-
 crate li. 5. c. 15.
 o In Synod. V.
 acti 4 in sen-
 tentia eiusdē
 Petri Hiero-
 solym.
 p In epist. ad
 Innocentium
 tomo 5.
 q Vt refert
 Theodor^{us} Le-
 ctor li. 2. Col-
 lectaneorum,
 circa mediū.
 Exstat hi libri
 post historia
 Sozomeni.
 r In Synod. V.
 actione 1.

Nec minus perspicuè Patriarchæ quatuor. Certè A-
 thanasius Patriarcha Alexandrinus, ad Iulium primum,
 Romanum Pontificem in sua causâ cōtra Arrianos ^b ap-
 pellauit. Itemq; ad Felicem secundum Papam ita ^h scri-
 bit: *Vos, predecessoresq; vestros Apostolicos videlicet presules in
 summitatis arce Deus constituit: omniumq; Ecclesiarum curam
 habere precepit.* Item: ⁱ *Romanus, inquit, Episcopus Iulius Sy-
 nodum iussit fieri, ut tuto & crimina obicerent, & inuicem si-
 bi oblata refutarent.* Item Diuus ^k Cyrillus, & ipse Ale-
 xandrinus Patriarcha, ad Cælestinum Romanum Pon-
 tificem in causâ Nestorij scribens: *Ab illius, inquit, com-
 munionem cum fiducia nos non exemimus, donec ista pietati tue
 communicaremus. Quapropter quid videatur, exprimere di-
 gnare, an aliquando illi communicare debeamus.* Item ^l An-
 tiochenus Patriarcha Calandio, Ioanni Talaia Patriar-
 chæ Alexandrino suasit, vt contra Petrum Moggum,
 quem Achatus intruserat, ad Simplicium Rom. Pōtificē
 appellaret. Item ^m Flauianus eiusdē sedis Patriarcha à
 Romano Pontifice vt causam diceret euocatur, pro eo-
 que apud ⁿ Damasum intercedunt Chrysostronus Pa-
 triarcha Constantinopolitanus & Theophilus Patriar-
 cha Alexandrinus. Item ^o Petrus Patriarcha Hierosoly-
 mitanus affirmat, Agapetum Papam diuinitus fecisse,
 quòd Anthimum, Constantinopolitanum aliquando
 Patriarcham, de sede deiecisset. Deniq; Diuus ^p Chry-
 sostronus, Constantinopolitanus Patriarcha, ad Roma-
 num Pontificem appellauit. ^q Macedonius, eiusdē se-
 dis Patriarcha, Anastasio Imperatori vehementer vi-
 genti & mandanti, vt Episcopos sibi subiectos ad Syno-
 dum conuocaret, nihil omnino se in ea re facturum re-
 spondit, *absq; vniuersali Synodo, cui magne Romæ Episcopus
 presideret.* ^r Menas Seucro, Petro & Zoaræ vitio vertit,
 quod

quod contempserint Ecclesiam Romanam, quae Apostolis, inquit, succedens, contra ipsos sententiam protulit.

Longum verò est aliorum Patrum sententias referre.

^a Irenæus ad Romanam Ecclesiam propter potentioris principalem necesse esse affirmat omnem aliam Ecclesiam convenire. ^b Cyprianus eandem esse, Ecclesiam matricem. ^c Ambrosius, Siricium Papam Christi ovile custodire, dignum esse, cui oves Domini audiant. ^d Hieronymus, Damalum piscatoris, id est, Diui Petri, successorem esse in eadem fidei Cathedra super quam sit edificata Ecclesia. ^e Augustinus, in Romana Ecclesia Apostolica Cathedra semper viguisse principatum.

^f Idem obsecrat Innocentium primum, ut pastorem diligentiam adhibeat magnis periculis infirmorum in Africa propter heresim Pelagianam imminentibus. Quod eius studium laudat idem Innocentius, ^g quòd antiquae regulae formam secutus opem imploravit ab ea sede, cui maneat sollicitudo omnium Ecclesiarum. ^h Gregorius, Romanam Ecclesiam Deo auctore cunctis Ecclesiis esse pralatum. ⁱ Isidorus, nullam se Synodum reperisse nisi vel congregatam vel fultam Romanae sedis auctoritate.

^k Prosper, Romam pastorali honore factam esse caput mundi. ^l Vincentius Lyrinensis, Romanum Pontificem esse caput orbis.

^m Beda, Gregorium in toto orbe Pontificatum gerere. ⁿ Origenes, libellos poenitentiae de suis erroribus offert Fabiano Papae.

^o Basiliius, ad Romanum Pontificem referendum indicat, ut iudicij sui decretum interponat. ^p Chrysostomus postulat ab Innocentio, ut decreta Theophili rescindantur, & ut poenis Ecclesiasticis qui iniquè agerent, coërcerentur. ^q Theodoretus, ad Romanam sedem appellat, & illius dicit se expectare sententiam. ^r Socrates, Romanam Ecclesiam privilegium praeter ceteris obtinere. Et quid omnes seu Latinos seu Græcos commemorem?

^s Lib. 3. cap. 3. ^t Lib. 4. ep. 8. ad Cornelium Pap. ^u Lib. 10. ep. 81. in tit. ^v Epist. 57. ad eundem. ^w Epist. 162. ^x Epist. 92. ad eundem missa ab August. & aliis Parribus Concilij Milevitani. ^y Epist. 93. inter epist. D. August. ^z Lib. 2. Registri, epist. 30. ^{aa} In præfat. in opus Concil. ^{ab} Lib. de ingrat. contra Pelagianos. ^{ac} Lib. aduers. haer. ^{ad} Lib. 2. hist. Anglorum. ^{ae} Teste D. Hieron. ad Pamachium. ^{af} In epist. 52. ad Athanas. ^{ag} In epist. ad eund. tomo 5. ^{ah} In epist. ad Leon. in fine, tomi 2. ^{ai} Lib. 2. hist. cap. 11.

^{aj} Beda, Gregorium in toto orbe Pontificatum gerere. ^{ak} Origenes, libellos poenitentiae de suis erroribus offert Fabiano Papae.

^{al} Basiliius, ad Romanum Pontificem referendum indicat, ut iudicij sui decretum interponat. ^{am} Chrysostomus postulat ab Innocentio, ut decreta Theophili rescindantur, & ut poenis Ecclesiasticis qui iniquè agerent, coërcerentur. ^{an} Theodoretus, ad Romanam sedem appellat, & illius dicit se expectare sententiam. ^{ao} Socrates, Romanam Ecclesiam privilegium praeter ceteris obtinere. Et quid omnes seu Latinos seu Græcos commemorem?

^{ap} Lib. 3. cap. 3. ^{aq} Lib. 4. ep. 8. ad Cornelium Pap. ^{ar} Lib. 10. ep. 81. in tit. ^{as} Epist. 57. ad eundem. ^{at} Epist. 162. ^{au} Epist. 92. ad eundem missa ab August. & aliis Parribus Concilij Milevitani. ^{av} Epist. 93. inter epist. D. August. ^{aw} Lib. 2. Registri, epist. 30. ^{ax} In præfat. in opus Concil. ^{ay} Lib. de ingrat. contra Pelagianos. ^{az} Lib. aduers. haer. ^{ba} Lib. 2. hist. Anglorum. ^{bb} Teste D. Hieron. ad Pamachium. ^{bc} In epist. 52. ad Athanas. ^{bd} In epist. ad eund. tomo 5. ^{be} In epist. ad Leon. in fine, tomi 2. ^{bf} Lib. 2. hist. cap. 11.

^{bg} Beda, Gregorium in toto orbe Pontificatum gerere. ^{bh} Origenes, libellos poenitentiae de suis erroribus offert Fabiano Papae.

^{bi} Basiliius, ad Romanum Pontificem referendum indicat, ut iudicij sui decretum interponat. ^{bj} Chrysostomus postulat ab Innocentio, ut decreta Theophili rescindantur, & ut poenis Ecclesiasticis qui iniquè agerent, coërcerentur. ^{bk} Theodoretus, ad Romanam sedem appellat, & illius dicit se expectare sententiam. ^{bl} Socrates, Romanam Ecclesiam privilegium praeter ceteris obtinere. Et quid omnes seu Latinos seu Græcos commemorem?

^{bm} Lib. 3. cap. 3. ^{bn} Lib. 4. ep. 8. ad Cornelium Pap. ^{bo} Lib. 10. ep. 81. in tit. ^{bp} Epist. 57. ad eundem. ^{bq} Epist. 162. ^{br} Epist. 92. ad eundem missa ab August. & aliis Parribus Concilij Milevitani. ^{bs} Epist. 93. inter epist. D. August. ^{bt} Lib. 2. Registri, epist. 30. ^{bu} In præfat. in opus Concil. ^{bv} Lib. de ingrat. contra Pelagianos. ^{bw} Lib. aduers. haer. ^{bx} Lib. 2. hist. Anglorum. ^{by} Teste D. Hieron. ad Pamachium. ^{bz} In epist. 52. ad Athanas. ^{ca} In epist. ad eund. tomo 5. ^{cb} In epist. ad Leon. in fine, tomi 2. ^{cc} Lib. 2. hist. cap. 11.

Iam verò Pontifices ipsi Romani, sanctissimi & antiquissimi, successores se esse Diui Petri in cura vniuersalis Ecclesiæ, iisdem in locis palam protestati sunt, quos pro ipsius D. Petri primatu superiùs magno numero allegauimus. Quorum testimonia quamobrem in hac quæstione & causâ minimè suspecta esse debeant, supra causas exposui. Clarissima verò grauissimaque sunt in hoc genere illa verba ° Iulij primi, de causâ Athanasij: *Semper, inquit, maiores Ecclesiæ causæ ad sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt; Ipsa namque omnibus prælatæ est Ecclesiis, quæ non solum canonum & sanctorum Patrum decretis, sed Domini voce singularem obtinuit principatum, cum inquit: Tu es Petrus, &c. Atque illa quoque Innocentij primi ad Patres Concilij Mileuitani: Per omnes, inquit, prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanant. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitrator omnes fratres & Coëpiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris auctorem referre debere; velut nunc retulit vestra dilectio; quòd per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse. Item: Diligenter ergo & congruè Apostolico consulitis honori, honori, inquam, illius, quem sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxiiis rebus, quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicet regulæ formam sequuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse seruata. Et Leo ad Anastasium Thesalonicensem Episcopum: Sicut præcessores mei (inquit) præcessoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ vices meæ moderaminis delegaui, vt curam, quam vniuersis Ecclesiis principaliter ex diuina institutione debemus, imitator nostra mansuetudinis effectus adiuuares.*

Sed exstant multa testimonia similia Pontificum in locis supra citatis. Quorum sanè in Ecclesia, tanquam successorum Petri, primatum agnouerunt, non Patres tantum,

6 Epist. 1. ad
Orientales.

7 Epist. 93. in
ter epist. Aug.

Ibidem.

9 Epist. 84.

tantum, sed etiam ipsi Imperatores Maximi, & disertissimi verbis protestati sunt. ^r Valentinianus affirmat, Romano Pontifici principatum sacerdotij collatum. ^f Marcianus, principatum in Episcopatu fidei obtinere. ^t Iustinianus, primum omnium esse Sacerdotem secundum quatuor Synodorum definitionem. Quibus Imperatoribus posterior fuit Phocas, à quo tamen Romanum Pontificem primatum accepisse ^v Calvinus ineptissime nugatus est. ^x Carolus Magnus, Romanum Pontificem, uniuersalem Papam compellat. Sed & hæretici aliquando cum principatum Romani Pontificis à nemine ignorari probè intelligerent, se idem cum illo de rebus fidei sentire, vt facilius laterent, subdolè simulauerunt. ^y Cælestinus Pelagianus cum Innocentio. ^z Meletius & Vitalis cum Damaso, &c.

His accedit quòd Romanus Pontifex perpetuò in Ecclesia earum quæ essent fidei controuersiarum ^a iudex agnitus est: quòd ipse hæreses ^b condemnauit: quòd leges cum ^c auctoritate sanciuit: ^d quòd Conciliis generalibus præfuit, eademque confirmauit: quòd ad eum vndique in grauissimis causis Ecclesiasticis ^e appellatum est: quòd alios Episcopos auctoritate sua in varias mundi partes ^f misit; vicarios suos ^g constituit, ^h creauit, ⁱ confirmauit, ^k pallio inuestiuit, ^l deposuit, ^m restituit. Quem vsu au-

toritatis

tat. l. cont. Parmen. Irenæo, l. 3. c. 3. &c. & passim ex actis Concil. ^b Vt videre est apud Euseb. lib. 5. cap. 27. & lib. 6. cap. 35. Cyril. epist. 10. & 11. Tertul. lib. cont. Praxean. &c. ^c Vt est videre apud Euseb. in Chronic. de Telesphor. & Pio I. & lib. 5. hist. c. 24. & passim in ipsis decretis antiquiss. etiam Pontific. ^d Vt infra in loco de Concil. ostendetur. ^e Vt est videre apud Sozom. lib. 3. cap. 7. & 9. Euagr. lib. 3. ca. 15. Athanas. epist. ad solitariam vitam agent. Basilium epist. 74. Chrysostr. epist. ad Innocen. tomo 5. Epiphani. hæres. 68. &c. ^f Vt apparet ex August. epist. 157. & Posidonio in vita eiusdem August. cap. 14. & Beda, lib. 1. vitæ sanct. Patrum. ^g Vt apparet ex D. Leone, epist. 84. & D. Gregor. lib. 4. epist. 51. 52. 53. ^h Apud Socratem, lib. 7. hist. cap. 35. & Metaphrastem in vita Gregorij Agrigentini. ⁱ Vt apparet ex Concil. Chalcedon. act. 7. & ex D. Gregor. lib. 4. epist. 9. Cedreno, in Compend. histor. de Irenæo, fol. 387. &c. ^k Vt est videre apud D. Greg. l. 4. epist. 15. & 55. Bedam lib. 2. hist. Anglorum, &c. ^l Vt patet ex Synod. V. act. 4. Gregor. lib. 4. epist. 50. & in actis Sixti III. tomo 1. Concil. &c. ^m Vt apparet ex Sozomæno, lib. 3. cap. 7. Basil. epist. 74. &c.

^r In epist. ad Theodof. ante Concil. Chalced.

^f In epist. ad Leonem.

^t In nouel. Constit. 137. & Lib. 4. instit. cap. 7.

^x Teste Cranzio, in hist. Eccle. de Metropol. Saxon. l. 2. cap. 7.

^y Referente August. lib. 2. de pecc. orig. cap. 7.

^z Apud Hieron. epist. 2. ad Damas.

^a Testimonia & exëpla multa eius rei petere licet ex

Euseb. lib. 4. hist. c. 13. & 22.

& lib. 5. ca. 27. & l. 6. ca. 35. &

l. 7. ca. 8. & ex Aug. ep. 90. &

92. & l. 1. cont. duas epist. Pe-

lag. cap. 1. Op-

lag. cap. 1. Op-

lag. cap. 1. Op-

lag. cap. 1. Op-

lag. cap. 1. Op-

lag. cap. 1. Op-

lag. cap. 1. Op-

toritatis tam varium tamque latè patentem, eundemq; Romano Pontifici per omnes rectè sentientes in Ecclesia semper integrum atque liberum, quis non videat indicem atq; testem locupletissimum esse, quòd D. Petro in cura Ecclesiæ vniuersali, ad constituendum de iis rebus, quæ ad fidem & salutem spectent, Romani Pontifices succedant? Quoniam igitur & primariam in Ecclesia potestatem, atq; adèò infallibilem auctoritatem, de rebus fidei omnibus cõtrouersis iudicandi, D. Petro datam esse; nec illi solùm, sed etiam illius successoribus esse datam; & eius in eo genere successorem Romanum Pontificem pro tempore existentem esse, probatum est: verè ac rectè initio conclusimus atque posuimus Romanum Pontificem esse eum, in quo auctoritas illa primaria, de quæstionibus fidei omnibus infallibiliter statuendi, resideat.

*Verum diuino
an Ecclesiastico
iure ille idem
sit D. Petri suc-
cessor, qui est
Episcopus Ro-
manus.*

SED cùm Romanum Pontificem Diui Petri successorrem in vniuersali Ecclesiæ cura esse dicimus, forsitan aliquis sciscitabitur, ecquonam iure successor talis Diui Petri is sit, qui Pontifex est Romanus? Vtrum scilicet diuino? ita vt Christus Dominus non modò voluerit in Ecclesia esse perpetuò eiusmodi successorem Petri, cui ipse supremam auctoritatem, quam habuit D. Petrus, conferret, sed etiam statuerit, vt hic successor esset perpetuò Romanus Episcopus? An verò id obtinuerit in Ecclesia solum iure humano, hoc est, ipsius Ecclesiæ instituto, quæ non nisi Romanos Episcopos in D. Petri locum, quod ad vniuersalem Ecclesiæ curam attinet, recipiendos esse putârit.

*Quanti referat
scire verum iu-
re diuino ille,
ipse debeat esse*

Refert autem non parum hoc scire. Nam si solum ex iure Ecclesiastico ratio hæc successionis cum Romanæ diocesis Episcopatu coniuncta est; posset fieri eiusdem Eccle-

Ecclesiæ, atque adeò ipsius etiam Pontificis, auctoritate, vt aliquando is, qui vniuersalis Ecclesiæ pastor est, non idem sit Romanæ diocesis Episcopus, sed vel alterius diocesis; vt cùm Petrus Antiochiæ sedebat, erat Episcopus non Romanus, sed Antiochenus; vel etiam nullius particularis determinatè; sicut eo tempore quo nondum D. Petrus Antiochiæ sedebat, cùm tamen nihilominus esset tunc Pastor vniuersalis Ecclesiæ, à Christo constitutus. Sin autem diuino iure constitutum est, vt non alius, præterquam Romanus Pontifex, sit Petri successor, non erit in Ecclesiæ potestate id institutum mutare. Item etiam ex hac quæstione pendet, vt postea patebit, quomodo illud Ecclesiæ Romanæ priuilegium intelligendum sit, cùm ab ea dici solet recta atque Apostolica fides non posse deficere: sicut iam defecit exempli causâ ab Ecclesia Constantinopolitana.

Ego verò hac de re varias reperio sententias Doctorum. Nam^a Canus, & ^b Driedo, & ^c Turrecremata, & alij communiter, sine dubitatione affirmant, ex Christi Domini institutione Romanum Episcopum fuisse & futurum esse semper Diui Petri successorem in cura vniuersalis Ecclesiæ. Fundamentum istorum præcipuum est in modo loquendi Patrum ac Conciliorum, cùm passim asseuerant, Romanum Pontificem ab ipso Christo Domino potestatem obtinere. Item Romanam sedem à Christo Domino priuilegium habere, vt sit peculiariter Apostolica, à qua fides recta nequeat deficere. Denique ex Romana sede definitionem certam in controuersis fidei petendam esse, atque illos Catholicos esse, qui illius sequuntur doctrinam: illos contra hæreticos, qui reiciunt. Ex quibus & id genus aliis Ecclesiæ Romanæ elogiis, quæ magno numero superiùs recitauimus,

o colligi

D. Petri successor, qui est Romanus Pontifex.

^a Lib. 6. de locis Theol. cap. 4. 5. & 6.

^b Lib. 4. de variis dogm. c. 4. parte 3.

^c Lib. 2. de Eccl. c. 40.

d Lib. 5. epist.
ep. 32.
e Lib. 3. exci-
dij Hierosol.
cap. 2.

colligi videtur, institutionem Christi esse, ut qui successor Petri futurus est, sit Romanus Episcopus. Accedit, quod Diuus^d Ambrosius, & ^e Egesippus referunt, Christum Dominum Petro ex vrbe decedendi occurrisse, ac interroganti quomodo pergeret, respondisse: *Eo Romam iterum crucifigi*. Ex qua historia conici potest, Petrum ex voluntate atque præcepto Christi Romam reuersum esse, ibique morientem reliquisse Romanum Episcopum successorem.

f Lib. 4. sent.
d. 24. q. 2. art. 5.

Alia sententia est Dominici de^f Soto, qui contra existimat, Apostolicam sedem, hoc est, dictam successione rationem iure Ecclesiastico tantum annexam esse Episcopatu Romano: ac proinde fieri posse auctoritate Ecclesiæ, ut Petri successor, Romanus Episcopus non sit, sed vel alterius diocesis, vel nullius determinatæ, sed duntaxat Pastor vniuersalis. Fundamentum eius auctoris est, quod Christus Dominus instituens Petrum vniuersalem Pastorem, nulli eum Ecclesiæ particulari addidit; neque aliunde institutio Christi circa hoc satis constat; quare videtur potius totum hoc reliquisse Christus dispositioni Ecclesiæ, ut scilicet illa pro ratione circumstantiarum ac temporum variè statuere posset de conditione personæ eligendæ, quod expedire maximè videretur: sicut constat, ut postea videbimus, mutasse illam quandoque circumstantias electorum summi Pontificis, & modi eundem eligendi.

Hanc verò opinionem ut Sotus defenderet, sanè oportuit eum imprimis dicere, Concilia & Patres neutram partem huius quæstionis aperte satis determinauisse. Quod enim dicunt, Romanum Pontificem habere potestatem à Christo, eiusque institutione primatum obtinere; id verò non nisi ex quadam hypothesi ab illis dictum

dictum esse, nimirū vt id intelligatur, quandiu Romanus Episcopus est ille quem Ecclesia ipsa successorem Petri cōstituit, siue hoc illa faciat propria auctoritate siue institutione Christi. Nihil verò vel Concilia vel Patres determinare circa hanc hypothesim, vtrum scilicet illa sit ex institutione Christi vel tantūm ex Ecclesiastica traditione. Quidquid enim horū dicatur, manere ex fide certum id quod ipsi asserunt, Romanum Pontificem, quandiu in Petri successorem (sicut fit) eligitur, ab ipso Christo accipere auctoritatem vniuersalis Pastoris. Quod verò attinet ad illam historiam ex Egesippo; licet Christus Dominus præceperit tunc Petro, vt Romæ maneret vsque ad mortem, inde tamen non necessariò sequi, præcepisse etiam eum, vt successor illius in cura Ecclesiæ vniuersalis esset perpetuò Romanus Pontifex; sed benè inde consequi, institutionem ipsius Petri & Ecclesiæ, qua cautum est, vt Romanus Pontifex sit Petri successor, habuisse fundamentum in Christi voluntate statuente, vt Petrus Romæ permaneret, & suo martyrio Ecclesiam illam decoraret. Quod nisi accidisset, non fuisset dispositum, vt Romanus Episcopus Diuo Petro in vniuersali cura Ecclesiæ succederet. Quod ipsum etiam Caietanus tantummodo voluisse videri potest, cum ait, causam ob quam Romanus Pontifex sit is, qui Petro succedat, fuisse (vt ille inquit) appropriationem Romanæ Ecclesiæ ad Petri vniuersalem Pontificatum firmatam Christi auctoritate volentis, vt Petrus Romæ maneret ac ibi moreretur: non Euangelicam institutionem.

Cæterū vtunque ista subtiliter pro Soti opinione disputari possint: mihi certè videtur ea opinio in re tam graui nimium esse singularis, nec verò satis tuta. Quæ enim testimonia Patrum & Conciliorum pro con-

Romanū Pontificem iure diuino habere primatū in Ecclesia, postquam in D. Petri successorē ab eadem Ecclesia recipitur.

Tract. 2. de compar. Ponti. & Concil. ca. 22. & in opusc. de Rom. Pont. instit. cap. 13.

Iuris diuini institutionē esse et Romanū Episcopus in D. Petri successorē eligatur.

traria sententia Driedonis, Cani, & Turrecrematae allegari possunt, maius omnino pondus habent, quam ut tam subtilibus distinctionibus eludi possint. Quin prorsus arbitror, cum Patres tot modis asseuerant, Romanam sedem à Christo obtinere auctoritatis in Ecclesia primum, non aliam institutionem nisi ipsius Christi, à qua totum id priuilegium sedis Romanae pendeat, cogitauisse. Penderet autem id priuilegium etiam ex Ecclesiae ipsius humana institutione, si posito tantum, quod Ecclesia auctoritate sua velit in Petri successorem eligi Romanum Pontificem, Romana sedes diceretur habere à Christo primatum. Atqui Patres hoc minimè putauerunt: sed absolutè, *Romanam Ecclesiam, Deo auctore, cunctis Ecclesiis esse prelatam*, inquit Diuus^a Gregorius: item illi *ex diuina institutione curam incumbere aliarum omnium Ecclesiarum*, affirmat Diuus^b Leo: item *ad Ecclesiam Romanam, cuius fides sit ab Apostolo Paulo laudata, non posse perfidiam habere accessum*, ait D.^c Cyprianus ad Cornelium: Item *ad Romanam Ecclesiam propter potentiores principalitatem oportere omnes alias Ecclesias conuenire*, censet^d Irenaeus: *Quae semper* (inquit Hieronymus aduersus Ruffinum) *immaculata permansit, & Domino prouidente, ac beato Apostolo ferente opem, in futuro manebit.* Et clarissimè sanctus^e Anacletus: *Hac sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super uniuersas Ecclesias ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, &c.* Et Iulius huius nominis primus: *Sanctam, inquit, Romanam Ecclesiam ipse Dominus allocutus est, inquiens: Tu es Petrus, &c.* Atque ut alia eiusmodi antiquitatis testimonia (quae sunt magno numero collecta etiam à^f Cano) praeteream, in magno certè Lateranensi

^a Lib. 2. Registri, epist. 30.

^b Epist. 84.

^c Lib. 1. ep. 3. post medium.

^d Lib. 3. cap. 3.

^e Epist. 3. Eodem modo loquitur Sixtus II. epist. 1.

In epist. ad Episc. congregat. Antioch.

^f Lib. 6. de locis Theolog. c. 4. 5. & 6.

nenſi^s Concilio, ex certiffima Eccleſie ſententia, diſertis
verbis Eccleſia Romana dicitur, *Deo ipſo diſponente, mater*
eſſe & magiſtra omnium Eccleſiarum.

g De ſumma
Trin. c. Dam-
namus.

Itaq; vetus Patrum traditio indicare videtur, Chriſti
etiam inſtitutionem eſſe, vt qui Petro ſucceſſurus eſt, at-
que adeò qui eſt à Chriſto accepturus primatum, is alius
non ſit, niſi Epicoſopus Romanus; vt copioſe etiam ac di-
ligenter diſputat auctoꝝ eruditiffimus Ioannes Driedo.
Qua ſanè ex re ſequitur, nunquam omnino futurum, vt
ij à recta fide deſciſcant, qui fidem ſequentur eius, qui le-
gitimus erit atque permanebit Epicoſopus diœceſis Ro-
manæ, ſiue is in illius diœceſis loco morabitur ſiue alibi.
Nam idem ex inſtitutione Chriſti erit ſucceſſoꝝ Petri in
cura Eccleſiæ vniuerſalis, ac proinde in fidei doctrina
proponenda errare minimè poterit, vt poſtea etiam ſu-
mus probaturi. Nunc ſatis fuerit ita breuiter explica-
uiſſe, quod eſt à nobis tertio loco probatum. Nempe Ro-
manum Pontificem D. Petro in cura Eccleſiæ vniuerſa-
lis ſuccedere. Videamus modò quid cõtra id ſoleant aut
poſſint etiam hæretici obiicere.

Loco ſuprà ci-
tato.

PRINCIPIO, Petrum Romę fuiſſe nedum Romæ mor-
tuum eſſe Velenus quidam & Sebastianus Francus &
alij eiufdem farinae hæretici negant: Quin etiam dubitat
ea de re Calvinus. Falſum igitur aut certè minus explo-
ratum eſt, quod Romanus Pontifex ſuccedat Petro de-
functo.

Cõſutatio argu-
mentorũ, quib⁹
Sectarij cõten-
dunt Rom. Põr.
non eſſe D. Pe-
tri ſucceſſoꝝ.
ARCV. I.

Reſpondeo, quòd hoc iſti negent vel in dubium vo-
cent, facere eos ſtultiſſimè atq; pueriliter, cum ſit res o-
mnium hiftoriarum & Patrum^h teſtimonio & ipſis Pe-

h Eufeſ lib. 2.
cap. 14. & 15. &
25. & lib. 3. ca.
2. & 25. Egeſp.
li. 3. de excidio
Hierofoly. ca.
2. Sulpicius li.

O 3

TTI

2. hift. Oroſius lib. 7. hift. c. 6. Eutropius lib. item hiftor. 7. Irenæus lib. 3. c. 3. Tertull. li. 4. con-
tra Marcion. & lib. de præſcript. Epiphã hæreſi 27. Amb. in orat. contra Auxentium, quæ ha-
betur li. 5. ep. poſt epiſt. 32. Aug. lib. 1. cõtra Iulian. c. 2. & aliàs paſſim. Hieronymus in cata-
logo, vbi agit de Diuo Petro, & innumeri alij.

Lege potissimum Nicolaū Sanderum de visib. Monarchia Eccl. li. 6. c. 10. Horantiū lib. 6. Carhol. locorum, c. 12. Lindan. lib. 4. Panopl. c. 82.

Non sequi, si Petrus non fuisset Roma, Romanū Pontificem non esse ipsius successorem in cura Ecclesie vniuersalis.

ARGV M, II.

Veterū Patrū testimonia de successione Romanorū Pont. ad presentes quoq; Pontifices Rō. pertinere.

tri in vrbe vestigiis confirmata. Qua de re quoniam nō nisi leuissimas ratiunculas pro suis somniis Sectarij illi afferunt, quæ nemini prudenti persuadent, non opus esse iudico iam à me repeti, quæ sunt ab aliis sufficienter, vel potius dicam, penè superuacaneè (quis enim sanus de hoc dubitet?) tractata. Huc accedit, quod si maximè dubitari posset, vtrum D. Petrus Romæ fuisset (quæ tamen ipsa dubitatio nihil profectò differret ab insania) adhuc tamen non id haberent Sectarij quod volunt. Nam inde solum sequeretur, non esse Romanum Pontificem successorem D. Petri etiam in cura diocesis Romanæ (sicut iam ex omnium traditione esse constat) posset tamen adhuc ille Diuo Petro succedere in cura vniuersalis Ecclesie, quam potuisset Petrus annexere Romanæ sedi, tametsi ille fuisset alibi Episcopus, aut etiam nullius fuisset particularis Ecclesie Episcopus. Quemadmodum etiam manens Romæ potuisset alterius diocesis Episcopo vniuersalem curam Ecclesie demandare, si coniunctio illa quidem Romanæ sedis cum successione D. Petri in vniuersalis Ecclesie cura non esset de iure diuino.

SECVNDVM argumentum est, quod Concilia & Patres veteres, quorum auctoritate vtimur, non de huius temporis Pontificibus loquuntur, cum affirmant illos esse Petri successores legitimos ac proinde in Ecclesia tenere primatum, sed de illis qui priscis temporibus Ecclesie Romanæ præfuerunt; Nihil ergo eorum Patrum auctoritas Pontifici Romano præsentis & aliis pro tempore futuris suffragari videtur.

Respondeo, veterum Patrum & Conciliorum testimonia omnino etiam ad hunc præsentem Pontificem Romanum & alios, qui pro tempore, tãquam Petri successores, ab Ecclesia recipientur, pertinere. Nam ratio, ob

ob quam Patres illi suorum temporum Pontifices Romanos, Petri successores esse agnoscebant, alia proprie non erat, nisi quia illi legitimo modo ab Ecclesia Catholica in locum Petri recipiebantur, in qua re (vt supra diximus) consistit hæc ratio successionis. Sed hic etiam Pontifex qui nunc est, legitime item ab eadem Ecclesia in locum D. Petri receptus est, & alij quoq; qui succedēt, similiter (vt pono) recipientur. Ergo huic item Pontifici & futuris, veteres illi Patres testimonium successionis legitimæ perhibuerunt. Quemadmodum simili quoq;

Parte VI.

TERTIVM argumentum est proprie cōtra hoc ipsum quod nunc ponebamus, eos Pontifices Romanos, qui antecesserunt, vsque ad præsentem, esse legitime receptos ab Ecclesia. Etenim à tempore Urbani sexti, qui Gregorio vndecimo demortuo, anno 1378. electus fuit in mense Aprili, vsque ad præsentem Pontificem, nullus videtur legitime successisse. Nam, vt videre est apud Diuum^a Antoninum, & in initio Concilij Constantiensis, eodem anno 1378. in mense Iulio ex Cardinalibus quidam, quòd Pontificis electi mores difficiles non ferrent, Roma discesserunt, & insequenti mense Septembri elegerunt alium Pontificem, qui nominatus est Clemens septimus. Porro, Urbanus Romæ manebat, Clemens Auennioni. Et vterque suos affeclas habebat. Quod schisma vsque ad annum 1417. quo, vndecimo die mensis Nouembris, Martinus quintus electus est, ita continua

ARGVM. III.
*De successione
Romanorum
Pont. à tempore
Urbani sexti.*

*a 3. p. hist. tit.
22. cap. 2.*

tinua successione vtriusq; Pontificis, & Cardinalium ab ipsis Creatorum, continuatum est, vt non possit satis dignosci vter illorum esset verus Pontifex. Imò & alius etiam tertius Pontifex anno 1408. accessit, dictus Ioannes vigesimus tertius, quem aliqui Cardinales ex vtraque factione ad eam rem designati creârunt, vt refert ^b Turcremata. Tandē Martinus quintus à Cardinalibus multis ex illis dubiis & schismaticis, anno, vt dictum est, 1417. creatus est in Concilio Constantiensi. Itaque nec præcedentes Pontifices, nec ipse Martinus V. & consequenter neq; alij Pōtiffices posteriores, qui Martino deinceps successerunt, legitimo modo videntur ab Ecclesia recepti. Accedit etiam, quòd post Martinum quintum, tempore Eugenij quarti, fuit aliud schisma. Amadeus enim quidam in Concilio Basiliensi, à quibusdam electus est, & vocatus Felix; Is postea Nicolao quinto cessit, à quo & Cardinalis creatus est. Neq; tamen videtur satis compertum, vter istorum habuerit maius ius ad Pontificatum, atque ita propter hoc etiam schisma Pontifices illi omnes, qui Nicolao vsq; ad Pontificem præsentem successerunt, videntur dubij.

^b Lib. 4. c. 9.

Schisma quod fuit in Ecclesia à tempore Urbani VI. vsq; ad tempus Concilij Constantien. nihil obstare legitima successioni Pontificum.

Respondeo, Tempore illo, quod ab Urbano sexto, vsque ad Martinum quintum intercessit, illos sanè Pontifices censi posse legitimè fuisse receptos, qui in huius Urbani locū successiōis serie recepti sunt; alios verò fuisse Schismaticos. Nā de electione ipsius Urbani nō videtur dubitandū, quin fuerit legitima. Qui proinde de modo, rationeq; eligendi suos successores, poterat id statuere, quod in illa schismatum difficultate magis expedire iudicabat, donec aliquid aliud, ipso defuncto, Ecclesia ea de re decernendum putaret. Sed siue hi, siue illi, durante co schismate, fuerint legitimi Pontifices, siue nullus
 eorum,

eorum, qui in schismate electi sunt, sed tunc sedes quasi vacauerit; nihil hoc quidem interest: modò constet certè ipsum tandem Martinum quintum in Concilio postea Constantiensi legitimo modo receptum fuisse in locum illius Urbani & antecessorum atq; adeò etiam in locum ipsius Diui Petri.

Id autem ita esse, hoc modo probamus. Nam, vt supra dictum est, modus legitimus recipiendi aliquem in Petri successorem ille prorsus est, quem Ecclesia pro ratione temporis & aliarum circumstantiarum præscribit, rectumque esse iudicat; siue is modus præscribatur ab ipso met Pontifice (in quo tanquam in capite residet primaria auctoritas Ecclesiæ, atque adeò ^c ius etiam constituendi modum in electione Pontificis) siue præscribatur ab Ecclesia in Concilio vel aliter decernente; quando sedes quidem Apostolica vacaret, aut illius possessio non esset admodum certa, & graues aliquæ circumstantiæ postularent eligendi modum aliquem extraordinarium; sicut intelligi potest ex his, quæ eruditè ^d Turrecremata scripsit de decem viis sedandi schismata in electione Pontificis. Nunquam enim deest Christus Ecclesiæ suæ, quin in omni casu possit illa ex schismatum difficultatibus emergere, indubitatum & certum Pontificem pacificè & absq; scandalis recipiendo in D. Petri locum. Nunc certum est, Martinum quintum electum in Concilio Constantiensi fuisse eo modo, qui omnibus circumstantiis illorum temporum consideratis, iudicatus est ab Ecclesia in Concilio tunc congregata optimus. Nam Gregorio duodecimo, qui tum erat Urbani successor, suo iuri (propter Ecclesiæ pacem atq; bonum) cedente, & aliis duobus Antipapis, scilicet Benedicto decimo tertio, & Ioanne vigesimo tertio depositis; omnibus Cardi-

p

nalibus,

Probat, Martinus quintus electione in Concilio Constantiensi fuisse legitimam.

Ut colligitur ex multis Canonibus 79. d. & rectè ostendit inter ceteros Caietanus in Apologia de auct. Pont. & Conc. parte 2. c. 22. d. Li. 4. de Eccle. c. 10.

nalibus, qui Concilio quidem interfuerunt, siue illi veri essent siue falsi, & sex præterea ex qualibet natione, qui Concilio interessent, delectis, ius suffragij actiui & passiu datum est, quorum demum suffragiis Martinus quintus est electus. Qua quidem ratione nihil prudentius tunc temporis, ad tantas schismatum difficultates & scandala sedanda, constitui potuit. Itaque perspicuum certè est, Martinum quintum, legitimum fuisse Petri successorem, & consequenter etiam alios Pontifices sequentes, quia omnes recepti sunt eo modo, quem habita temporis ratione Ecclesia legitime præscripsit: quamuis pro ratione temporis modus ille quidem, quo Martinus electus est, fuerit à solito diuersus. Ordinariè autè iam ea ratio seruetur, ut qui à duabus partibus Cardinalium eligitur, ille Pontifex legitimus habetur.

Ex quibus intelligitur, quàm turpiter VViclephus, quem & alij Sectarij sequuntur, errauerit, cum propositione nona damnata in Concilio Constantiensi asseruit, à tempore Urbani sexti nullum esse recipiendum tanquam Pontificem, sed more Græcorum propriis legibus esse viuendum. Errant isti turpissimè: quoniam via ac ratio fuit, ac erit semper in Christi Ecclesia, ut schismate sedato, vnicus, verus, & indubitatus Pontifex ab omnibus agnoscat. Neq; enim illud schisma, primum fuit in Ecclesia, sed schismata omnino viginti illud præcesserunt, ut^f Turcremata etiam commemorat. Nec ideo tamen nullus ante Urbanum sextum fuit verus in Ecclesia Pontifex.

Iam verò ad illud, quod in confirmationem eius argumenti de schismate Amadei addebatur, facilis est responsio. Nihil enim huiusmodi casu successio Pontificum dubia redditur, cum^f cõstet Amadeum illum cum suis

• Vr patet extra de electi. cap. licet de e. nitanda.

¶ Lib. 4. de Eccl. cap. 9.

¶ Lege acta Concilij Cõstant.

suis electoribus apertè schismaticum fuisse, maxima Ecclesiæ parte Eugenium quartum (legitimum sine cōtro-
uersa successorem Martini quinti) & successorem Eugeni-
nij, Nicolaum quintum, pro legitimis Pontificibus cog-
noscente.

QUARTUM argumentum fieri porro potest contra hoc quod nunc dictum est, eum esse legitimum Petri successorem, quem Ecclesia recipit modo, quem iudicat conuenientissimum. Qui legitimus Petri successor est, is à Christo Domino certò & infallibiliter accipit supremam in terris potestatem, qualem habuit Petrus, vt suprà probatum est. At non semper, qui ab Ecclesia legitimo modo in locum Petri recipitur, eam potestatem à Christo Domino accipit. Ergo non illico legitimus Petri successor is est, qui ab Ecclesia recipitur modo legitimo. Id patet in casu, quo per errorem eligeretur mulier, quod saltem posse accidere nō admodum dubitare videntur quidam, et si falsa atque commentitia omnino sit alioquì historia illa de Ioāne foemina, vt ^h O-
nūphrius demonstrauit. Item idem patet, si errore eligeretur infidelis quispiam nō baptizatus. Talis enim aliqua persona non reciperet verè à Christo primariam potestatem, neq; verè esset Pōtifex, vt ex communi Orthodoxorum sententia ponit Turrecremata.

Respondeo. Quod dictum est, illum esse legitimum Diui Petri successorem, atque adeò primariam auctori-
tatem à Christo accipere, quem Ecclesia modo legitimo recipit in locum Diui Petri; id non aliter intelligendum est, nisi posito, quòd Ecclesia legitimo modo eum eligat ac recipiat, qui sit alioquì capax pontificatus. Mulier autem & infidelis Pontificatus minimè sunt capaces. Quare argumentum hoc non evertit ea, quæ sunt dicta.

ARGVM. IIII.

*In annotat.
ad Platin Le-
ge etiā Alanū
Cop. dialog. 1.
cap. 8.*

*Lib. 4 de Eccl.
p. 2 c. 20.*

*A Christo acci-
pere primatum
quis Diui Pe-
tri successorem
eligitur, quomo-
do intelligen-
dum.*

SED HINC rursus nascitur alia difficultas, de qua nō inutiliter tractari solet ab ipsis Catholicis Theologis in Scholis. Nam si casus isti, in quibus incapaces Pontificatus eligantur, possibiles sunt; sequitur, non posse nos penitus esse certos, vtrum hic vel ille electus, sit verus Pontifex? Nam licet simus omnino certi, Ecclesiam veram modo cōuenienti, tum ex parte electorum, tum ex parte modi in eligendo, hunc aut illum legitimè recepisse: at dubitare poterimus, vtrum ille baptizatus sit atq; ad eum sit capax Pontificatus. Ita nec poterimus esse certi, omnino de iis, quæ ille tanquam de fide definierit: Eodemq; res recidet atq; si liceret dubitare, vtrum Deus voluerit esse aliquem omnino successorem Petri in Ecclesia perpetuò, qui sit regula fidei & morum, infallibilis. Illud enim idem incommodum, quod ex hac dubitatione sequeretur; videlicet incertitudo eorum, quæ Romanus Pontifex decerneret: perinde sequeretur ex illa etiam dubitatione, vtrum videlicet hic sit verus successor Petri nec ne.

Ad hanc expediendam difficultatem, libenter illud solum responderem, quod multi docti ac pij viri meritò credunt, atq; ipse mihi persuadeo: nempe nunquam futurum, vt incapax eligatur; Deo, ad auertendum ab Ecclesia sua periculum, facilè (vt potest) id prohibente. Sed quia graues etiam Doctores eiusmodi casum tanquam possibilem admittunt; consequenter sanè cōcedendum est ab illis, non ex hoc ipso tantum, quòd aliquis ab Ecclesia in D. Petri locum electus est, penitus esse certum, quòd is sit verus Pontifex; quandoquidem incapax eius muneris eligi posset, vt admittunt. Cæterum non inde sequitur illud incommodum, quod obiciebatur, nempe vt necesse sit de certitudine definitionum siue decretorum

Quāvis nō esset certū, eum qui in D. Petri successore electus est, esse reuera legitimū Pon-

torum electi Pontificis dubitare. Hoc, inquam, incommodum dico non sequi, idque ostendimus duplici ratione.

Prima, quia certa fide compertum est, firmum esse ac ratum quicquid circa vniuersam Ecclesiam statuit is, qui existimatur ab omnibus fidelibus Pastor Ecclesiae vniuersalis; nam illud Ecclesia tota, quae decipi nequit, tenetur recipere, vt paulò post probabitur. Atqui Pastor vniuersalis ab omnibus fidelibus existimatur, qui ab Ecclesia in locum Diui Petri legitime est receptus. Igitur si is aliquid erga vniuersam Ecclesiam decernat, à nemine dubitari potest, quin illud sit ratum & firmum: siue id quidem infallibiliter decernat tanquam verus Pontifex, cuius videlicet ministerio Deus, ex certa & ordinaria lege in Ecclesia gubernanda, tanquam instrumento, vtratur; siue Deo tantummodo in particulari casu non permittente vt erret, in erroremque adeò inducat vniuersam Ecclesiam, cui se Deus nunquam defuturum promissit. Procedit enim perinde hæc prima ratio, siue concedamus fieri etiam posse, vt falsus Pontifex statuatur aliquid circa vniuersam Ecclesiam, siue id non concedamus, vt concedi reuera non debet, sicut iam videbimus.

Secunda ratio, quare non sequatur illud incommodum, quod obiiciebatur, est, quia cum primùm is, qui est electus Pontifex, statuit aliquid in fide aut moribus, quod ad vniuersam Ecclesiam pertineat, eo ipso est nobis certum de fide, quòd ille sit Pontifex legitimus, qui à Deo videlicet acceperit potestatem illam iurisdictionis primariam. Quæres autem vnde hæc fidei certitudo tunc eliciatur? Respondeo: ex duabus propositionibus de fide, hoc modo: Quem Christus Dominus in iis, quæ vel ad fidem, vel ad mores, pertinent, ab vniuersa Ecclesia audiri

tificem; minime tamen propterea de certitudine illius definitionum esset dubitandum.

Quatenus possum ex fide esse certi quòd is reuera legitimus Pontifex sit, qui est in D. Petri locum ab Ecclesia receptus.

vult; is verus ac legitimus est Pastor Ecclesiæ vniuersæ. Sed Pontificem ab Ecclesia legitimo modo electum, cum is aliquid ad vniuersam Ecclesiam pertinens in fide aut moribus statuit, audiri vult Christus Dominus ab vniuersa Ecclesia. Ergo verus ille Pastor est vniuersæ Ecclesiæ.

Prior propositio patet ex illis Scripturæ testimoniis, quibus superiùs probauimus, Christum Dominum super Petrum determinatè & eius successores (quorum vnusquisque, communionem quidem eiusdem auctoritatis, esset in Ecclesia futurus quasi alter Petrus) voluisse vt exurgeret totum ædificium Ecclesiæ. Nam: *Super te*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam.* Et: *Pasce* (tu Petre) *oues meas.* Et: *Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Quarum certè sententiarum ea vis est, vt per neminem alium hominem singularem, nisi qui communionem eiusdem auctoritatis reuera sit tanquam ipse Petrus, quiq; præceptum illud pascendi oues Christi vniuersas habeat, Ecclesiam regi, hoc est, obligari eam ad recipiendum fidei & morum instituta, quibus illius ædificium continetur, intelligere debeamus. Idcò enim cæteris Apostolis præteritis solum Petrum ex nomine toties tamque singulariter Christus, dum eam illi auctoritatem vel promitteret vel tribueret, compellauit, vt ea re clarè significaret, per neminem alium hominè singularem, velle se spiritu suo sancto ita instruere Ecclesiam, sicut per Petrum, & eos, qui in eadem auctoritate, tanquam ipse Petrus, futuri essent, vt supra disputatum est.

Iam probatur illa altera propositio posterior: nempe velle Christum, vt is in rebus fidei atque morum ab vniuersa Ecclesia audiatur, qui ab Ecclesia est legitime in Pontificem electus. Nam cum in Scriptura datur præceptum

Matth. 16.

Ioan. 21.

Lucæ 22.

ptum subditis, vt *Præpositos suos audiant*; de iis Præpositis omnino sermo est, quos subditi suos esse Præpositos agnoscunt & pro talibus habent; alioquin frustra prorsus id præciperetur. Quare certum ex fide est, velle Christum, vt quem Ecclesia vniuersa Pastorem suum esse agnoscit, eum de rebus fidei & morum docentem audiat. Agnoscit autem omnino eum esse suum Pastorem, quem ipsa legitimè elegit ac recepit. Hunc igitur ex Christi voluntate tenetur audire. Certa igitur ex fide est quoque posterior illa propositio. Atque ita patet, conclusionem etiam, quam ex vtraque propositione deduximus, certam ex fide esse: videlicet, electum legitimè in Pontificem, posteaque aliquid erga vniuersam Ecclesiam definientem, verum esse Pontificem: ac proinde minimè de certitudine illius decretorum esse dubitandum.

Ex quibus rebus consequitur, si quis fortè in Pontificem, huius auctoritatis incapax (quod minimè vereor futurum) eligeretur, nunquam tamen fore, vt is aliquid erga vniuersam Ecclesiam decerneret, sed vel discederet è vita, priusquam ad id ventum esset, vel illius certè vitium & incapacitas Deo prouidente detegeretur. Neque verò hoc foret aliquod miraculum, sed quiddam omnino consequens ex ordinaria illa Christi lege, qua is voluit Ecclesiam suam vniuersam non per ministerium alicuius alterius hominis singularis, præterquam legitimi Pastoris, gubernare.

Erga particularem verò Ecclesiam aliquam, aut aliquas etiam personas, non esset vsque ad eò incommodum concedere, posse aliquid statuere eum, qui verus non esset Pontifex. Quo casu Deus per se (sicut in similibus casibus piè credi posse, notat ex sententia D. Thomæ & aliorum Theologorum Turrecremata) suppleret, ad aliorum

Hebr. 17.

Si quis incapax Pontificatus in Pontificem eligeretur, nunquam aliquid statueret erga Ecclesiam vniuersam: & de id probetur.

Lib. 4. de Eccl. p. 2. cap. 20.

aliorum videlicet necessarias utilitates, ministerium Pastoris veri. Ut confirmando per se (exempli causa) eos Episcopos, quos ille Pontifex confirmasse verè putaretur.

Sed quæret hîc aliquis: cuiusmodi debeat esse illud, ad vniuersalem Ecclesiam pertinens, quod cum Pontifex statuit, intelligitur sine vlla dubitatione esse verus Pontifex. Nam si opus est, ut aliquid circa fidem definiat; cum eiusmodi definitiones à paucis Pontificibus & rarò fiant; rarò etiam ex fide constabit, aliquem esse Pontificem verum.

Quandiu Pontifex nihil circa Ecclesiam vniuersam statuit, nõ esse incommodum, si nõ etiam ex fide cõstet ipsum esse verum Pontificem.

Respondeo primò, quandiu Pontifex quidem nihil erga vniuersam Ecclesiam statuit, nihil vel parum admodum imminere periculi, si diu aut etiam omnino non constaret ex fide, illum esse verum Pontificem, sed certitudine tantum morali. Plus enim quiddam est, sedem Apostolicam omnino vacare, quam non prorsus ex fide constare, num is, qui in ea præsidet, legitimè ac verè præsideat. Et tamen vacat quandoque sine magno Ecclesie incommodo sedes Apostolica aliquandiu. Minus igitur incommodum erit, si is qui in ea præsidet, morali tantum certitudine existimetur ritè præsidere, non autem indubitata fide.

Ex qualibus decretis Pontificis circa vniuersam Ecclesiam, colligi certò possit, illum esse legitimum Pontificem.

Deinde dicimus, non modò ex definitione fidei, sed etiam ex aliqua institutione circa mores, ad vniuersam Ecclesiam pertinente (quales sæpè fiunt à Pontificibus) colligi posse de fide, quòd aliquis sit verus Pontifex. Imò etiam ex dispensatione Thesauri Ecclesie per generalem indulgentiam siue iubileum. Nec enim his etiam modis Christus Ecclesie suæ prospicit, alterius ministerio præterquam veri Pastoris. Quare non ita rarò accidit, ut per fidem constet de vero Pontifice.

POSTRE-

POSTREMO à nobis illud breuiter refellendum est, quod vaniloqui hæretici obiiciunt, aliquos Romanos Pontifices à nonnullis principibus aut etiam ab aliis grauius viris vehementius quandoque reprehensos fuisse, atque etiam eo loco habitos, quasi non Petri successores & Christi Vicarij, sed Antichristi essent. Quo in calumnie genere eò etiam nostri Aduersarij processerunt impudentiæ, vt eam communem fuisse Ecclesiæ existimationem de Pontificibus Romanis suadere quidam vanissimè & mendacissimè conentur. Sed cum hanc de Antichristo contumeliam varij Theologi, nec ita pridem, doctissimè refutârint; & quo loco Romanus Pontifex in Ecclesia semper sit habitus ex allatis suprâ testimoniis aduersus istorum vanitatem, satis superque iam constet; breuiter iam pro instituto nostro respondemus: Si qui ex Orthodoxis acrius aliquando in Romanum Pontificem inuecti sunt, ij non ad locum & auctoritatem, sed ad priuata vitia personæ, seu conficta, seu vera, respexerunt. Quod nobis nihil sanè obstat. Nec enim, vt illi sedi auctoritas sua constet, defendi necesse est, omnes & singulos, qui in ea sederunt, fuisse innocentissimos.

Quin imò Schismaticis istis Romanorum Pontificum obrectatoribus, qui mendaciis ferè *diaboli voce confictis aduersus sacerdotes Dei* (vt de sui temporis hæreticis grauissimis verbis scripsit Cyprianus) *Catholica unitatis concordiam rumpere conantur*, fidenter idem respondemus, quod ad similes criminationes (sunt enim omnes hæretici, quod ad odium sedis Apostolicæ attinet, similes) olim respondit Diuus Augustinus Donatistis hæreticis. *Cathedra* (inquit) *tibi quid fecit Ecclesia Romana? in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius* (dicamus nos, Gregorius) *sedet, quibus nos in Catholica unitate cõnectimur,*

Lege præsertim Sanderû, roto l. 8. de visib. Monarch. Eccles. Item Michaëlem Agerum Friburgensem, de eodem argumento, contra Herbrandum.

Criminationibus hæreticorû, in Rom. Pont. quomodo respondendum. Lib. 2. contra litt. Petilianj, cap. 51.

& à qua vos nefario furore separastis. Quare appellas Cathedralam pestilentiae, Cathedralam Apostolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui & non facere: nunquid Dominus Iesus Christus propter Phariseos, de quibus dixit: Dicunt enim & non faciunt: Cathedra in qua sedebant, ullam iniuriam fecit? Nonne illam Cathedralam Moysi commendauit, & illos tamen, seruato Cathedrae honore, redarguit? Ait enim: Super Cathedralam Moysi sedent, quae dicunt facite, quae autem faciunt, facere nolunt. Dicunt enim & non faciunt. Hæc si cogitaretis (nonne Sectarios hodie etiam alloqui videtur?) non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis Cathedralam Apostolicam, cui non communicatis. Tum etiam idem Augustinus: Cum tales (Pharisei) sederint super Cathedralam Moysi, cui Dominus honorem seruauit: quare vos propter eos, quos istis siue iuste, siue iniuste comparatis, Cathedralam Apostolicam blasphematis? Hæc Augustinus. Quæ à nobis hoc tempore similiter, aduersus Sectariorum maledicta in Romanos Pontifices, iure optimo vsurpantur.

Matth, 23.

Lib. 2. contra
lit. Petil. cap.
72.Lib. 4. Regist.
cp. 32.

*Redarguitur
Sanctus Secta-
riorum quod
D. Gregorij te-
stimonio con-
tetur oppugnari
Rom. Pont. pri-
matum.*

Ex quo etiam intelligi potest, qua ratione & illud accipi debeat, quod D. Gregorium scripsisse legimus: Antichristi præcursorem eum esse, quisquis se, contemptis reliquijs, Episcopum vniuersalem appellare audeat. Non enim locum ipsum & dignitatem vniuersalis Episcopi Gregorius exagitat, sed superbiam & arrogantiam in eo nomine temere vsurpando. Quod vitium iure optimo in illo Ioanne Constantinopolitano, schismaticè primatum affectante, aduersus quem Gregorius eo loco scribebat, reprehendere potuit. Ac sanè maximam esse Sectariorum vanitatem, quod illud etiam Gregorij dictum aduersus Pontificis Romani primatum obicere soleant, ex ea re perspicuum est, quod in eo ipso loco, vbi Gregorius vocabulum illud exagitat, simul etiam Petri primatum, cuius

cuius ipse successorem se profitetur, agnoscit, ac luculenter afferit. *Cunctis*, inquit, *Euangelium scientibus liquet, quod* Lib. 4. epist. 32.
voce Dominica, sancto & omnium Apostolorum principi Petro,
totius Ecclesia cura commissa est, &c. Et infra vocabulum etiam ipsum vniuersalis Episcopi Romano Pōtifici à Chalcedonenſi Synodo delatum esse memorat; quamuis illud Pontifex modestè deſectauerit. *Certè*, inquit, *pro beati Petri Apostolorum principis honore, per venerandam Chalcedonenſem Synodum Romano Pontifici oblatum est* (nomen vniuersalis.) Idem alibi scribens ad illum ipsum Ioannem: Lib. 4. epist. 38.
Nunquid non, sicut vestra sanctitas nouit, per venerandum Chalcedonenſe Concilium huius Apostolica sedis Antistites, cui, Deo disponente, de seruiuo, vniuersales, oblato honore, vocati sunt?

Tria igitur à nobis hæctenus probata atque defensa sunt, ex quibus certissimè cōcludimus, Romanum Pontificem suprema in Ecclesia auctoritate ad constituendum infallibiliter de rebus fidei & morum præditum esse. Primò, auctoritatem eiusmodi Diuo Petro à Christo tributam esse. Secundò, non Petro solùm, sed eius etiam vsque in seculi finem legitimis successoribus eam à Christo auctoritatem tribui. Tertiò, Romanos omnino Pontifices esse in eo genere legitimos Diui Petri successores. Quare manet profectò Romanum Pontificem pro tempore existentem cum esse, cui tanquam successori D. Petri, vniuersalis Ecclesiæ cura, quod ad fidem moresque spectat, commissa sit, & in quo proinde de quæstionibus omnibus fidei decernendi auctoritas resideat.





A N A L Y S I S
F I D E I C A T H O
L I C A E, &c.

P A R S O C T A V A.

Q U O T I E S C V N Q U E
R O M A N V S P O N T I F E X, I N F I
*dei questionibus definiendis, illa qua est pradi-
tus auctoritate utitur, ab omnibus fidelibus, tanquam doctrina
fidei recipi diuino praecepto debet ea sententia, quam ille decernit
esse sententiam fidei. Toties autem ea ipsum auctoritate vti cre-
dendum est, quoties in controuersia fidei sic alterutram
sententiam determinat, ut ad eam recipien-
dam obligare velit vniuersam
Ecclesiam.*

*Ab omnibus ex
praecepto diu-
no recipi oport-
ere quod pri-
maria in Ec-
clesia auctori-
tate, quam Ro-
manus Pont.
tanquam D.
Petri successor
habet, defini-
tur.*

PR I O R huius assertiois pars fa-
cile probatur ex his quae haecenus sunt
constituta. Nam si D. Petro, tanquam vni-
uersali Ecclesiae Pastori, Christus auctori-
tatem tribuit, infallibiliter constituendi
de questionibus fidei; & haec eadem auctoritas Romanis
Pontificibus D. Petri successoribus diuinitus confertur
(quae duo haecenus a nobis confirmata sunt) dubitari non
potest, quin etiam Christi oues teneantur tunc saluta-
rem pastum doctrinae fidei acceptare, cum vsu illius au-
ctoritatis a Romanis Pontificibus ipsis ostenditur. Omnes
enim in primis hanc obedientiam suo Pastori atque Prae-
posito

posito debent, vt si quid ille in quæstionibus fidei infallibiliter verum tradiderit, id sibi verissimum esse persuadeant, nec possint assentiri contrario.

Ac nisi eiusmodi auctoritatem docendi Christus Domino Petro (atq; ad eum etiã successoribus eius) attribuisset, sanè quidē nec absolutam curam pascendi Dominicum gregem Petrus suscepisset (cūm pascatur ille in primis veritate doctrinæ) neq; omnino claves regni cœlorum accepisset, cūm aperiantur in primis cœli vera doctrina fidei sine qua impossibile est placere Deo.

Huc apertissimè quoq; spectat illud Christi: *Ego, inquit, rogavi pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu, aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Quod rectè in primis ad officium docendi sancti Patres referunt. Hoc & ipse Petrus etiam illis verbis testatus est: *Viri fratres, inquit, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus elegit Deus per os meum audire gentes Euangelium & credere.* Atq; eam etiam D. Petri auctoritatem D. Ambrosius pulchrè colligit, ea re à Christo significatam esse, quod aliis Apostolis præsentibus soli tamen Petro dixit: *Duc in altum, id est, in profundum disputationum.* De quo multa etiam superiùs à nobis dicta sunt, & multa quoq; disputantur eruditè tum ab aliis scriptoribus, tum præcipuè à Ioanne Turrecremata.

Cūm igitur constet, id ab omnibus in materia fidei recipi debere, quod Romanus Pōtifex D. Petri successor vtense ea docendi auctoritate, qua est præditus, infallibiliter tradit; altera nunc pars assertionis à nobis confirmanda est, nempe toties Romanum Pontificem illa docendi auctoritate vtī, hoc est, infallibiliter Spiritu sancto assistēte docere, quoties de rebus fidei cōtrouersis alterutram sententiam ita determinat, vt ad eam recipiendam

q 3 obligat

Auctoritatem
D. Petro et successoribus data,
in primis & alere ad definiendum infallibiliter de fide.

Hebr. 11.

Luc. 22.

Act. 15.

In cap. 5. Luc.

Luc. 5.
Circa locum præsertim
Matth. 16. pro
D. Petri primatu.
Lib. 2. de Eccl. cap. 107.

obligare velit vniuersam Ecclesiam. Nisi enim etiam de hoc constet, dubitare liceret, num ob eam rem fortassis Pontificis definitio in fidei quæstionibus falsa sit, quòd non sit in definiendo vsus illa infallibili auctoritate docendi, qua est præditus.

*Roman. Pont.
dupliciter ali-
quid docere
possit.*

Id autem vt probemus, distinguendi modi sunt, quibus potest contingere, Pontificem aliquid asserere. Primò enim potest sibi persuadere aut asserere aliquid, vt priuata persona quædam vel Doctor alius quispiam. Vt, si nollet Ecclesiam vniuersam ad recipiendam suam asser-tionem obligare, sed tantùm sententiam ipse suam reputaret veram. Hoc modo Innocentius tertius & nonnulli alij Pontifices opuscula varia ediderunt. Ac illa quidem, quæ sic Pontifex asseruerat, communis sententia omnium Theologorum est, non oportere esse omnia vera & infallibilia, quasi à Pontificia auctoritate profecta. Quin imò à plerisque auctoribus conceditur, fieri posse, vt Pontifex tanquam quædam priuata persona in hæresim labatur.

a Adriani, vt habetur in octaua Synodo, actio, 7. & Agathonis, vt in sexta Synodo, act. 4.
b Lib. 4. Ecclesiast. hierarch. c. 8.
c Lib. 2. de Eccles. c. 93.

Quod & quandoque euenisse, ex sexta & septima Synodo generali, itemque ex nonnullis ^a Pontificum epistolis nonnulli colligunt, in quibus commemoratur, Honorium Pontificem, defunctum, cõdemnatum esse, tanquam fuerit errore Eutychetis, de vna voluntate & operatione Christi, infectus. Et quanquam ^b Albertus Pycgius Campensis, & ante eum Ioannes à ^c Turrecremata, piè conentur hunc Pontificem (sicut & nonnullos alios, de quibus minor difficultas est) à nota hæresis vindicare, defendantque, cum aut omnino damnatum ab Ecclesia non fuisse, aut non nisi secundum falsò allegata & probata fuisse damnatum: tamen (quidquid de ea quæstione, particularis facti, statuatur) videtur saltē in illis Conciliis

ciliis & epistolis Pontificum, atque etiam in Concilio quinto Romano, admitti tanquam possibilis eiusmodi casus, quo scilicet Romanus Pontifex in hæresim priuatim labatur.

d Sub Symacho, Can. 3.

Secundo modo potest Pontifex aliquid asserere obligando vniuersam Ecclesiam, vt illud recipiat, nec quisquam audeat sibi persuadere contrarium. Et quæcunq; Pontifex in aliqua de religione controuersia sic asserit, certa fide credendum est, illum infallibiliter, ac proinde ex auctoritate Pontificia, hoc est, ex diuina assistentia, id asserere.

Atq; hoc ipsum est, quod ponimus in secunda parte illius nostræ assertionis. Quæ sic probatur: Quidquid eodem modo Pontifex determinat, id sine cōtradictione Ecclesia vniuersa tenetur recipere. Sed quidquid Ecclesia vniuersa, vno aliquo homine docente, tenetur recipere, id est veritas infallibilis, quam Spiritus sanctus ministerio legitimi Pastoris illi suggerit. Ergo quidquid eodem modo Pontifex determinat, id suggerente Spiritu sancto, tanquam legitimus Pastor, ac proinde ex Pontificia auctoritate infallibiliter determinat. Maior propositio probatur. Nam cū Christus dedit Petro & successoribus (vt superius probatum est) auctoritatem regendi totum Ecclesiæ ouile, atq; ad eò illud pascendi verbo doctrinæ; dubium non est, quin etiam oues vniuersas obligarit, ad sui Pastoris atq; Præpositi vocem audiendam: idq; tunc præcipuè cum Pastoris cura & ducatus maxime illis necessarius est, videlicet in rebus de fide ac religione controuersis. Quin imò, Diuum Petrum habuisse & successores eius Romanos Pontifices nunc habere potestatem à Christo cum auctoritate docendi vniuersam Ecclesiam (quod abundè superiore assertionem probatum est)

Quidquid in controuersia fidei Pontifex determinat, ex auctoritate sibi à Christo tributa determinatur.

est) hoc ipsum sanè est, ita docendi munus illis commissum à Christo esse, ut eorum vocem audire vniuersi fideles teneantur. Quod præclare intelligens Diuus^c Cyprianus, verissimè illud scriptum reliquit: *Non aliunde hereses oriri, quàm quòd sacerdoti Dei nõ obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* Vt iam cætera testimonia veterũ duabus præcedentibus assertionibus pro Diui Petri & successorum auctoritate citata, non repetam. Certa est igitur illa propositio maior. Minor autem eiusdem argumenti propositio patet certè ex promissionibus diuinis, quæ habet Ecclesia de doctrinæ veritate certissimas, ne vnquam tota in errorem induci possit, sicut suprà in loco de vera Ecclesia^f vidimus; itemq; ex Scripturæ testimoniis suprà in præcedente assertionem allatis, quibus sanè constat, lege ordinaria Spiritum sanctum, non per aliquem alium hominem singularem, veritatem suggerere vniuersæ Ecclesiæ (cum obligatione acceptandi) nisi per legitimum Pastorem, cui nimirum traditæ sunt oues Christi pascentæ; & super quem est ædificata ipsa Ecclesia. Ac sanè instar petræ firmissimas, maximeq; infallibiles eiusmodi Pontificum Romanorum definitiones esse, passim est à sanctis Patribus & Conciliis cõstitutum, ut videre est in plerisque^g testimoniis ex iis, quæ suprà nõ paruo numero pro primatu Petri & successorum citauimus. Prorsus ut iure ac meritò Leo decimus, articulum etiam Lutheri vigesimum octauum damnauerit, qui continebat non obstante determinatione Pontificis posse quempiam contra eam sentire.

CÆTERVM vt magis etiam huiusmodi assertio confirmetur, nonnullæ iam expediendę sunt hoc in loco difficultates. Quod faciam breuiter ad ea ipsa respondendo,

e Lib. 1. epistol. 3.

f Circa propriet. VII.

g Præsertim in iis, quæ allata sunt ex antiquis Conciliis & Pontif. & aliis circa locũ Matt. 16. Luc. 22. & Ioan. 21. suprà parte præcedenti.

In Bulla dñi. Lutheri. Ac eandem propositionem tanquam hæreticam dñauit Sixtus IIII. in Concil. Complut. cõtra Petrum quendam Oxomensẽ.

do, quæ, contra constituta hæc de Pontificis aucto-
ritate infallibili, opponi possunt. Potest autem opponi
primò, quod non satis compertum esse videatur, vtrum
Pontifex in canonizatione Sanctorum errare nequeat.
Cum enim ille testimoniis hominum & probatione ne-
cessariò in ea renitatur; vt hoc testimonium fallibile est,
sic videtur Pontifex falsò posse pronunciare, aliquem
reuera esse sanctum. Item in approbandis Religionibus
similiter errare posse videtur. Nam ex iure Canonico
constat, aliquas Religiones prius approbatas, postmo-
dum improbatas & explosas esse, vt patet in libro sexto
Decretaliù, Titulo de religiosis domibus, capite vnico,
& in Extrauaganti Sancta Romana, quæ est Ioannis 22.
Non igitur ea, quæ Pontifex determinat, omnia sunt in-
fallibilia.

Respondeo. Non est negandum, quin quod dictum
est de infallibili certitudine definitionum Pontificis, in-
primis locum habeat in iis, quæ Pontifex ad doctrinæ
controversias finiendas, erroresq; exterminandos, fide-
libus proponit, tanquam à Deo reuelata & credenda ex
fide. Cæterùm quoniam Pastorem suum semper audi-
re tenetur Ecclesia, quam diuina Scriptura absolutè præ-
dicat, *columnam esse & firmamentum veritatis*, ideoq; nun-
quam errare tota potest, dubium esse non debet, quin in
aliis quoq; rebus omnibus asserendis, quæ ad pietatem
spectent, & Ecclesiam totam concernant, infallibilis sit
Pontificis auctoritas. Neq; sanè arbitror, hoc absq; er-
rore negari posse. Vt enim aliis omnibus Ecclesiæ Mi-
nistris, ita etiam in primis summo Ecclesiæ Pastori pote-
stas auctoritasque sui muneris ad ea, quæ pertineant ad
Ecclesiæ *edificationem*, attributa est. Talia autem cum
sint quæcunq; spectant ad pietatem, dubitari non de-
bet,

*Obiectio I. con-
tra præcedentē
assertionem.*

*Responsio ad I.
objectionem.*

1. Tim. 3.

*Pontificis au-
thoritatem in
omnibus omni-
no, quæ ad pie-
tatem spectant,
esse infallibi-
lem.*

bet, quin in iis constituendis Pontifex officio suo fungatur. Cumque in usu sui muneris ille, si quid pro Ecclesia vniuersa statuit, errare (vt antea probatum est) non possit: fit vt in omnibus, quæ ad pietatem religionemque spectent, illius auctoritas (quemadmodum dixi) sit infallibilis.

Non posse Pontificem errare in canonizatione Sanctorum.

Itaque quod ad canonizationem Sanctorum attinet, omnino nego id, quod communiter Doctores Catholici iure optimo negant, videlicet posse Pontificem hac in parte errare. Quamuis enim testimonia, quæ pro alicuius hominis sanctitate afferuntur, sint humana, ideoque natura sua fallibilia: tamen posito quod Pontifex illis inducatur tandem ad pronunciandum quempiam sanctum atque beatum iam esse, certa fide credendum est, testimonia illa (quatenus in genere saltem probant pie atque sanctè quenquam ex hac vita excessisse) vera esse, & hominem eiusmodi ex eorum esse numero, quos reuelationibus Scripturæ generalibus in communi constat, diuinæ gratiæ beneficio consequi æternæ vitæ beatitudinem.

Sanctum canonizatum, esse in caelis, ex quibus Scripturæ reuelationibus, & quomodo constet.

Quæ sanè certitudo iisdem illis Dei promissionibus nititur, ex quibus compertum habemus, nunquam esse futurum, vt vniuersa Ecclesia in rebus Religionis fallatur. Falleretur autem grauius in negotio Religionis, si Sanctum reputaret, ac pro tali veneraretur eum qui Sanctus non est. Hic autem illud, quod aliàs ab Orthodoxis probatum atque defensum est, tanquam ex fide certum pono, nempe rem esse omnino, quæ ad Ecclesiæ aedificationem, adeoque ad officium Pontificis pertineat, vt Sancti quidam aliquando canonizentur: ac proinde vniuersam Ecclesiam debere, vt Sanctum venerari illum, quem summus Pontifex numero Sanctorum ad-

scribit;

scribit; sicut etiam vsus ipse perpetuus atq; traditio Ecclesie confirmat. Qua de re videri plura possunt apud ^a Thomam V Valdensem, & ^b Alfonso à Castro, itemq; apud Diuum ^c Thomam.

Ad aliud quod de Religionum approbatione in argumento obiiciebatur, ita respondeo. Cùm Pontifex Religionem aliquam, hoc est, certum aliquod vitæ institutum approbat, duo in eiusmodi facto Pontificis considerari debent. Vnum est in ipsa definitione Pontificis atque iudicio positum: nimirum quòd is asseuerat, institutum illud vitæ malum non esse, sed Euangelicæ potius perfectioni omnino consentaneum. Alterum verò spectat ad quandam Pontificis prudentiam in gubernando: nempe quòd tali vitæ instituto suum quandam in Ecclesia concedit locum.

Iam in primo illo quidem nullo modo Pontifex errare potest. Deciperetur enim tunc Ecclesia tota non parum, si is illi hominum ordo eaq; Religio à Pontifice commendaretur vt sancta, quæ non esset sancta, sed profana potius ac perperam instituta. Quocirca in Concilio Constantiensi damnatur vltimo loco error quidam VVicleffi impudentissimè asserentis, omnes Religiones indifferenter esse introductas à diabolo. Neq; ob aliam certè rationem hic error damnatur, nisi quia multæ sunt Religiones per sedem Apostolicam approbatæ. Quare profus errare cõsensus est is, qui hanc vel illam Religionem, à sede Apostolica approbatam, diceret esse aut malam aut pugnantem cum doctrina Euangelij.

Quod verò attinet ad Pontificis prudentiã in admittenda hac vel illa Religione, quibusdam sanè visum est, errari posse à Pontifice, sic vt Religionem aliquam admittat, quam circumstãtiis omnib⁹ spectatis oportuisset reiicere.

r 2 Sed

^a Tom. 2. de Sacramental. c. 122. & deinceps.

^b Li. 1. de iusta hæret. puniti, cap. 6.

^c Quodlib. 9. art. 6.

In approbatiõne alicuius Religionis duo spectanda.

1.

2.

In approbatiõne Religionis Pontifex errare non potest.

Sessione 8.

Sed ea tamen opinio iure ac meritò reprehenditur. Neque enim debet vlllo modo concedi, posse Pontificem vniuersam Ecclesiam ad rem aliquam obligare, quæ ipsa tamen non ad ædificationem, sed ad destructionem (quæcumque tandem ratione) pertineat Ecclesiæ, vt satis superque iam ex dictis intelligi potest. At cum Pōtifex locum cōcedit in Ecclesia alicui Religioni; certè vniuersam Ecclesiam catenus etiam ea re obstringit & obligat, vt nequeat illa obistere, quo minus talis Ordinis Religiosi inter fideles ipsos versari possint. Hoc igitur si incōmodum ipsi Ecclesiæ esse posset, iam illam Pontifex, ad rem obligaret, quæ non ad fidelium ædificationem spectaret, sed ad destructionem potius. Et tamen quoniam & rerum & temporum & personarum circumstantiæ sæpe mutantur, concedendum nihilominus est euenire posse, vt quæ Religio prius bene ac prudenter approbata, atque recepta fuit, postea item bene ac prudenter reiiciatur.

Quare Religiones aliqua in Ecclesia prius probata, postea reiicta sint.

Quod igitur in argumento obiiciebatur, Religiones quasdam antea probatas, postea explosas esse, id non ita factum est, quasi aliquando fuerit probata Religio, quæ esset malè ac imprudenter instituta: sed quòd postea progressu temporis visum fuerit, magis ad ædificationem Ecclesiæ conuenire, vt ex Religionibus antè probatis quædam exploderentur. Cauenda autem in hoc genere præsumptio atque temeritas est in arrogando sibi iudicio, quòd Pontifex in hac aut illa Religione prius admittenda vel post retinenda & fouenda minus faciat cōuenienter. Non enim ad quoscunque pertinet hoc iudicium, sed ad Pontificem tantum, vel ad eos, quorum ille opera vtitur in iis rebus instituendis, quæ ad commune Ecclesiæ bonum spectant. Qua sanè in re dicendi liber-

Iudicium, Stru expeditat retineri aliquam Religionem, non pertinere ad quemuis.

libertas auctoris cuiusdam & Catholici alioquā & benè eruditi, meritò ab aliis est notata atque reprehensa.

SED DICET modò aliquis: Si certum infallibiliter est, hominem illum in cœlis esse, quem Pontifex canonizat: Item illud Religionis institutum Euangelio consentaneum esse, quod ipse approbat: erit igitur fidei assensus ille, quo nobis Sanctum aliquem in cœlis esse, & Religionem aliquam esse benè institutam, persuademus. Quod si ita est, primùm oportebit reuelationem aliquam assignare diuinam, qua eiusmodi veritas contineatur, id quod videtur difficile. Deinde falsum erit, quod Theologi tradunt, nunquam aliquid per Pontificis definitionem fieri nobis ex fide certum, quod sit omnino nouum, hoc est, quod fuerit Apostolis ac veteribus Patribus incognitum. Quid enim Apostoli de Diui Francisci (v.g.) & Ordinis ab ipso instituti sanctitate nouissent? Postremò ex eare sequetur, hæreticum esse eum, qui neget Diuum Franciscum (v.g.) esse in cœlo; at talis à Doctoribus hæreticus non putatur apertè, vt videre est nominatim apud Melchiorum Canum.

Hæc paucis expediri possunt. Quod enim ad reuelationem attinet, dico satis esse in proposito generalem illam, qua constat, quidquid Pontifex determinat ad vniuersam Ecclesiam pertinens: id esse verissimum. Item ad Sanctos canonizatos illæ etiam (vt suprâ attigi) reuelationes Scripturæ pertinent, quibus generatim iis, qui piè viuunt, beatitudo cœlestis promittitur. Per determinationem enim Pontificis cognoscimus, Sanctum canonizatum in eiusmodi propositionibus Scripturæ vniuersalibus contineri: atque ita possumus sanè propter illas, fidei assensum elicere, quo nobis persuadeamus eiusmodi Sanctum æternam beatitudinem adeptum esse.

Obiectio, quod non sit fides assensus ille, quo creditur, Sanctum canonizatum, esse in cœlis; & religionem approbatam, consentaneam esse Euangelio.

Lib. 5. de locis cap. 5.

Responsio ad eam obiectiōnem.

*Nihil in Eccle.
siam fide nouū
definiri, quo-
modo intelli-
gendum.*

Iam quod de nouitate assensus fidei obiiciebatur, id nec incommodum habet vllum, neque doctrinæ Theologorum repugnat. Etenim cum illi aiunt, nullam fidei veritatem nouam in Ecclesia definiti; id intelligunt de veritate dogmatum, quæ controuerti possint circa nostræ Religionis capita: vt circa Deum, circa Sacramenta, & similia. Nihil autem obstat, quo minus de particularibus & contingentibus materiis, quales sunt illæ in nostro proposito, aliquid per definitionem Pontificis innotescere nobis de nouo possit. Quod sanè potest confirmari hoc exemplo. Communiter enim dici solet, eum qui debita cum intentione infantem baptizat, credere ex fide debere (propter reuelationem Scripturæ ea de re vniuersalem) talem infantem esse in gratia. Quod ipsum tamen ab Apostolis certè non fuit ita determinatè de eiusmodi infante creditum.

*Quis propriè sit
hæreticus.*

Ad illud autem, quod obiiciebatur postremò, negari debet illa consequentia. Non enim est hæreticus, quicumque negat aliquid, quod reuera pugnat cum sententia fidei, sed is qui negat, quod scit vel debet scire esse contra sententiam ab Ecclesia, tanquam de fide, sine vlla apud Orthodoxos controuersia, traditam. Non est autem ita prorsus ab Ecclesia tradita hæc doctrina, qua ponimus, Pontificem non posse etiam errare in canonizatione Sanctorum, & proinde ex fide credi Sanctum canonizatum esse in cœlo: Sed cum Theologi nonnulli sentiant, certum quidem esse, non posse in eo genere Pontificem errare; non esse id autem certum ex fide: opinamur nos sanè, id etiam verè esse certum de fide propter promissiones factas Ecclesiæ de omni veritate, quæ ad illius ædificationem spectet. Et consequenter etiam putamus, vel hoc ipso ab Ecclesia id esse nobis propositum, quòd
propo-

*Canus lib. 5.
de loc. Theo-
log. c. 5. & alij.*

proponit nobis Scripturas, in quibus sunt tales promissiones. Id quod nobis quidem satis est, ut conemur ipsi elicere assensum fidei circa eiusmodi veritatem; atque adeò etiam cum omnino eliciamus, si nostra sententia, quemadmodum existimamus, est vera.

Alij autem, cum non teneantur quidem sibi persuadere, veritatem eiusmodi ex fide esse certam; non illico sunt hæretici, si eam negent; quoad Ecclesia quidem non apertè declarat, certam illam ex fide esse. Sed essent tamen illi sine controuersia temerarij & scandalosi, atq; adeò digni qui ab Ecclesia puniantur, ut rectè notat Melchior Canus. Atque hætenus de iis, quæ primo loco aduersus certitudinem definitionum summi Pontificis opponerentur.

Lib. 5. ca. 5. supra citat.

SECUNDO opponi potest, quòd aliquorum Patrum scripta ab Ecclesia sunt approbata, ut Cypriani, Chrysostomi, Gregorij Nazianzeni, Basilij & Ambrosij, quæ approbantur à ^a Gelasio Papa, neque tamen omnes istorum Patrum sententiæ, infallibiles existimantur. Non igitur quicquid Pontifex decernit verum esse, id infallibiler verum est.

OBIECTIO II.

4 15. d. Can. Sancta Romana.

Respondeo breuiter, Pontificem eiusmodi approbatione non vtique decernere verum esse, quicquid illi Patres scripserunt; solum affirmat, illos benè atque vtiliter, addo etiã sanè de Religione scripsisse; sed ut homines tamen, qui non ita fuerint spiritu Dei præditi, sicut fuerunt scriptores Canonici, qui que proinde in illis rebus, quæ suo tempore non erant adeò expressè de fide, errare interdum potuerunt. Qua de re eruditè mihi scripsisse videtur ^b Canus.

Scripta quorundam Patrum quomodo sint probata ab Ecclesia.

6 Lib. 7. de locis Theol. c. 3. concl. 2.

OBIECTIO III.

TERTIO mouere fortè potest, quod nonnulli scriptores Catholicici negauerunt, oportere verum esse infallibili-

libili-

libiliter, quicquid Pontifex determinat. Non ergo vsque ad eò id est certum, quod de infallibilitate Pontificiæ auctoritatis statuimus.

*Responsio ad
obiect. III.*

*Quid sibi velle
potuerint, qui
Pontificem er-
rare posse putá-
runt.*

e Lege Melch.
Can. lib. 6. de
locis Theol.
cap. vlt. ad 11.
argum.
d Turrecrem.
lib. 2. de Eccl.
c. 112. ad 7. arg.
& li. 4. parte 2.
c. 16. modo 17.
conuincendi
aliquem de
pertinacia. Et
idem subindi-
cat Syluester,
in Summa,
verbo Opinio,
in fine.

Respondeo. Quid eiusmodi auctores voluerint, non satis illi perspicuè (vt mihi videtur) declarauerunt, atque ita non est mirum, si non satis etiam constet, illos contra fidem apertè errâuisse. Nam, si tantummodo voluerunt, Pontificem, vt priuatam personam, errare posse, aut etiam priuatam aliquem suum errorem in fide manifestum peruersè velle Ecclesiæ ipsi, aduersus exploratam alioquò in eadem Ecclesia fidem, obtrudere; rem illi opinantur non penitus improbabilem. Nam Pontificem posse priuatim in hæresim incidere, multi, vt supra vidimus, concedunt: & posse eum præterea frustra velle priuatam suam hæresim manifestam aliis etiam obtrudere, auctores etiam graues admittunt. Neq; esset id sanè coniunctum cum Ecclesiæ periculo: vtpote quæ iam agnoscens, per hæresim manifestam Pontificem eiusmodi de auctoritate sua decidisse, & contra compertam in Ecclesia fidem docere, minimè tunc eum tanquam pastorem audire, sed tanquam lupum manifestum fugere teneretur. Sin autem auctores illi volunt, Pontificem in rebus alioquò omnino controuersis, hoc est, non satis expressè in Ecclesia compertis ac determinatis, definire posse, vt personam publicam errorem re ipsa contra fidem; errant ipsi in fide grauissimè. Possent enim, imò teneretur tunc Ecclesia vniuersa Pontificem de re controuersa docentem, ac nondum hæresi manifesta notatum, pro Pastore suo agnoscere, atque ad eò ipsum omnino audire. Ita fieret, vt si tunc ille errare posset; Ecclesia etiam vniuersa posset, imò teneretur errare, quæ est hæresis intolerabilis, vt supra satis disputatum est.

Atque

Item, cūm^p Innocentius primus, qui viduas acceperunt uxores, sacerdotes fieri non debere, præceptum vocat diuina lege Mosaiica subnixum: minimè ille quidem vult, legem Mosaicam nunc etiam vim obligandi habere, sed significat, legem Ecclesiasticam, quæ bigamis sacerdotio interdicit, exemplum, & quasi fundamentum in lege illa antiqua habere.

Atque eodem modo ^q Innocentius tertius intelligi debet, cūm controuersias in Ecclesia per summum Pontificem definiri oportere, ea re confirmat, quoniam in Deuteronomio præceptum fuit, vt obediretur sacerdotis imperio: Et cum Deuteronomium, inquit, secunda lex ex vi vocabuli sit, inde comprobatur vt quod ibi decernitur, in nouo Testamento debeat obseruari. Quod minimè sanè eruditissimus alioquî Pōtifex ita intelligi voluit, quasi illa ipsa per se, quæ in Deuteronomio præcipiebantur, nunc sint necessariò faciēda, sed quia illa certè figura fuerunt eius quod nunc ex nouæ legis præscripto fieri debet. Quod proinde cūm fit, illa lex Deuteronomij quasi seruetur quodammodo in suo prototypo: vt ipsemet Innocentius pluribus verbis in eo loco declarat.

Præterea nec in definitione errauit ^r Nicolaus, cūm ad consulta Bulgarorum respondit, baptizatum à quodam Iudæo, etiam in nomine tantum Christi, rebaptizandū non fuisse. Hæc enim vis definitionis est, nō fuisse illum rebaptizandum propterea quod baptizatus esset à quodam Iudæo; de quo propriè Pontifex interrogabatur. Valere autem Baptismum in nomine tantum Christi, obiter ipse ex opinione sua (quæ etiā fuit aliquorum) adiunxit.

III.

^p In epist. 22. ad Rufum & Euseb. & reliquos Episcopos Macedonia, cap. 1.

V.

^q In cap. Per venerabilem. titulo, qui filij sint legitimi. Deutero. 17.

Quo sensu scripsit Innocentius. III. nunc etiā legem Deuteronomij esse seruandam.

VI.

^r De consecr. d. 4. Can. A quodā Iudæo.

t

Item

VII.

s Vereturit Be-
nedictus II. in
Extrauag. Be-
nedictus.

In dicta Ex-
trauag.

Item ^s Ioannes vigesimus secundus, quamuis vt fer-
tur opinatus sit, animas iustorum ante extremum Iudi-
cij diem non videre Deum (qui sanè error nō fuit semper
in Ecclesia manifestus) tamen nunquam id definiuit, vt
illius successor Benedictus vndecimus disertis verbis te-
statur.

VIII.

s In Extraua-
g. exit qui semi-
nat, de verbo-
rum signif.

s In Extraua-
g. cum inter nō-
nullos.

Item ^s Nicolaus tertius, cū inquit, Christum abdi-
cationem proprietatis rerum, tum in communi, tum in
particulari, exemplo etiam suo docuisse; minimè sanè
vult, illum omnino nunquam habuisse proprium in par-
ticulari vel in communi (quod asserere esset hæreticum,
vt ^v Ioannes postea vigesimus secundus definiuit) sed si-
gnificat certè, quandoq; etiam Christum abdicando se in
communi & in particulari à proprietate aliquarum re-
rum, vitæ etiam perfectioris exemplum præbuisse: vt
sua ipse Nicolaus sententiam satis declarat, & repetit
quoq; ex eius mente ^s Ioannes vigesimus secundus.

s In dicta Ex-
trauag.

IX.

s In epist. ad
Aug. Cætuar.
Archiepisc.

s In epist. ad
Bonifacium
Episc.

Item neq; errârunt Gregorius ^v primus & ^s tertius,
cū definierunt, si mulier ob infirmitatem debitum
reddere non possit, licere viro alterâ ducere. Loquuntur
enim illi planè in casu, quo eiusmodi aliqua infirmitate
ante matrimonium in itū mulier correpta fuerit, vt mi-
nime proindè fuerit matrimonium validum.

X.

s In Apolog.
de idololatria
cap. 5.

s Lib. 6. de lo-
cis Theolog.
cap. ult. ad 9.
argum.

In Apolog. vbi
supra.

Item Pōtifex Gelasius minimè sensit (vt Sectarij obii-
ciunt) substantiam panis manere post consecrationē in
Eucharistia. Non enim huius Gelasij Pōtificis est fragmē-
tum illud libri, quod Gelasij nomine, de duabus naturis
contra Eutychem, circumfertur, vt ^s aliàs diximus, & à
^b Melchiore etiam Cano ac ab alijs bene animaduersum
atque probatum est. Quanquam nec prorsus asserit ille
liber, substantiam ipsam panis remanere, vt in alio loco
exposuimus.

Deniq;

Deniq; quod Honorius & nonnulli alij Pontifices in errorem lapsi fuisse dicuntur (quanquam de nullo prorsus satis compertum est, pertinaciter certè errauisse) id quidem vtcunq; res habeat, non nisi ad priuatum attinet personarum vitium: atq; adeò nihil nobis obstare potest, vt qui non ipsas personas, sed auctoritatem illam Apostolicæ sedis in definiendo defendimus, sicut suprâ, Augustini etiam exemplo, respondebamus.

DE MODO QVO PONTIFICEM

oportet auctoritate sua vti.

SED CVM hætenus expositum atq; defensum sit, toties Pontificem auctoritate sua vti, atq; adeò Spiritu sancto assistente infallibiliter decernere, quoties in rebus controuersis alteram partem definit, & ad eam recipiendam obligare vult vniuersam Ecclesiam: meritò quæri hoc loco potest, quidnam illud sit, quod Pontificem præstare oporteat, vt illa auctoritate non modò vtatur, sed etiam rectè, hoc est, sine culpa vtatur. Nec enim existimandum est, nullū modum in eius auctoritatis vsu Pontificem seruare debere.

Ac principiò quidem illud extra omnem controuersiam est, Pontificem in vnaquaque re decernenda iis argumentis vel testimoniis niti oportere, ex quibus veritas quam determinaturus est, pro ratione materiæ, possit colligi quàm certissimè. Hoc primum patet ex ipsius Pontificis officio, quod est (vt patet ex Orthodoxa doctrina, quam passim etiam Vincentius Lyrinensis in libro aduersus hæreses inculcat) non noua fidei dogmata constituere, sed eruere vetera. Quam ad rem^a inquisitione aliqua pro rei subiectæ natura, opus est. Patet id etiam ex perpetuo Pontificum vsu, iam vsq; ab Apostolo Petro,

t 2 qui

*Quidnam Pō.
est factu opus
sit in fides defini-
tione.*

*a Confirmat
hanc rem totā
valde eruditè
Thom. V Val-
den. tom. 1. li.
2 doctrinalis
fidei antiquæ,
cap. 22. & de-
inceps.*

Actor. 15.

qui sanè controuersiam de cessatione legalium non nisi facta prius magna conquisitione in Concilio Hierosolymitano constituit. Deniq; ob eam rem etiam hæc Pontificis diligentia necessaria est, vt quæ ille, tanquam regula doctrinæ quædam nobis notior, constituit, ea facilius nobis persuadeamus vera esse, si adhibita etiam studij diligentia sint constituta.

Diximus verò debere Pontificem ea argumenta conquirere, quæ ad veritatem, pro ratione vniuscuiusq; materiæ, indagandam sint aptissima; quoniam vt materiæ, quæ possunt in controuersiam venire, sic etiam argumenta, quæ Pontifici consulenda sunt, latè patent. Verbi gratia, si de Sancto Canonizando, aut de Religione approbanda agitur; humana informatione & historia utatur, necesse est. Si verò determinaturus est dogma aliquod vt diuinitus relatum; illa consulat oportet, quibus diuina reuelatio pura atque integra custoditur. Cuius generis est primò *Scriptura sacra*, vt quæ rota est reuelatio diuina. Secundò, *Traditio Apostolica*, quæ & ipsa, vt dicemus, diuina quædam reuelatio est, tamen si non consignata literis. Tertiò, *Definitio* priorum Pontificum & Conciliorum. Quartò, concorsententia Patrum atque Doctorum omnium. Quintò, quadam etiam ratione, *Consensus fidelium*. De quibus rebus consentaneum erit hoc in loco quædam generatim, cum delectu & nonnulla explicatione, breuiter annotare, vt quis sit in Pontificum definitionibus istorum locorum vsus, & quàm rectè ipsis inniti illæ soleant, plenius intelligatur, & plenius etiam à nobis absoluator communis principiorum fidei Analysis.

Quæ velut regula definiendi consulti soleant à summo Pontifice.

DE QVIBVSDAM QVASI DEFINIENDI RE-
gulis, qua in determinandis fidei controuersis consuli de-
bent, & primum de sacra Scriptura.

VT IGITVR à sacra Scriptura exordiamur, quinque
potissimùm, quò rem omnem fusissimè ab aliis tra-
ctatam paucissimis complectamur, de ea sunt annotāda.

I. Quid sit. II. Quibusnam libris cõtineatur. III. Quan-
tam habeat auctoritatem. IIII. Vtrum ij etiam numero
Bibliorum libri, quos hodie habemus, suppeditare om-
nino possint argumentum infallibile ad concludendum
aliquid siue definiendum tanquam certum ex fide: in
quo est sanè huius loci præcipua quædam difficultas.
V. Postremò, quibus rationibus uti oporteat, ut vera
sententia ex Scripturæ locis elici possit.

QVOD ad primum attinet, constat inter omnes, Scri-
pturam, diuinam esse doctrinā, quam Spiritu san-
cto inspirante atque dictante auctores sacri literis man-
dauerunt. Itaque & Apostolus eam nominauit doctri-
nam *diuinitus inspiratam*, & idcirco etiam *Dei verbum* lite-
ris expressum dicitur. Etenim cognitio illa sacris expres-
sa literis, quam Deus Canonicis scriptoribus indidit,
quamque per illos voluit cæteris scripto pateferi, velut
sonorum quoddam verbum Dei est, quo is videlicet con-
ceptum æternæ mentis suæ, notitiāque verissimam,
hominibus eloquitur atque manifestat.

Cæterùm cum doctrinam hanc Spiritu sancto di-
ctante esse à sacris auctoribus exceptam literisque man-
datam dicimus, non utcunque significare volumus, Spi-
ritu sancto dirigente sacros auctores illam infallibiliter
scripsisse. Nam & Pontifices summi certam quandam
Spiritus sancti assistentiam habent, cum definiunt con-
trouersias fidei, ut antè ostensum est; neque tamen illo-

*Tractatio tota
de Scriptura
sacra quæque
punctis conti-
netur.*

I.
*Scriptura sacra
ratio qua sit.*

2. Tim. 3.

*Quare Scriptu-
ra nominetur
Dei Verbum
expressum.*

*Quo sensu in-
telligi debeat,
eam à Spiritu
sancto fuisse
dictatam.*

Scriptores Canonici quomodo se habuerint in sacra doctrina literis mandanda.

Pfalm. 44.

Pfalm. 147.

Quid sit Scriptorem sacrum agi potius à Spiritu sancto quam agere.

Ierem. 36.

rùm definitiones, quantumuis ab ipsis conscriptæ, Scriptura sacra sunt, aut esse dicuntur, sicut nunc quidem loquimur de Scriptura sacra. Auctores igitur Canonicos scribere Spiritu sancto dictante, ob eam rem propriè dicimus, quoniam in doctrina scripto tradenda sic illorum opera Spiritus sanctus utitur, ut in eo quidem negotio, non tam illi agant quàm agantur à Spiritu sancto; planè instar calami, cum usurpatur à scriptore. Quo & illud Dauidis spectat: *Lingua, inquit, mea, calamus Scribae velociter scribentis.* Nec enim alium hoc loco Scribam significat præterquam ipsum Deum: quem & alibi ait: *Emittere equum suum terræ, & velociter currere sermonem eius.*

Porro sacrum Scriptorem agi potius à Spiritu sancto, quàm agere, asserimus, primùm propter facilitatem, qua is sine vlllo suo labore, Spiritu sancto docente ac dirigente, cognoscit ac scribit omnia etiam minutissima verissimè: cum tamen Pontifex, ut rectè, hoc est, sine culpa definiat, & studio ac diligentia opus habeat, nec etiam omnia sint certa ac infallibilia, quæ obiter ille inter definiendum asserit, ut supra notauimus. Hanc autem auctoris sacri facilitatem in cognoscendo atque scribendo certissimè, *velocitas illa* significat, quam Dauid locis proxime citatis diuino tribuit eloquio. Itaque cum Baruch à Principibus Israel interrogatus esset, qua ratione Ieremias ipsi librum dictauisset: *Loquebatur, inquit, ex ore suo, quasi legens omnes sermones istos.* Quo loco significat, perinde fuisse faciliè Ieremias, Spiritu sancto suggerente, illa omnia pronunciare, atque est omnino, aliquam Scripturam simpliciter legere.

Deinde ob eam causam quoque Scriptorem sacrum agi potius à Spiritu sancto asserimus, quia etsi sponte quidem scribat, at scribit tamen omnino necessariò, ita
vt

vt (Spiritu sancto sic efficaciter volente) minimè in ipsi-
us arbitrio sit positum aut non scribere, aut alio modo,
alio tempore, aliis verbis scribere: cùm tamen summus
Pontifex (quod ad eas quidem attinet definitionis cir-
cunstancias) arbitrio suo in definiendo vtatur. Atque
hoc ipsum propriè est, auctorem sacrum esse quasi Spi-
ritus sancti calamus, in cuius videlicet potestate non est,
vt eo scriptor vtatur, vel alio modo vtatur. Ex quibus
non modò Scripturarum sacrarum ratio, sed etiam dis-
crimen inter illas & alias Scripturas humanas, perspicu-
um est. Quæ sanè de re & de Scripturarum nomine, argu-
mento, antiquitate, &c. eruditè inter ceteros tractat Io-
annes Driedo.

Lib. 1. de Scri-
pturis, cap. 1.

DE SECUNDO autem puncto breuiter statuendū est,
Scripturam sacram illis omnibus ac solis contineri
libris, qui communiter nunc exstant in Bibliis sacris, exce-
pto tertio & quarto libro Esdræ. Quæ assertio ex fide est
certissima. Nam libros hos Ecclesiæ Canon ex veteri tra-
ditione probauit. Est enim Ecclesiæ officium ea, quæ sunt
diuinitus reuelata, fidelibus credenda proponere, ac pro-
inde etiam quinam sint libri sacri in primis determinare.
Id quod etiam Diuus^a Augustinus & passim alij Patres
confirmant: vt non immeritò idem sit in^b Concilio eti-
am Tridentino definitum.

I I.
Qui libri sint
Canonici.

*Ecclesiæ aucto-
ritate constitus
canonem libro-
rum sacrarum.*
a Lib. 13. cont.
Faustum c. 5.
& l. 23. c. 9. & l.
33. c. 6. & l. 1. de
de consensu
Euang. c. 1. Et
Irenæus lib. 3.
c. 4. quatenus
asserit veritatē
fidei non nisi
ab Ecclesiā pe-
tendam esse.
Item Patres
Concil. Tole-
ranit. in asser-

Porro libri iam dicti tanquam sacri & Canonici non
modò in Concilio^c Florentino sub Eugenio quarto & in^d
Tridentino numerantur, sed iidem etiam probati olim
fuerunt à Concilio^e Carthaginensi tertio (à Leone quar-
to Pont. confirmato) & ab Innocentio primo. Et eos-
dem tanquam Canonicos numerauit^f Innocentius pri-
mus,

ratione fidei. D. Athanas. in Synopsi, &c. *b* Sess. 4. *c* In vniōne Armen. *d* Sess. 4. *e* Cap. 47.
f Epist. 3. ad Exuperium.

g Lib. 2 de doctrin. Christ. cap. 8.
 h Lege præfertim Melch. Canum, lib. 2. de locis Theolog. cap. 9.
 i Lib. 6. de monstr. Euang. cap. 19.
 k Lib. 2. pedag. cap. 3.
 l vi constat Jerem 36.

Auctoritas eorum librorum quos ex Canone reiciunt Sectarij, probatur Veterum testimoniis.

m Epist. 1. & 2.
 n Epist. 1.
 o Epist. 1.
 p Epist. 1.
 q In Concil. 70. Episcop. Refertur inter eius decreta.
 r In præfat. in lib. Iudith.
 s Epist. 1.
 t Epist. 2.
 u Epist. 1.
 x Lib. 2 de doctr. Christ. cap. 8. & lib. de præd. Sanct. cap. 14.
 y Rom. 11. & Iacob. 1.

z In cap. 5. ad Rom. a Lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 36. & l. 2. de doctr. Christ. c. 8. b Lib. 6. Etymolog. c. 1. c In præfat. in pet. epist. ad Hebr. d Cap. 10. e In Synopsi sub finem enumerationis epist. Pauli, & Apocal. f Apud Euseb. lib. 6. hist. Eccl. c. 18. g In præfat. epist. ad Hebr. h Lib. 3. de Trin. cap. 11 & lib. 2. de doctr. Christ. cap. 8. & c. i In epist. ad Dardan.

mus, & ^s Augustinus, qui Concilio illi Carthaginensi interfuit. Quanquam fatendum est, ante Concilium Florentinum non fuisse in locis citatis factam libri Baruch expressam mentionem. Sed ut à pluribus rectè ^h notatum est, causa cur hic liber in Catalogo olim præteriretur, non fuit, quòd pro Canonico non haberetur. (est enim illius etiam prophetia planè diuina, ut iam olim ⁱ Eusebius Casariensis, & ^k Clemens Alexandrinus disertè testati sunt) sed quòd Baruch scriptor fuerit ^l Jeremiz. Itaque librum illius ad Ieremizæ librum veteres Patres retulerunt.

Atque auctoritas quidem eorum etiam librorum nominatim, quos huius tempestatis Sectarij pro Canonicis non habent, præterquam quòd hi etiam libri inter Canonicos ab Ecclesia locis citatis numerati sunt, passim quoque ab antiquis Patribus asseritur atque ut sacrosancta vsurpatur. Libri quidem ^m *Tobie*, à Clemente primo, ab ⁿ Anacleto, ab ^o Alexandro I. à ^p Marcello I. à ^q Gelasio. Libri *Iudith* ab iisdem Patribus, itemque teste Diuo ^r Hieronymo, à Nicæna Synodo. Libri *Sapientia & Ecclesiastici*, ab ^s Euaristo, à ^t Fabiano primo, à ^v Sixto primo, ab ^x Augustino: quin etiam in ipsa Scriptura ^y noui Testamenti ex eiusmodi libris, sicut ex aliis Canonicis, testimonia citantur. Librorum *Maccabæorum* ab ^z Origene, ab ^a Augustino, ab ^b Isidoro (sicut & libri omnes iam commemorati) & ab aliis. Epistolæ ad *Hebræos*, à Concilio Nicæno teste Diuo ^c Thoma, item à Concilio ^d Ephesino, & grauiissimè sanè verbis ab ^e Athanasio, ab ^f Origene, à ^g Theodoro, ab ^h Augustino, ab ⁱ Hieronymo. Posterioris

oris Epistolæ *Diui Petri* ab^k Hieronymo, ab^l Augustino, ab^m Isidoro, àⁿ Damasceno. Secundæ & tertiæ epistolæ *Ioannis* ab iisdem Patribus, itemque à Diuo^o Dionysio. Epistolæ *Iacobi* à Concilio^p Laodiceno, à^q Clemente Romano, ab^r Anacleto, ab^s Alexandro primo, ab^t Urbano primo, ab^v Hieronymo, ab^x Augustino, ab^y Isidoro, à^z Damasceno. Epistolæ *Iudæ* ab^a Anacleto, à Diuo^b Dionysio, ab^c Hieronymo, ab^d Isidoro, à^e Damasceno & passim aliis. *Apocalypsis* denique Diui Ioannis, à Concilio^f Ancyrano, à^g Toletano quarto, à^h Tertulliano, àⁱ Origene, à^k Epiphanio, à^l Chrystostomo, à^m Hieronymo, àⁿ Damasceno, passimque ab omnibus aliis.

^r Epist. 1. ^s In Catalogo script. Eccles. ^x Lib. 2. de doctr. Christ. cap. 8. ^y Lib. 6. Etymol. c. 1. ^z Lib. 4. fid. Orthodox. c. 18. ^a Epist. 1. ^b Lib. cœlest. hierarch. c. 3. ^c Epist. ad Paulinum. ^d Lib. 6. Etymol. c. 1. ^e Lib. 4. fidei Orthodox. c. 18. ^f Cap. 24. ^g Cap. 16. ^h Lib. 4. cont. Marcion. ⁱ Apud Euseb. l. 6. c. 18. ^k Hæresi 51. ^l Teste Suida, ubi agit de Ioanne Euang. ^m Epist. ad Paulinum. ⁿ Lib. 4. fid. Orthodox. cap. 18.

Nec verò Sectarij vt hos libros Canonicos esse negent, iustè ea ratione mouentur, quòd à nonnullis olim fuerit de horum auctoritate librorum addubitatum. Quid tum? An non etiam pleraque fidei Decreta, motis præsertim controuersis, tandem clarè definita in Ecclesia atque ad credendum sine vlla dubitatione fidelibus proposita sunt, de quibus antea tamen obscurata non nihil fidei veritate (vt hominum interdum conditione innataque caligine fit) dubitari potuit? Nonne & ipsi etiam^o veteres, eos libros, de quibus aliquando dubitatum fuisset, tandem vsu atq; Decreto Ecclesiæ certam auctoritatem obtinuisse agnouerunt? Sed Ecclesiæ, inquit Kemnitius, quæ nunc est & post Apostolorum tempora fuit, auctoritatem asserenti aliquorum librorum tum demum credendum est, si possit proferre certa testimonia eorum, qui acceperant & nouerant testificationem primæ Ecclesiæ de Germanis scriptis.] Agnoscunt atq;

v faten-

^k In epist. ad Paulin.
^l Lib. 2. de doctr. Christ. cap. 8.
^m Lib. 6. Etymol. cap. 1.
ⁿ Lib. 4. fidei Orthodox. cap. 18.
^o Lib. de cœlest. hierarch. cap. 3.
^p Cap. 59.
^q Epist. 2.
^r Epist. 1.
^s Epist. 1.

^o Hieron. in Catalog. script. Eccles. de Iacobo & Iudæ. D. August. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 8. Athanasius in Synopsi, &c.

In examine Sess. 4. Concil. Trident.

fatentur isti igitur, posteriorem Ecclesiam in eo ipso quidem quod de primæ Ecclesiæ testificatione documenta quædam atque testimonia proferat, non posse nos fallere. Nam si illa ipsa testimonia atque documenta potest comminisci, non esset illi tum certè credendum. Quid igitur? An in proferendis antiquæ primæque Ecclesiæ testimoniis de libro aliquo sacro fallere Ecclesia non potest, & in ipsa assertionem auctoritatis libri sacri, potest fallere? Quid autem, si veterum documenta de alicuius libri sacri antiqua testificatione interirent? Ideò ne dubiam oporteret esse semper in posterum auctoritatem eiusmodi libri, nec posset aliquid de illa certi, Spiritu sancto suggerente, Ecclesia statuere? Accedit, quòd ex allatis testimoniis veterum pro auctoritate illorum librorum apparet ita tandem fuisse pro maiori & potiori parte in Ecclesia eosolim pro Canonicis habitos, ut si qui contra illorum auctoritatem reiecerunt (ferè enim in genere tantum perhibetur, à quibusdam illos non fuisse receptos vel de illis fuisse dubitatum, &c.) fidem non merentur: meritoque habeantur ab Ecclesia testimonia contraria pro certis. Et nihilominus tamen rectè monuit Augustinus (ex mente etiam aliorum veterum) in ipsis Scripturis Canonicis illas primo loco habendas esse, quæ vel auctoritate communi, vel certè plurium Ecclesiarum, sint olim receptæ: non quòd aliquas ex iis, quas Augustinus in Canone numeravit, putarit ipse non esse infalibiles (vocat enim absolute eas omnes *Scripturas divinas*) sed quoniam illæ certè quæ vel à nullis vel à paucioribus in dubium reuocatae fuerunt, quodammodo, ex parte quidem ipsorum hominum, sunt certiores, magisque adeò idoneæ ad auctoritatem dogmatum in controuersis quæstionibus confirmandam. Quod est diligenter

Lib. 2. de doct.
Christ. c. 3.

Loco citato
initio capitis.

rer aduersus Kemnitij & aliorum Sectariorum cauillationes in hac quæstione notandum. Sed neque institutum meum postulat, nec patitur breuitas mihi proposita, vt argumentum hoc à pluribus aliàs copiosè tractatum, prolixius hîc ego persequare; quod ipsum tamen satis mihi videtur hac explicatione, & illis, quæ commemorauî, Ecclesiæ antiquitatisquæ testimoniis, esse firmatum.

Illud fortassè dicet nunc aliquis: Scriptura quædam quasi regula est (vt in hac disputatione ponimus) qua debet Ecclesia adeoque summus Ecclesiæ Pastor, niti in fidei controuersis determinandis. Non igitur ad Ecclesiam spectat constituere, quænam sit Canonica Scriptura. Nam si ad eam id spectat, primùm Ecclesia regula potius iam erit Scripturæ, non è contrario. Deinde, perinde nobis erit, si Ecclesia ex Scriptura tanquam ex regula definiat, atque si absque vlla regula definiret: siquidem ipsa Ecclesia sibi auctoritate propria constituit ad definiendum regulam. Ita definitiones illius non esse debent apud nos magni ponderis.

Ego verò ad hoc breuiter ita respondeo. Si Ecclesia in determinandis libris Canonicis humano spiritu ducetur, omnino incommodum esset, quòd ad Ecclesiam pertineret determinatio Scripturæ Canonica, ex qua sunt ab ipsa Ecclesia definiendæ fidei quæstiones. Modo verò, cum à Spiritu sancto in ea determinatione, sicut & in aliis omnibus (vt suprâ demonstratum est) Ecclesia dirigatur; nullum omnino est incommodum, quòd ipsa etiam Ecclesia regulam illam infallibiliter ditudicet, ex qua oporteat fidei controuersiam certò determinare. Habet enim Ecclesia de vtroque certam à Deo promissionem, videlicet, & quòd controuersiam fidei certò de-

Lege præsertim Ioan. Driedon. lib. 1. de script. & Canonum, lib. 2. de locis Theol. & Andradiū. & Tiletanū. contra Kem.

Ecclesiam in definitionibus fidei Scriptura Canonica niti oportere, & tamen ab illa ipsa determinari quænam sit Scriptura Canonica; cur non sit incommodū.

finiet, & quod infallibiliter ad eò cognoscet, quænam sit Scriptura diuinitus reuelata, cui oporteat esse consentaneam illam fidei definitionem.

Hoc ex ea potissimum Christi promissione colligitur, quæ exstat in Euangelio Ioannis: *Ille, inquit, vos docet omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixerò (seu dixi) vobis.* Hoc enim vel maxime proprie est, Spiritum sanctum Ecclesiæ suggerere, quæ Christus dixit; docere nimirum illam, quænam sit cœlestis doctrina, quam Christus per Apostolos suos vel scripto vel viua voce loquutus est. Itaque si hanc Ecclesiæ auctoritatem tribuimus, nullum inde incommodum consequitur ex iis quæ obiciebantur. Primum enim non id eò concedendum est, Ecclesiam esse regulam ipsius per se Scripturæ (vt Sectarij nos existimare vel malitiosè vel ignorantèr cauillantur) sed nobis ipsis potius auctoritatem Ecclesiæ pro certa regula propositam esse, vt quænam sit diuina doctrina sine errore cognoscamus. Deinde cum Spiritu sancto docente, atque ad eò infallibiliter, Ecclesia etiam determinet quænam sit Scriptura diuina; nihilo minoris ponderis apud nos esse debent Ecclesiæ definitiones consentaneæ huic Scripturarum regulæ, quàm si non ipsius Ecclesiæ auctoritate, sed aliunde quænam sit diuina Scriptura certò nobis constaret. Quid enim omnino certius eo esse potest, quod Spiritu sancto suggerente ab Ecclesia decernitur?

Ioan. 14.

Quid potissimum sit Spiritum sanctum, suggerere Ecclesiæ quæ Christus dixit.

Ecclesiam minime esse ipsi Scripturæ regulam, sed nobis potius, sit Scripturam Canonice certò agnoscimus.

III.

Quanta Scriptura sacra sit auctoritas.

Scripturam esse doctrinam diuinam quare credimus.

QUIBUS rebus ita explicatis nihil ferè difficultatis superest in puncto tertio supra posito: nempe quanta sit Scripturæ auctoritas. Est enim diuina prorsus ac proinde omnino infallibilis. Quod ipsum quidem ex fide nobis constat, tum ob reuelationem diuinam in eadem Scriptura contentam, tanquam ob rationem, in quam proprie

propriè ipsa fides respicit: tùm etiam ob Ecclesiæ Propo-
sitionem, tanquam ob conditionem quandam, vt id ipsi
Christiana fide credamus, requisitam: tùm postremo ob
communia fidei motiua, tanquam propter argumenta
videlicet, quibus animum inducimus credere nō modò
quæ in Scripturis continentur esse omnia verissima, sed
in primis etiam Scripturas ipsas esse diuinas. De quibus
rebus cùm in huius libri initiò satis à nobis dictum sit, ni-
hil est hoc loco repetendum.

Tantum ad quæstionem illam, quam nonnulli (ne-
scio an satis vtiliter) hîc mouerunt, vtra videlicet sit ma-
ior auctoritas, Scripturæ ne an Ecclesiæ? Breuiter mihi
videtur tribus pronüciatis respōderi posse. Primò, aucto-
ritatem Ecclesiæ latius quidē patere, atq; ita extensiuè
quidem (sicut in scholis loquimur) posse dici maiorem.
Secundò, re ipsa sanè neutram per se seu intensiuè esse al-
tera maiorem absolute, pariq; adeò per se veneratione
vtramque esse dignam. Tertiò, si ad vtriusq; auctori-
tatis quendam quasi modum, maioris cuiusdam esse digni-
tatis auctoritatem Scripturæ, hoc est, meritò à nobis eam
tanquam diuinius aliquid suspici.

Primum probo. Quoniam Ecclesia sanè auctori-
tatem habet infallibilem & asseuerandi directò ipsam veri-
tatem fidei (in quo cum Scriptura, quoad infallibilitatē
quidem conuenit, etsi non quoad modum asseuerandi)
& præterea proponendi fidelibus ad credendum tùm
ipsam Scripturam, tùm etiam clarè & expressè quam-
cunq; fidei veritatem in omnibus omnino controuersis
quæ oriri possunt, id quod non perinde Scriptura præsta-
re potest, vt satis suprà docuimus.

Secundum autem pronüciatum ea ratione probo,
quòd tam Ecclesia, quàm Scriptor Canonicus eodem

Parte I. initiò.

*Respōdetur ad
quæstionem de
comparatione
Scripturæ & Ec-
clesiæ tribus pro-
nunciatis.*

1.

2.

3.

*Auctoritatem
Ecclesiæ latius
patere quàm
auctoritatem
Scripturæ.*

*Vtramq; aucto-
ritatē esse per
se aq̄ue infalli-
bilem.*

*Respectu nostri
quidem ma-
orem quandam
esse dignitatē
in Scriptura,
spectato illius
proprio modo.*

Dei Spiritu suggerente pronunciant. Itaque, quodatti-
net quidem ad asserendi infallibilitatem & certitudi-
nem, paris sunt per se auctoritatis. Tertium deniq; pro-
bo ex diuerso modo, quo, vt suprā docuimus, aliter atq;
aliter Ecclesia, & scriptor Canonicus, Spiritus sancti in-
stinctu pronunciant. Habet enim modus ille scriptoris
Canonicus in se quid maioris dignitatis propterea quòd
non tam ipse scriptor agit in ea re quàm agitur, nec vide-
tur proinde nisi Deus ipsemet per Scripturam loqui. Ac-
cedit quòd Ecclesia ipsa etiam nititur in suis definitioni-
bus Scripturæ auctoritate, tanquam fidei quodam fun-
damento ob diuinam reuelationem, quæ sacris ipsis lite-
ris continetur. Quæ omnia sanè efficiunt vt secundum
nos quidem, & secundum modum vtriusq; auctoritatis,
maior quædam in Scriptura, quàm in Ecclesia dignitas
esse videatur. Quæ explicatione adhibita, non erit diffi-
cile auctorum hac de re varias sententias in concordiam
redigere. Et certè oportet conueniat re ipsa inter Or-
thodoxos de hac quæstione, modo rectè illius ambigui-
tas distinguatur.

III.

*Verum hi libri
sacri qui nunc
exstant, sint in-
fallibiles.*

QUARTVM, quod de Scriptura explicandum propo-
sueramus, difficultatē propterea non exiguam ha-
bet, quòd vt ex iis numero libris sacris, qui circumferun-
tur, argumentum infallibile ducatur, necesse est constet,
illos ipsos prorsus esse sacros, qui veritatem videlicet in-
fallibilem contineant. At hoc non satis constare posse
videtur.

*Argumentū 1.
in partē nega-
tiuam.*

PRIMO, quoniam non sunt Latini isti libri illi ipsi,
qui Spiritu sancto dictante à Canonicis auctoribus par-
tim Hebraicè partim Græcè excepti sunt, sed alij certè
vel interpretum vel impressorum opera descripti; qui
quidem errare potuerunt negligenter ex alio idiomate
verten-

vertendo, aut imprimendo typis. Cuius rei argumento etiam esse videtur impressionum atque versionum tanta varietas.

SECUNDO, quoniam si maximè constaret, hos libros nullo modo, quod ad sententiam attinet, ab originalibus discrepare, ac proinde esse diuinos; at non satis constare videtur, omne illud esse infallibile, quod diuinitus est dictatum. Cur enim non posset Deus, potentia saltem sua absoluta, per se aut per hominis ministerium generare in hominum mentibus conceptum falsum? Et accedit ad huius rei confirmationem, quòd non semel videtur Deus iam falsum per se aut per alium dixisse.

Quod probari posset ex nonnullis Scripturæ locis. Primus est Genesis quarto, vbi Dominus Cain verè tunc occideretur dixit: *Nequaquam ita fiet*, & tamen ita postea factum est. Nam aliqui Doctores putant, eum interfectum à Lamech. Secundus est Genesis vigesimo secundo; vbi Abraham conscensurus montem, vt immolaret Isaac, dixit ad pueros: *Expectate hic: ego & puer illic vsq; properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Quo loco primum instinctu diuino Abraham est locutus, vt ait Diuus Ambrosius; & tamen, vt apparet, est mentitus: siquidem putabat se immolaturum Isaac. Tertius est Genesis vigesimo septimo, vbi Iacob fraudulenter egit cum Isaac patre suo, & omnino mentitus fuisse videtur, inquiens:

Ego sum primogenitus tuus Esau, quæ tamen, vt ait Innocentius Pōtifex, Spiritu Dei instinctus ille ita dixit. Quartus est Esaiæ trigesimo octauo (de quo etiam quarto Regum vigesimo) vbi Dominus per Esaiam Ezechia nunciavit mortem eius instare, quod tamen falsum fuit, cum quindecim annis vltra vixerit. Et exstant multæ tales prophetiæ, quæ videntur similiter fuisse falsæ. Quintus, est

Argument. II.

Obiicitur nonnulli Scripturæ loci in quibus prima facie videri posset Deo per se aut per alterum dixisse falsum.

Li. i. de Abraham, c. 8.

In cap. Gaudemus, de diuortio.

est tertio Regum vigesimo secundo, vbi cum Dominus diceret: *Quis decipiet Regem Achab, &c?* prodiit Spiritus (nequam videlicet) qui suscepit se decepturum & illum & omnes eius Prophetas. Quod Dominus vt faceret iussit, inquit: *Egredere & fac ita.* Vnde Propheta Michæas ibidem: *Ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum.* Adde quod multis aliis ^a Scripturæ locis aperte dici videtur, Deum solitum esse decipere & tradere in reprobum sensum. Ex quibus apparet Deum re ipsa decipere, nedum posse id facere de potentia ordinaria aut absoluta. Quod rursus confirmatur etiam auctoritate ^b Augustini, qui negat quidem Deum decipere per spiritum bonum: concedit tamen eum posse decipere per spiritum malū. Item ^c alibi fusè docet, solere Deum mouere etiam hominis mentem ad falsum.

TERTIO, dato quòd hoc ipsum satis constaret, videlicet verum esse id omne, quod Spiritu sancto dictante scriptum est, at non videtur satis item constare, id omne quod in his libris continetur Spiritu sancto dictante esse scriptum: imò quædam videntur Scriptores Canonici de suo spiritu interseruisse, præsertim quæ sunt minoris momenti; quale videtur illud, quod Apostolus scribit: ^d *Luceas mecum est.* Et: ^e *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum;* & alia horum similia. Ita cum non possit facillè discerni, quo loco Scriptor Canonicus infallibiliter loquatur suggerente Spiritu diuino; ex nullo Scripturæ loco argumentum infallibile duci posse videtur.

QUARTO, dato quòd etiam constaret, sententias omnes horum librorum profectas esse ex Spiritu diuino; at sensus illarum verus admodum obscurus est, nec satis in controuersis materiis exploratus. Quapropter cum

ex sen-

^a Iob. 12. v. 17.
Isai. 63. v. 17.
Ezech. 14. v. 9.
Rom. 1. v. 28.
&c.

^b Lib. 83. qq.
9. 53.

^c Lib. de gratia & liber arbit. c. 21.

Argum. III.

^d 2. Tim. 4.

^e Ibidè, &c.

Argum. IIII.

ex sensu Scripturæ (quæ ut inquit Diuus^f Hieronymus, *Non in verbis, sed in sensu est*) argumentandum fit; argumenta, quæ ex dubio & incerto sensu ducentur, non poterunt esse ad controuersias determinandas penitus certa atq; infallibilia. His igitur rationibus probari videtur, non posse hosce libros, quos habemus, infallibile argumentum suppeditare ad definiendum.

CÆTERVM hæc quidem nullo modo vel possunt vel debent mouere eos, qui grauiissimis illis nostræ fidei motiuis, à nobis initio huius libri expositis, prudentissimè ac necessariò adducti iam (Dei beneficio) sunt, vt doctrinam Christianam, atque adeò Scripturam sacram (quæ nunc videlicet in Ecclesia habetur) verissimam esse sibi persuadeant. Quo fundamento iacto faciliè fuerit aduersus obiectas rationes defendere, infallibile prorsus argumentum ad definiendum peti posse ex his ipsis Bibliorum libris, quos Ecclesia hodie vsurpat: Id quod sanè certissimum est ex fide.

Nam primum ex ipsa Scriptura sacra (quam veram esse euincunt illa fidei motiua, de quibus dixi) constat, Christum Dominum sufficièter prouidere Ecclesiæ suæ, ne tota erret. Errare autem posset, si libri illi numero, quibus vt sacris vtitur, non essent sacri. Certum igitur ex fide est, libros huiusmodi veram & infallibilem veritatem continere, sacrosq; esse.

Deinde hoc idem confirmatur auctoritate ipsius Ecclesiæ, quæ hos ipsos libros tanquam Canonicos recipit. Vt enim suprà dictum est, ipsi Ecclesiæ commissa est custodia librorum sacrorum. Vnde non minus debemus credere proponenti nobis hos libros, quàm si ipsos originales seruaret. Nam ne tunc quidem aliunde comperitum haberemus, tales, esse libros Canonicos, nisi ex Ec-

f. In caput 1.
ad Galat.

Parte I.

Esse omnino infallibiles illos ipsos libros sacros qui existunt in Ecclesia.

Probatur I.

2.

x

clesiæ

Li. r. de script.
cap. i.
*Responso ad
contraria ar-
gumenta supra
posita.*

Ad L.

*Fas nō esse iam
dubitare, quin
Vulgata editio
Bibliorum, sit
authenticā.*

Sessione 4.

*Quid sit, edi-
tionem illam
esse authenti-
cam.*

eleſie testimonio, vt bene ac prudenter hoc loco à Ioan-
ne Driedone noratum est.

AD PRIMVM igitur argumentum contrarium, re-
sponderetur, potuisse quidem vnum aut alterum interpre-
tem vel impressorem errare, aut etiam aliquos, sed vt o-
mnes omnino errarent, fieri nequaquam potuisse; diui-
na nimirum providentia, propter Ecclesie bonum, id
prohibente. Quam ob rem omnes illi codices (quocun-
que idioma conscripti fuerint) quibus Ecclesia Catho-
lica, tanquam authenticis in materia fidei, aliquando vſa
est, certis & indubitati fuerunt, quod attinet ad illa omnia,
in quibus eiusmodi libri cōcordarunt. Nam de locis qui-
dem aliquibus minoribus non pertinentibus ad ipsa
dogmata fidei, aliqua potuit esse controuersia quamdiu
Ecclesia nullam editionem Bibliorum speciali defini-
tione approbavit.

Iam verò, post Concilium Tridentinum dubitare
non licet, quin editio vulgata vetus, quæ in primis à Divo
Hieronymo partim conscripta, partim emendata est, di-
uinam doctrinam contineat, sitque per omnia in sensu
quidem concors illi Scripturæ, quæ primò ab auctori-
bus sacris Spiritu sancto dictate est excepta. Etenim eius-
dem Ecclesie auctoritate (nempe Romanæ, quæ sola ve-
ra & Catholica est, vt supra conuicimus) qua omnino et-
tiam aliquam esse Scripturam Cronicam constat, in eo
Concilio definitum est, editionem hanc authenticā esse,
grauiterq; præceptum, vt pro authentica in concioni-
bus, lectionibus, disputationibus, & expositionibus, ha-
beatur, nec vllus eam, reiicere, quouis prætextu audeat
vel præsumat. Esse autem versionem aliquam authen-
ticā, nihil hoc loco aliud est, quàm esse eam omnino in-
sententia cōformem Scripturæ originali, ac proinde do-
ctrinam

trinam diuinam continere, ex qua certò possint con-
trouersæ fidei determinari.

Quod autem Concilium addit: ne vllus illam quo-
uis prætextu audeat reiicere, id profectò euidenti argu-
mento est, in omnibus omnino locis, & quod attinet ad
omnes Scripturæ sententias, esse hanc editionem vt au-
thenticam à Concilio approbatam. Secus enim, prætex-
tus aliquis superesset, quo, non obstante hac definitione
Concilij, posset aliquando ea editio in disputationibus
reiici: nempe si diceretur, in hoc ceterò aut in illo loco
non esse huius editionis auctorem Spiritus sancti men-
tem assecutum. At, ne vllò vnquam prætextu hæc edi-
tio reiiceretur, omnino voluit Concilium prohibere.
In omnibus igitur locis eam haberi voluit pro authen-
tica.

Neq; tamen contendimus, errores etiam Typogra-
phorum (vt Kemnitius & alij Sectarij calumniantur) si
qui in aliqua exemplaria irrepererunt, à Concilio Triden-
tino probari: Vt quod obiiciunt illi, capite vndécimo Iu-
dicium, pro, *Alteram matre*, lectum fuisse, *Adulteram matre*,
& similes quasdam nugas. Sed probauit Concilium ve-
terem eam editionem benè atq; correctè typis impres-
sam. Hanc nimirum definiuit habendam esse pro authen-
tica. Et certè quod ad rem ipsam atinet nihil aduersus
hanc editionem obiiciunt Sectarij, quod alicuius sit pō-
deris. Nam quod illam ab Hebraicis aut Græcis exem-
plaribus discrepare dicunt, id vel falsum est, si correctio-
ra exemplaria inspiciantur, vel certè quod ad ipsam sen-
tentiam attinet nihil interest. Vt quod obiiciunt, Gene-
sis tertio, dici *ipfa* conteret caput tuum; eum dicendū
esset iuxta vim verbi Hebraici, *ipse*. Eòdem enim res
redit. Nam si Filius Virginis Christus Iesus contriuit ca-

Explicatur de-
cretum Conci-
lij Trid. de edi-
tione Vulgata.

In examine
sess. 4. Conci-
lij Trid.

put serpentis; ipsa Virgo quoque suo modo contriuit, quatenus genuit nimirum Iesum Saluatorem. Quare non malè etiam interpres, propter contextus Latini commoditatem, ipsa, vertit, vt sequentia cum antecedentibus melius Latinè cohærent. Item, quod obiiciunt, Matth. nono, iuxta Græcam dictionem, dici debere: non veni vocare iustos, sed peccatores *ad penitentiã*, eamque postremam voculam in vulgata editione esse omisissam; obsecro quid interest? An non enim satis per se intelligitur, peccatores à Christo cum vocabantur, ad penitentiã vocatos fuisse? Sed nolo reliqua omnia persequi, quæ perinde facillè expediti possunt.

Porro ex dictis intelligitur, nullo modo auctores illos audiendos esse, qui adhuc post Concilium Tridentinum cõtendunt, posse etiam nunc editionem vulgatam per Hebraicos & Græcos codices, tanquam per fontes (vt aiunt) in locis aliquibus, quod ad ipsam sententiã attingit, emendari. Non licet hoc facere. Quin potius Græci & Hebraici codices, sicubi à nostra editione dissident, per nostram corrigendi & emendandi sunt. Nam hanc Ecclesia peculiari definitione per omnia probauit, non illos: quanquam nec illos reiecit, nisi vbi huic nostræ editioni fortè contradicerent.

Neque verò possunt illi codices potiori iure fontes iam appellari, quàm editio hæc nostra. Primò, quia neque illi, originales ipsi libri sunt, sed variorum Typographorum opera excusi. Deinde, quoniam magna est etiã horum voluminum varietas, magna etiam eorum interpretum inconstantia, qui illos Latinè ad veritatem fontium, vt ipsi dicunt, vertere conantur: prorsus vt, quemadmodum Melchior Canus argutè ait; non tam fontes vertere, quàm ipsi circa fontes verti videantur. Tertiò, quo-

Non licet editionem Vulgatam, quod ad rem sententiãque, attingit, per Hebraicos aut Græcos codices emendare.

Græci & Hebraici codices nõ possunt meliori iure dici nunc fontes quàm editio Vulgata.

Lib. 2. de locis Theolog. cap. 13.

quoniam & Rabinorum, & aliorum Ecclesiæ Catholicæ hostium, fraude, sæpe potuerunt deprauari. Itaque minime illi in sua origine purè tanquam fontes scaturiunt: sed per varia loca, hoc est, per hominum operas, à quibus infici potuerunt, ad nos deriuati sunt.

Quocirca satius multo est huic vulgatæ editioni per Ecclesiam approbatæ fidem adhibere. Quemadmodum etiam quandoq; melius est ex nitido fontis titulo, quàm ex turbido ipso fonte aquam ad bibendum haurire. Quare reeruditè sanè & diligentissimè scripsit inter alios Canus. Qui nihilominus benè docet, varium ac multiplicem esse linguarum usum ad Scripturam diuinam & ad hanc ipsam vulgatam editionem intelligendam: non quidem vt illa quoad sensum emendetur, sed vt proprietates originalium, quam ipsa (ob idiomatis diuersitatem) obscurius interdum exprimit, melius percipiatur. Verùm de primo argumento hætenus.

Ad secundum respondeo, ne per potentiam quidem suam absolutam posse omnino Deum, qui prima atque summa veritas est, fallere, vel per se, vel per alium: vt nec potest ipse, cum summa atq; infinita sit bonitas, vel peccare, vel ad peccadum impellere. Quod ad eò verum est, vt minimè Diuus^a Augustinus ac Diuus^b Anselmus scribere dubitauerint, non magis Deum mentiri posse quàm Deum esse desinere. Mentiretur autem certè si quenquam ipse falleret. Nam cum omnia ipse sciat, si falsum aliquid significaret; minimè id quidem præter mentem suam, sed planè contra eam significaret; quod ipsum mentiri est.

Ac sanè postquam grauissimis nostræ fidei motiuis necessariò (vt initio libri vidimus) demonstratur, Christianam doctrinam, atque ad eò Scripturam sacram, dignissi-

Lib. 2. de locis
Theolog. c. 12.
13. & 14. & 15.

Ad argumen-
tum 11.

Ne de potentia
quidem abso-
luta posse Deū
per se aut per
alterū fallere.

^a Lib. 1. de
symbol. ad Ca-
techumen.

^b Lib. 1. Cur
Deus homo,
cap. 12.

Deum non pos-
se fallere, quo-
modo probetur.

gnissimam esse assensione prudentum; non est admodum difficile, tanquam ab effectu & consequenti quodam, euincere, per nullam potentiam Deum vel perse vel per alium, quenquam fallere posse. Etenim si Deus villo modo posset fallere, neque deberemus sanè, neque possemus eniti, vt per fidem supernaturalem, absq; omni formidine, simus penitus certi de veritate doctrine Christianæ. At id & possumus & debemus; (vt illis fidei motiuis efficitur, & alioquî etiam illi ipsi auctores concedunt, qui temerè existimârunt, Deum fallere per potentiam absolutam posse.) Non potest igitur Deus villo modo fallere. Hæc enim humanæ mentis natura est, vt nisi nobis persuadeamus, aliquid certo atque infallibili fundamento niti, de eo penitus certi esse non possimus. Si autem Deus potentia absoluta posset fallere, nulla tunc nobis ratio suppeteret, qua nobis persuaderemus, doctrinam fidei aliquo infallibili fundamento niti. Nam quonam obsecro? An fundamento claræ & euidētis demonstrationis? Minimè. Est enim doctrina fidei de rebus, vt Apostolus inquit, *non apparentibus*, id est, non manifestè notis. Qualinam igitur, aut quo infallibili fundamento doctrinam fidei niti, persuadere nobis tunc possemus? Num veræ reuelationis? nec enim aliud restat. At si Deus natura sua falsum absolutè affirmare posset, vnde persuaderemus nobis, eam ipsam reuelationem diuinam doctrinam fidei, veram ac certam esse? Non certè ex natura Dei, si is quidem ponitur naturâ suâ posse falsum absolutè docere. Nec rursus ex ordinaria lege ac promissione Dei, qua ille statuerit, se non nisi verum vñquam reuelaturum. Cùm enim hanc etiam ipsam legem suæ promissionem Dei non possimus cognoscere nisi ex reuelatione diuina, qua ille nimirum significauerit id se promississe ac statuisse.

*Si Deus posset
per vllam po-
tentiam falle-
re, non posset
fides certa esse.*

Hebr. ix.

*Non enim pot-
est reuelari
quod non sit
reuelatum.*

se: si Deus naturā sua absolutē potest dicere falsum, de ea ipsa etiam reuelatione poterimus merito dubitare; nūm videlicet tunc Deus vel maximē potestate mentiendi vsus sit, cūm nobis significauit nunquam se mentiturum. Ita minimē viam haberemus, vt ex aliqua lege Dei ordinaria ipsum semper esse veracem cognosceremus. Vt enim dictum est, via ad id cognoscendum oporteret esse reuelationem, per quam solam ipsa lex Dei ordinaria in hoc genere innotescere potest, de qua tamen reuelatione, si Deus sua natura fallere potest, in primis dubitamus.

Cuius sanē argumenti vis hoc exemplo elucescit. Si quem hominem nunquam mentiri, alia ratione cognoscere non possemus, nisi quia ipse dicit statuisse se nunquam mentiri: non utique penitus esse certi possemus, quōd nunquam ille mentiatur. Cūm enim naturā suā mentiri possit, vereri possemus ne tunc vel maximē, cūm se diceret nolle mentiri, mentiretur. Ita igitur, si Deus natura sua fallere posset, nunquam ex ipsius Dei lege atq; promissione per reuelationem ab ipso patefacta, certō nobis persuaderemus illum nunquam fallere. Veremur enim ne vel illa maximē reuelatione legis atq; promissionis suae nos falleret.

Huc accedit auctoritas etiam ipsius Scripturæ, quam quidem, vt alioquē ea nobis per communia illa fidei motiua probata est, non perperam ad hoc ipsum confirmandum, nempe Deum naturā sua omnino fallere non posse, vsurpabimus. Est, inquit Scriptura, ^a Deus verax, omnis autem homo mendax. Item: ^b Non est Deus quasi homo, vt mentiatur. Quid his in locis & quantum dignitatis existimabimus tribui Deo? An illud tantum, quōd actu quidem ipse non mentiatur, cūm homines ferē mentiri soleant?

Exemplo confirmatur non posse Deum etiam potentia absoluta fallere.

Id etiam probari posse ex Scriptura.

^a Rom. 9.
^b Numer. 23.

leant? Atqui nonnullos etiam homines reperire liceat, qui profus à mendacio abstineant. Non igitur de actu ipso, sed de conditione atque discrimine naturæ utriusque, videlicet Dei & hominis, sermo ibi est. Nempe ut intelligamus, Deum omnino esse eiusmodi, ut naturâ suam mentiri & fallere non possit; hominem verò contrâ ea naturâ præditum esse, ut id possit. Ut, cum simul Scriptura dicit; *Negue esse Deum ut filium hominis, ut mutetur*; non tantum certè significat ipsum actu non mutari, sed omnino naturâ suam mutari nullo modo posse.

In eodem loco Num. 23.

Hebr. 6.

Ac sunt præterea duo Scripturæ loci, qui maximè valent ad hanc ipsam rem confirmandam. Alter est in epistola ad Hebræos. Vbi Apostolus, cum firmitatem promissionis, qua Deus Abrahæ, & semini eius, benedictionem gratiæ suæ pollicitus est, commendare vellet, ita inquit: *Volens Deus abundantius ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilij sui, interposuit insurandum, ut per duas res immobiles (scilicet per promissionem, & iuramentum) quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium haberemus.* Hic sanè cum Diuus Paulus negat, potuisse Deum vel in promissione, vel in iuramento mentiri, procul dubio secundum potentiam Dei etiam absolutam loquitur. Nam si solum negat, potuisse Deum mentiri posita ipsius promissione atque legè ordinaria; minimè fortissimum illud solatium haberemus, quod tamen nobis Paulus pollicetur. Vereremur enim, ne illa ipsa reuelatione, qua legem eiusmodi & promissionem diuinam cognosceremus, Deus nos fefelleret, ut ex eo argumento patet, quod paulò antè fecimus.

Negat Apostolus posse Deum etiam potentia absoluta fallere.

2. Tim. 2.

Alter locus est in posteriori epistola ad Timotheum. Vbi cum similiter idem Apostolus homines certissimos reddere conaretur de diuina promissione qua præmium

mium aeternum piis operibus decretum est, ita inquit: Ille (videlicet Deus) *fidelis permanet: Negare seipsum non potest.* Quo etiam loco sine dubio negat Deum vlla ratione fallere posse. Alioquē penitus certi de diuina promissione (vt vult Apostolus) esse non possemus, quemadmodum antē ostendimus.

Ad Scripturæ autem locos, qui ad confirmandum posse Deum fallere, obiiciebantur, non est difficile respondere. Nam quod ad primum locum attinet, possumus in primis negare, Cain fuisse hominem illum, quem ^a Lamech interfecit. Neque enim id ex Scripturis constat, quin imò à pluribus putatur commentitium. Secundo, dato quòd fuerit, non ideò erit in Dei oratione mendaciū. Etenim cū is ad Cain dixit: *Nequaquā ita fiet:* sensus fuit: nequaquā impunè à quoquam interficiaris, sicut verebaris. Quæ expositio satis congruit cum ipso textu.

Ad secundum locum quod attinet, sunt qui concedant Abraham dissimulandi causā fuisse mentitum. Ita ^b Adrianus, quem ^c Canus sequitur. Consequenter ij dicunt, quòd Abraham mentitus sit, hoc illum ex instinctu Dei non fecisse; quod verò nesciens prophetauerit verum, hoc esse Deo adscribendum. Atq; ita interpretantur sententiam Diui ^d Ambrosij. Mihi sententia D. ^e Augustini magis placet, qui negat, Abraham tunc mentitum esse. Et si enim persuaderet sibi fore, vt immolaret filium, sperabat tamen etiam futurum vt confestim ille ad vitam diuinitus reuocaretur, quòd possent impleri promissiones. Ita verè potuit dicere: *Expectate hic, ego & puer illuc properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Sententiam hanc Augustini sequitur ^f Gabriel, & ^g Carthusianus in illum locum. Neque obscurè illam insinuasse videtur Apostolus, cū dixit: *Fide Abraham obtulit*

Responsio ad Scripturæ locos supra obiectos, in quibus videri posset Deum se fecisse.
Ad primum.
^a Gen. 4.

Ad secundum locum.

^b Quodlibeto 1. ad 1. argum. principale.

^c Lib. 2. de locis Theolog. cap. 4.

^d Loco supra citato, lib. 1. de Abraham, c. 8.

^e Serm. 71. & 72. de tempore.

^f In 3. lib. sent. dist. 38.

^g In illum locum Gen.

Isaac Deo, cum tentaretur, qui susceperat repromissiones (ad quem dictum est, quia in Isaac vocabitur tibi semen) ARBITRANS quod & a mortuis suscitare potens est Deus, &c.

Afferit Carthusianus & aliam expositionem; vt nimirum quod solus Abraham erat suo iudicio præsaturus, nempe vt rediret, id iuxta vsitatam aliàs Scripturæ phrasim, se & filium facturos fuisse affirmaret. Ad quem modum intelligitur illud: ^h *Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes; vt quid perditio hæc? Quod tamen vnus Iudas dixit. Item illud: ⁱ Et qui cum eo crucifixi erant, conuiciabantur ei.*

^b Matth. 26.

ⁱ Marci 15.

Ad tertium locum.

Ad tertium locum quod attinet, plerique concedunt, Iacob minimè Spiritus sancti afflatu loquutum fuisse, sed ex se fuisse mentitum, cum diceret: *Ego sum primogenitus tuus Esau*: neque verò Innocentium aliquid contra de ea re definiisse, sed exposuisse tantum priuatam suam opinionem, cum asseruit, Iacob, diuinitus inspiratum, ita fuisse loquutum. Cæterum communior sententiã ^a Doctorum ac ^b Patrum est contraria, vt videre est etiam apud ^c Melchiorẽ Canum, loco citato. Quamuis enim Iacob naturã non esset primogenitus: at iure erat ex diuina voluntate, quam vel priuata reuelatione cognouit, vel ex instructione Rebeckæ matris, quam constat diuinitus edocãtam fuisse, fore, ^d *vt maior seruiret minori, &c.* Potuit ergo Iacob absque mendacio dicere: ^e *Ego sum primogenitus tuus*: intelligens, iure, non natura. Ad eum modum, quo populus gentilium, per eundem ipsum Iacob significatus ^f Rebeckæ, postquam per fidem, Abrahæ successit, potuit verè dicere, se iure & voluntate diuina semen esse verum & hæredem Abrahæ, quod ad diuinas promissiones attinet: vti perspicuè Diuus Paulus verbis illis ostendit; ^g *Non omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ,*

^a Magistri in 3. d. 38. Alenf. 2. p. membro 6. D. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. &c.

^b Innocentij

^c Gaudemus,

de diu. Ambr.

l. 2. de Iacob &

vita beata. c. 2.

Aug. q. 74. in

Gen. & l. 16. de

ciuit. Dei, cap.

37. Chrylost.

hom. 6. in ep.

ad Col. & 53.

in Gen. &c.

^e Lib. 2. de lo-

cis Theol. c. 4.

^d Gen. 25. ad

Rom. 9.

^e Genes. 27.

^f Genes. 25.

^g Rom. 9.

neq; qui semen sunt Abrahæ, omnes filij eius sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.

Ad quartum locum respondetur primò, sententiam illam fuisse comminatoriam, quæ, vt rectè inter ceteros explanauit Canus, iuxta communem loquendi usum, accipienda est tacita quadam conditione intellecta: Si nimirum is, ad quem dirigitur comminatio, non respiciat. Respuit aurem Ezechias. Itaque nulla fuit in oratione Isaiæ falsitas, siquidem defuit conditio. Secundò ad eam responsionem & hoc addendum est: Deum per Prophetas solitum esse prænunciare, non modò id, quod omnibus consideratis futurum est; sed etiam id, quod attendendo ad aliquas inferiores causas; vt ad merita hominum, &c. verè iudicari potest esse futurum, tamen si ex voluntate diuina, & spectatis omnibus causis, secus futurum sit. Atque hoc modo Isaias eo loco verè prædixit mortem Ezechia, videlicet spectata quidem causa particulari, hoc est, solum respiciendo ad merita ipsius in præsentia. Ita similes quoque prophetias interpretatur rectissimè Diuus^h Thomas.

Ad quintum Scripturæ locum respondeo, non illo significari propriè Dei præceptum, quasi is posituè (vt claritatis causa in Scholis loquimur) impulerit spiritum nequam ad decipiendum, sed significatur diuina permissio, quæ in Scripturis plerumque eodem genere sermonis designatur, quo præceptum & positua voluntas Dei. Ita intelligitur illud Christi, ad proditorem Iudam: *Quod facis, fac citius*, sicut^h Canus etiam rectè annotauit. Atque eodem modo ad omnes alios Scripturæ locos, qui sunt eiusdem generis, respondemus: neque aliter etiam intelligi debet Diuus Augustinus. Quod enim is ait, per spiritum malum Deum solitum esse decipere, non per bonum,

Ad quartum locum.

Lib. 2. cap. 4.

Qui stat & aliter quando non euenit quod fuit diuinitus prænunciatum.

In I parte Summa q. 19. ar. 7. ad 2. arg. & 22. q. 171. ar. 6. ad 2. argum.

Ad quintum locum.

In Ioan. 13.

In Lib. 2. de locis vbi supra.

Lib. 83. qq. 9. 53.

num, idè dicit, quòd spiritus malus sit, qui permittente Deo decipere solet; quod ille non solet permittere vt fiat per spiritum bonum. Ac est etiam illud hoc loco diligenter notandum: quamuis Deus ipse per se neminem (vt dictum est) in errorem aut etiam in peccatum impellat, tamen suo quodam iusto iudicio ad res quasdã per se aliqui non malas quandoque homines impellere, quibus rebus ipse præuidet eos ad errorem peccatumque abufuros; idque ipsum vt fiat, certo quodam consilio statuit permittere. Atque hæc videlicet ratio est, quam ob rem in quibusdam præsertim Scripturæ locis ita significetur eiusmodi Dei permissio quasi ipse per se traderet homines in reprobum sensum ad peccandumque impelleret. Nimirum ita Scriptura loquitur, quoniam eius rei certe, ex qua sumit aliquis occasionem erroris peccati que, Deus (& quidem peculiari quandoque consilio & prouidentia) est causã. Quæ explicatio disputationes quoque D. Augustini de hoc genere, tum aliàs, tum maximè in libro de gratia & libero arbitrio, non parum illustrare potest. Nam quòd non nisi permittendo alioquì Deus tradat in reprobum sensum, ipse etiam Augustinus ad extremum satis declarat in illo eodem libro. Sed de secundo argumento nimium multa fortassis.

l. Cap. 21. & deinceps.

m. Cap. 23.

Ad argum. III. principale.

AD TERTIVM respondetur. Nihil omnino in Scripturis esse, quod peculiari Spiritus sancti instinctu scriptum non sit. Quod patet profectò ex communi etiam consensu fidelium, manifesteque probatur ex eo, quòd si aliquid humano spiritu auctores sacri scribere potuerunt, magna ex parte Scripturarum labefactaretur auctoritas. Poterit enim quiuis dubitare, vbinam spiritu proprio, vbi diuino auctor loqueretur. Neque facile esset discernere in hoc genere, quæ leuioris, quæ grauioris essent

essent momenti: vt optimè ⁿ Canus differit ad coarguen-
dum tum Erasmi, tum aliorum quorundam veterum er-
rorem, quos ^o Hieronymus sensisse commemorat, Scri-
ptores Canonicos in rebus maioris momēti Spiritu san-
cto afflatos scripsisse, in leuioribus autem potuisse hallu-
cinari. Certè Diuus Paulus, *Omnem Scripturam diuinitus
inspiratam, vtilem esse pronunciat.* Itaq; nihil est in ea, quod
vel per se, vel ad alia relatum, non sit magni momenti.
Petrus quoque absolutè sine omni exceptione ait: *Spiri-
tu Dei inspiratos, locutos esse sanctos Dei homines.* Quare du-
bium esse non debet, quin omnes & singulæ Scriptura-
rum particulæ sint Spiritu sancto dictante exarata. Id
quod meritò etiam in Concilio Tridentino sub anathe-
mate definitur.

AD QVARTVM argumentum quid respondendum
sit, facilè patet ex dictis. Vtcunq; enim Scriptura diffici-
lis ad intelligendum sit, tamen ille sine omni dubitatio-
ne verus atq; genuinus Scripturæ est sensus, quem Eccle-
sia Spiritu sancto suggerente asserit. Atque ita non deest
modus ex Scriptura depromendi infallibilia argumenta
ad definiendas controuersias. Fatendum tamen est, mul-
tos esse locos Scripturæ, ex quibus, quoniam eorum sen-
tentia neq; euidenter per se patet, neq; auctoritate Ec-
clesiæ satis declarata est; nō potest argumentum firmum
duci ad faciendam fidem. Sed & nonnullæ quoq; con-
trouersæ sunt, quæ per Scripturam solam definiri satis
ac determinari nequeunt, vt suprà demonstrauius, at-
que etiam paulò post necessariò repetetur.

AD postremum caput quod attinet, latissimè de ra-
tione interpretandarum Scripturarum scripsit inter
ceteros Driedo libro tertio de dogmatibus Scripturæ, &
Caterinus de clauibus Scripturæ, & Michaël Medina.

y 3 Nos

z Lib. 2. de lo-
cis, cap. 10.

o In caput 5.
Micheæ.

2. Tim. 3.

2. Petri 1.

Sessione 4.

Ad arg. 1111.

V.

Que inuare
possint ad rectā
Scripturæ in-
terpretationē.

Nos breuiter præcipua quædam documenta ad eam rem trademus (quæ partim suprâ etiam attigimus, cum de Scripturæ obscuritate ageremus) ex doctrina Diui Augustini potissimum collecta in libris quatuor de doctrina Christiana, quos ille hac de re doctissimè scripsit.

*Documentū 1.
ad Scripturam
intelligendam
utile.*
Ex Aug. lib. 2.
de doctrina
Christ. c. 8.

Primum documentum est, vt quis benè perspectos habere studeat libros omnes Scripturæ sacræ, in eorūq; lectione, quantumuis multa nō intelligat, assiduè versetur. *Erit enim*, inquit Augustinus, *diuinarum scripturarum solertissimus indagator, qui primò totas legerit notasq; habuerit, si nondum intellectu, iam tamen lectione.* Et infra: *Prima*, inquit, *huius laboris obseruatio est, nosse istos libros, et si nondum ad intellectum, legēdo tamen vel mandare memoria, vel omnino incognitos non habere.* Ac ratio huius documenti est, quoniam multorū locorum obscuri sensus disertis verbis sunt aliis quibusdam in locis explicati, quos idcirco minimè ignorare is poterit, qui Scripturam totam assidua lectione reddiderit sibi familiarem. Sicut illud Psal: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*; sanctus Petrus ad Christi corpus in sepulchro positum pertinere est ^a interpretatus, vt iam similia exempla multa præterea. Accedit, quòd etsi sensus vnus loci obscurus in nullo alio loco disertè explanetur; tamen ex diligēti locorum ^b collatione sæpe colligi poterit; quod sanè videmus passim, & magno cum fructu veteres Patres in Scripturis interpretandis facitasse.

Psal. 154

^a Actor. 25

^b Aug. lib. 2.
de doct. Chri-
stian. cap 25.
& 26.

Docum. II.

Secundum documentum est, vt quis similiter multum in lectione Patrum, Conciliorum, & Decretorum Pontificum versetur. Cuius documenti ratio ferè eadem est. Passim enim à Conciliis, à Pontificibus, ab aliisque Patribus Scripturæ sacræ loci obscuriores declarantur.

Tertium

Tertium est, vt quis etiam probè teneat eam linguā qua sacrae literæ vel traditæ vel expositæ sunt; itemq; figuras seu tropos loquendi in illa vsitatos: quorum est sanè in sacra Scriptura frequentissimus idemq; multiplex ac varius vsus. Hinc enim quod de Christo dicitur, plerumq; de eius membris intelligi oportet, & quod de vna ciuitate; de tota prouincia, &c. Etsi autem ob hanc causam utile sit Græcas etiam & Hebraicas literas, ob earum etiam proprios quosdam modos, callere: tamen vt rectè etiam notat Ioannes ^c Driedo, & possumus quoq; colligere ex Diuo ^d Augustino, non est id iam prorsus necessarium, posteaquàm tam multi sunt, qui Latinè beneq; doctè explicuerunt difficultates omnes, quæ ex earum linguarum proprietate oriuntur.

Quartum documentum est, vt quis artium liberalium cognitione & scientia naturalium rerum, quoad eius fieri possit, instructus ad sacrarum literarū studium accedat. Ita enim earum rerum proprietates cognoscet, quarum nominibus diuina mysteria sæpe in Scriptura sacra metaphoricè declarantur: atque adeò facilius etiam intelliget, quid Spiritus sanctus eiusmodi rerum similitudine significare voluerit. Inprimis autem Diuus Augustinus docet, vtilem esse Dialecticam ad discernendum in Scripturarum expositione quæ sint fidem consequentia; & quæ contrà veræ fidei repugnent. Item quæ in vniuersum affirmat, nos omnino vti debere scientiis Philosophorum, repudiaris tamē eorum erroribus. Veritates enim (quas iniuste & indignè Philosophi possidebant) quasi thesaurum quendam erutum ex fodinis diuinæ prouidentia vbiq; diffusæ, debere nos nostro iure ad Scripturas intelligendas vsurpare. Sicut filij Israël reli-

ctis

Docum. III.
Aug. lib. 2. de
doctr. Christ.
c. 10. & 11.

c Lib. 2. de do-
gmat. sacrae
Script. tract. 1.
cap. 2.
d Lib. 2. de
doctr. Christ.
cap. 5. & c. 12.

Docum. IIII.
Aug. lib. 2. de
doctr. Christ.
c. 16. 28. & 29.
31. 36. 37. 40.

Lib. 2. de doct.
Christ. c. 31.

Ibidem c. 40.

Exod. II. & 12. Atis Ægyptiorum idolis, cum ex Ægypto discederent, vasa aurea & argentea illis surripuerunt.

Document. V.
Aug. lib. 2. de
doctr. Christ.
c. 36. & lib. 3. c.
2. & 3. & 26.
& 27.

Quintum documentum, idq; latissimè patens, est, vt si quis locus est ambiguus; vel propter obscuritatem dictionis, quia dubium est, quomodo sit distinguenda vel pronuncianda, num seriò an ironicè, absolutè an per interrogationem, &c. vel etiam ob significatarum rerum obscuritatem; consulat quis alia dogmata fidei clario- ra, antecedentiaq; & consequentia perpendat. His enim diligenter consideratis, quamcunq; sententiam aliquis ex eiusmodi Scripturæ loco eliciendam putet, modo fidei consentanea illa sit, & caritatem Dei & proximi, quæ e finis est sacrarum literarum, promouere possit; *Non fallatur perniciosè* (inquit sanctus ^f Augustinus) etiamsi non assequatur id ipsum, quod Scriptor Canonicus intendit.

e Id explicat.
Aug. lib. 2. de
doctr. Christ.
cap. 7.
f Lib. 2. de do-
ctr. Christiana.
c. 36. & idem
lib. 3. c. 26.

Document. VI.
Quod potif-
simùm colli-
gitur ex lib. 3.
de doct. Chri-
stia. cap. 12. &
deinceps.
Matth. 18.

Sextum documentum est, vt consulatur etiam ratio naturalis. Nam etsi multa supra rationem natura- lem doceat Scriptura; tamen nihil omnino contra illam docet. Vt cum dicitur: *Si oculus tuus scandalizat te, erue illum & proiice abs te*; Ipsa certè ratio admonere nos debet, ne huiusmodi locum intelligamus propriè sicut verba ipsa sonant. Atq; huius quidem documenti, quò quisque doctior & in animaduertenda vi rationis naturalis perspicacior fuerit, eò quoq; maiorem vsum habere poterit. Deniq; intelligentia Scripturarum in primis à Deo cum vera animi submissione petenda est, qui dat omnibus affluenter & nō improperat. Et hæc quidem de Scripturis sacris summatim exposuisse sufficiat.

DE TRADITIONIBVS APOSTOLICIS.

DE Traditionibus Apostolicis nunc dicendum. I. quæ sit ipsarum ratio & differentia. II. quanta auctoritas, quamque certum sit illas exstare. III. quomodo sint internoscendæ.

Traditiones in proposito dicuntur doctrinæ quædam dogmata, aut etiam morum instituta, quæ Apostoli vel ex ipsius Christi ore, vel ex Spiritus sancti suggestione, accepta, viua voce tradiderunt Ecclesiæ, quæque illi aut omnino non scripserunt, aut certè non nisi obscure scripto insinuârunt. Ita duplex (in vniuersum loquendo) Apostolicarum Traditionum genus est. Quædam ad doctrinam tantum pertinent. Vt, quod mater Dei fuerit perpetuò virgo: quod veteris & noui Testamenti libri omnes & singuli sint Spiritu sancto dictante scripti: quod distinctio diuinarum personarum sit per relationes: quod Christus Dominus in cœna *elevatis oculis* in cœlum benedixerit & fregerit panem: quod etiam illa verba in consecratione calicis dixerit, *Mysterium fidei*. Et alia id genus, quæ colligit Innocentius tertius. Aliæ verò Traditiones sunt practicæ, quæ proinde ad mores siue ad usum propriè pertinent. Quanquam vix quidem vlla est Traditio ad praxim pertinens, quæ non etiam veritatem aliquam ex fide credendam cõrineat: nempe rectum id esse omnino, quod circa usum à Traditione instituitur. Cuius generis passim in materia Sacramentorum Traditiones multæ occurrunt: vt paruulos esse baptizandos; Illam esse materiam & formam Ordinis, Confirmationis, Extremæ vñtionis à Christo institutam, qua Ecclesia vtitur; Sacramenta quædam iteranda nõ esse. Huius generis est etiam Sanctorum, & Imaginum veneratio, vt habetur in Synodo septima: Item templorum vsus, luminarium, & alia-

z rum

I.

Quæ sit ratio & differentia Traditionum.

Duplex in communi Traditio- num genus.

Quædam pertinent ad doctrinam dogmata.

In cap. Cùm Marthæ, de celebr. Missarum.

Alia ad morum instituta.

Practicæ Traditiones quatenus pertinent etiam ad doctrinam fidei.

rum similium rerum, quæ ad cultum & ceremonias Ecclesiasticas pertinent.

*Inter ipsas etiã
Traditiones pra-
cicas esse di-
scrimen.*

Actor. 15.

Actor. 8.

Ac est præterea in hoc genere practicarum Traditio- num, quatenus practicae sunt, discrimen aliud obseruan- dum. Nam quædam eiusmodi instituta Apostoli tradi- derunt ad certum duntaxat tempus duratura. Tale fuit Decretum illud de sanguine & suffocato, quod comme- morat Diuus Lucas in Actis: Item etiam institutum il- lud Baptismi in nomine Christi. De quo etiam legimus in eadem Historia. Si tamen solius Christi (vt multorum sententiã est) mentio in eo Baptismo fiebat, & nõ etiam exprimebatur Trinitas. Alia verò absq; vlla limitatione temporis tradiderunt Apostoli.

*Quadam Tra-
ditiones practi-
cae mutari non
possunt.*

3. parte q. 66.
ar. 6. ad 1. arg.

*Alia quaedam
Traditiones mu-
tari possunt.*

Inter quæ rursus est differentia, quod quædam hu- iusmodi sunt, vt ne ab ipsis quidem Apostolis ex officio & auctoritate sua propria, atq; adeò nec ab Ecclesia vn- quam mutari posse credantur, seclusa extraordinaria a- liqua & peculiari reuelatione Christi. Huiusmodi sunt ea, quæ Apostoli ex ore ipsius Christi Domini accepe- runt: vt illa quæ pertinent ad substantiam Sacramento- rum. Itaq; si aliquando Apostoli Baptismum in solius Christi nomine contulerunt, id Diuus Thomas & alij Theologi aiunt fecisse eos ex peculiari Christi Domini reuelatione pro eo tempore, quo nomen ipsius celebra- ri quàm maximè oportebat. Alia fuerunt ab Apostolis tradita absq; certa quidem temporis determinatione, sed quæ illi tamen ex auctoritate & officio proprio, Spi- ritu sancto suggerente, ad vtilitatem Ecclesiæ, circum- stantiis temporum ac rerum omnibus consideratis, in- stituerunt. Et quæ huiusmodi sunt, quemadmodum A- postolica auctoritate, sic requirentibus temporum cir- cunstantiis, constitui potuerunt, ita etiam postmodum

ab eo

ab eo, qui Apostolica auctoritate fungitur, hoc est, à Romano Pontifice, mutari & aboleri, sicut & alia quoq; de nouo institui possunt. Vt enim circumstantiæ rerum progressu temporis variantur, sic etiam oportet rationem Ecclesiasticæ gubernationis esse in quibusdam rebus alio atq; aliò tempore variam.

Atque ad hoc sanè genus multi ritus Ecclesiæ veteris pertinuerunt, qui modò non sunt in usu. Vt communio Laicorum sub ytraque specie, & aliquando quidem omnium, quicumque sacrificio Missæ interessent, & alia id genus, quæ in variis materiis Theologicis commemorantur. Hæc igitur Traditionum Apostolicarum varietas est. De quibus tamen hoc loco præcipuè tractamus, non quatenus ad praxim pleræq; illarum pertinent: sed quatenus, vt suprâ diximus, omnes illæ ad fidei veritatē quadam etiam ratione spectant; nempe vt credi certè debet eas omnes esse rectas. Qua quidem ratione immutabiles omnes sunt. Nam quod semel verè per fidem credimus, ita esse aut non esse, sic rectè fieri aut nō fieri, ad tempus, siue perpetuò, &c. id semper manet de fide verum. Non enim, vt gubernationis, sic etiã veritatis ratio cum tempore & rerum circumstantiis mutatur. De primo igitur puncto hæc sint satis, quæ fusiùs Melchior Canus & alij multi Theologi persequuntur.

QUOD ad secundū attinet, non dubitatur, quin si quæ sint dogmata ab Apostolis, Spiritu sancto suggerente, vel Christo auctore, tradita viua voce, perinde illa infallibilem auctoritatem habeant, ac si scripta fuissent. Neque hoc propriè vlli hæretici negauerunt. Intelligunt enim, doctrinam sacram infallibilem esse, non quia literis & atramento expressa est, sed hoc ipso quod est diuina, siue literis siue viua voce declaretur. Sed contro-

Traditiones omnes, qua ratione ad fidem spectant, esse immutabiles.

Lib. 3. de locis.

II.

Quæ sit Traditionis certitudo & auctoritas.

Quis propriè status sit controversiæ de Traditionibus cum hæreticis.

uerſa omnis eſt, vtrum aliqua eiufmodi dogmata Apoſtoli viua voce tradiderint ſiue ſcripto, quæ nunc etiam in Eccleſia ſuppeditent ad fidei controuerſias finiendas argumentum infallibile. Ac negant hæretici non modò recentiores noſtri, ſed etiam veteres penè omnes. Omnibus enim hæreticis hoc ferè in more fuit poſitum, vt ad Scripturas ſolas prouocarent, nec vllum præterea fidei principium admitterèt. Sic Arrius, Neſtorius, Eutyches, Dioſcorus, fecerunt, vt ^a Baſilius Ancyranus Epiſcopus refert, in confeſſione, quam exhibuit ſeptimæ Synodo. Sic etiam Iconomachi, vt ex eadem Synodo patet. Sic Aëriani, vt auctor eſt ^b Epiphanius. Sic Marcion & Valentinus, vt videre eſt apud ^c Tertullianum. Sic VVicteſſus apud ^d VValdenſem. Sic deniq; Lutherani Caluianiq; omnes. Fundamenta verò illorum eiufmodi fanè ſunt, vt etiam ex illis ipsis, aduerſus eos optimo iure retortis, Catholicam Traditionum aſſertionem, quemadmodum videbimus, facile ſimus probaturi.

Primum autem eſt tale: Traditiones eſſe aliquas Apoſtolicas, quæ non etiam ſcriptæ ſint, tum demum cõcedi oporteret, ſi non omnis doctrina diuinitus reuelata mandata eſt ſacris literis. At omnis prorsus eiufmodi doctrina ſacris literis conſignata eſt. Perperam igitur tales aſſeruntur Traditiones. Id confirmant ex Apoſtolo, qui Scripturam affirmat *utilem eſſe, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus*. Quo loco peculiariter Kemnitius vrget, quòd pluribus etiam verbis Apoſtolus eam Scripturæ vim atq; vſum declarauit. Ait enim, *utilem eſſe ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudendum in iuſtitia*. Vnde cõcludit Kemnitius ſufficere ipſam poſſe etiam Euangelij miniſtro, vt omnes partes ſui muneris explere poſſit. Et accedit huc fanè quod in Deute-

rono-

Cõmune fuiſſe omnibus ferè hæreticis à Traditionibus ad Scripturas ſolas prouocare.

a In Synodo ſept. anathemat. 7. Idem de Arrianis Aug. lib. 1. cõtra Maximin.

b Hæreſi 75. *c* Lib. de præſcript.

d Lib. 2. doct. fidei antiquæ, cap. 19.

Argumentũ 1. hæreticorũ contra certitudinẽ & auctoritatẽ Traditionum.

2. Tim. 3.

Kemnit. in examine, ſell. 4. Concil. Trid.

Deuter. 17.

ronomio non iubebantur fideles credere, nisi quæ sacerdos docuisset *iuxta legem Domini*, hoc est, secundū ipsum Dei verbum; tanquam hoc videlicet ad omnia diiudicanda sufficeret. Quod cū ita sit, sine caussa (inquiunt) recipi doctrinas alias & *mandata hominum*. Id quod Pharisæis Dominus in Euangelio Matthæi exprobrauit. Quin etiam contra præceptum illud ea re committi: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas.*

Secundò, ostium ea ratione peruersis ac phanaticis erroribus aperitur. Facile enim cuius est, cū Scripturarum testimoniis destitutus fuerit, Traditionem cōminisci Apostolicam. Sic ^e Papias errorem illum suum de mille annis regni Christi in terris post resurrectionem futuri, commentitia Traditione Apostolica tueri conabatur. Quin imò Kemnitius contendit (vt postea videbimus) Traditionum prætextu errores alios qui vnquam in populo Dei fuerunt sparfos fuisse, eoque consilio & vetus & nouum Testamentum diuinitus fuisse mandatum literis, vt commentitiis Traditionibus scripto occurreretur. Adde quòd hæreticorum quidem morem & institutum Traditiones illæ redolent auriculares & clanculariæ. Cū contra Christus ^f *palam* mundo locutus sit: Et, si quid in tenebris dixit Apostolis, certè iussit, vt ^g *in lumine* id dicerent; itemque vt quod in aure audierunt *supra tecta* prædicarent. Non igitur sapiunt hæ Traditiones Christi doctrinam.

Tertiò, doctrinæ, inquiunt, cœlestis capita eo modo Apostoli Ecclesiæ tradiderunt, qui conuenientissimus esset, vt illa perpetuò pura atq; integra in Ecclesia conseruarentur. Sed talis modus non est, vt viua voce tantum sine scripto illa tradiderint. Ergo credendum non est, il-

Matth. 15.

Deut. 12.

Argumentum
II.

e Euseb. lib. 3.
hist. cap. vlt.

f Ioan. 18.
g Matth. 10.

Argumentum
III.

los sic aliqua fidei capita tradidisse. Id confirmant. Quia vel impossibile vel difficile admodum est, ut quod auditione tantum accipitur, integrum retineatur & conferuetur. Aut enim qui audit non satis assequitur, aut certe postmodum obliuiscitur, aut aliis minus deinde fideliter tradit. Quo facillè fit, ut paulatim ea ratione immutetur, & corrumpatur tandem doctrina. Itaque (quod maxime Kemnitius inculcat) & Apostoli idcirco scripserunt, ut cœlestis doctrina memoria retineri à fidelibus posset.

Quartò, auctoritatem Patrum obiiciunt. Nam ^h Augustinus inter cætera ait: *Etsi multa Christi verba & gesta scripta non sint: illa tamen scripta esse, quæ credentium saluti sufficerent.* Et rursus: ⁱ *Vbi de re obscurissima disputatur, non adiuantibus claris Scripturæ testimoniis, cohibere se debet humana presumptio.* Et ^k Hieronymus: *Sine Scripturarum, inquit, auctoritate garrulitas non haberet fidem.* Et ^l aliàs quoque ea dogmata damnat, quæ absque Scripturarum auctoritate & traditione Apostolica proferuntur. Itaque Traditionem veteris cuiusdam historiæ, quòd Zacharias Ioannis Baptista pater, fuerit is, quem Iudæi inter templum & altare occiderunt, idcirco etiam idem ^m Hieronymus reiicit, *quia de Scripturis non habet auctoritatem.* ⁿ Origenes item ait: *Sine Scripturæ testimoniis sensus nostros non habere fidem.* Item Constantinus in Cœcilio Nicæno, ut ^o Theodoretus refert: *In disputationibus, inquit, rerum diuinarum habetur Spiritus sancti doctrina prescripta. Euangelici enim & Apostolici libri, cum Prophetarum antiquorum oraculis, plene nobis ostendunt sensum numinis, proinde sumamus ex dictis diuini spiritus explicationes questionum.*

Verùm his nihil obstantibus contrariam nos omnino veritatem ex iis ipsis principiis, quæ ad suum hæretici errorem peruersè accommodant, ostendemus, eademque

Argumentum
III.
h Tract. 49. in Ioan.
i Lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. vlt.
k In cap. 1. ep. ad Titum.
l In cap. 1. Aggri.

m In cap. 23. Matth.
n Homil. 26. in Matth.

o Lib. 1. hist. cap. 7.

Exstare Apostolicas Traditiones non scriptas, ex iisdem principiis certissime proba-

que opera & sententiam Catholicam confirmabimus, & eas quas adduximus argumentationes hæreticorum refellemus.

ATQUE vt eodem ordine ea nos principia aduersus hæreticos pro veritate vsurpemus, quo sunt ab ipsis pro mendacio perperam assumpta, sit hæc prima probatio. Apostolicæ Traditiones non scriptæ, omnino concedendæ sunt, si doctrina diuinitus reuelata non omnis est consignata sacris literis. At planè non est. Igitur Traditiones eiusmodi prorsus concedi debent. Etenim multa, tanquam à Deo reuelata, ex fide credenda sunt, quæ in Scriptura aut omnino non sunt, aut non ita sunt, vt ex illa tantum persuaderi queant, non dicam, contentiosis, sed ne moderatis quidem hominibus. Id autem supra Diui Augustini aliorumque Patrum auctoritate probaui, nuncque etiam confirmo exemplis paulò antè adductis, cum de Traditionum differentia & ratione, dicerem. Credimus enim & credidit semper Ecclesia, libros noui ac veteris Testamenti sacros esse; quod tamen ex Scripturis discere non possumus, sed ex Ecclesiæ Romanæ Traditione, à qua vel ipsi etiam Lutherani aliiq; hæretici libros sacros acceperunt. Vt (quemadmodum supra ex Diui Augustini sententia istis obiiciebamus) mirum sit eos fidem Ecclesiæ Romanæ in re tanti momenti adhibuisse, & eidem in cæteris negauisse tam facile.

Quòd si respondeant, diuina prouidentia factum esse, vt libri sacri apud Romanam Ecclesiam seruentur incorrupti, ac proinde non potuisse illam supposititios ac falsos obtrudere: Accipio sanè quod dicunt. Neque enim aliquid auctoritatis Ecclesiæ tribuendum est, exclusa Spiritus sancti cura & prouidentia. Sed cum id ita sit, cur non etiam in dogmatibus aliis, quæ Ecclesia eadem Roma-

tur, quæ perperam hæretici ad contrarium errorem suum stabilendum assumunt.

PROBATIO I.

Multa esse credenda ob Traditionem, quæ in Scripturis non sunt expressa, probatur i. exemplis.

Parte V. probatione II.

Consulantur cauillationes quibus Sellaris ab illo se arguimento expedire conatur: Ecclesia tradens Scripturas credendum est. Igitur etiam tradens alia dogmata.

Romana tradit, regi illam ac protegi à Spiritu sancto concedunt, ac proinde non posse errare? Sed inquit Kemnitius, ostendant prius Ecclesiam Romanam esse verè Apostolicam, vt credamus ei. Optimè verò. Iam enim euidentissimè suprà id ostendimus.

In exam. Scff.
4. Concil. Tri-
dent.

Ibidem.

Sed quandā cauillationem potissimùm inculcat Kemnitius, vt persuadeat; non illico reliqua dogmata ab Ecclesia Rom. accipiēda esse, si ab ea Scripturas ipsas oportuit accipere. Quid enim? An ideò Synagogæ Traditiones, cōtra mandata Dei, vel olim à Iudæis fidelibus, vel etiā ab ipsis Christianis recipiendæ fuerunt, quoniā ipsas quoque Scripturas veteris Testamenti ab eadem illi Synagoga acceperunt? Ego verò ad cauillationem istam hunc in modum respondeo. Primùm, quod ad Christianos attinet, certissimum est, eos nec debuisse vnquam, neque debere iam ob Traditionem aliquam ac decretum Synagogæ recipere libros veteris Testamenti velut Canonicos ac infallibiles. Nulla enim nos illius Synagogæ sanctione legēue tenemur, quin imò ne testimonio quidem ipsius opus habemus, vt libros illos Testamenti veteris sacros esse nobis persuadeamus, cum abundè nobis ad eam rem sufficiat ipsum per se testimonium Christi & Apostolorum, quo eorum est auctoritas librorum commendata. Itaque hos quidem libros non propter Synagogæ Traditionem nos Christiani (nam Sectarij, ipsi viderint, vt rum Iudæi esse malint) recipimus, sed quia de illorum vsu atque auctoritate (vt etiam disputat D. Augustinus) à Christo ipso & Apostolis, atque à Christi Ecclesia sumus eruditi. Id autem cum ita sit, nondum nobis quidem monstrant Sectarij aliquam eiusmodi auctoritatem à qua libros sacros, & non etiam alia dogmata similiter, recipere ipsi debeamus.

*Responso ad Se-
ctariorū cauil-
lationē Kem-
nitij contra Ca-
tholicorū argu-
mentū à certi-
tudine Traditi-
onis librorū sa-
crorū pro certi-
tudine altarū
Traditionum
ductum.*

*Vnde Christi-
ani habeant ve-
teris Testamēti
libros.*

Lib. 4. contra
Faustum, c. 2.
& lib. 2. de pec-
mer. cap. 7.

Quod

Quod autem attinet ad fideles ipsos, qui fuerunt ex illo populo Iudaico, itidem planè affirmo, qua ratione illi ex auctoritate Synagogæ debuerunt recipere libros sacros, consequenter etiam debuisse ex eadem auctoritate recipere eas quidem Traditiones, quæ similiter atque libri sacri à Synagoga commendarentur. Hoc autem ita declaro ac probō. Libri illi sacri ea ratione ritè tradebantur à Synagoga, quia & communi planè consensu fidelium omnium atque ad eò totius illius Ecclesiæ, & legitimo iudicio sacerdotis, qui pro tempore in Cathedra Mosis præsidebat, commendabantur. Et voco legitimum iudicium sacerdotis illud, quod neque ex præiudicata planè sententia illius Ecclesiæ & sacerdotum antecessorum, neque ex euidenti vitio electionis personæ, neque etiam ex diuina planè prædicatione Prophetarum, aut Christi & Apostolorum (quæ manifestè erat fide & assensione digna) clarè deprehendi posset, non iam à Pastore reuera ex auctoritate ipsi diuinitus attributa decernendi de causis etiam religionis, sed à lupo, maculante & dispergente oves, proficisci. Quodcunque enim sacerdotis iudicium tale esse manifestè aliquo modo ex dictis deprehendi non potuit, ei omnes fideles illius Ecclesiæ tanquam sententiæ Superioris sui & Præpositi ex Mosaica Cathedra profectæ, acquiescere atque obtemperare oportuit, iuxta ^a præceptum Domini: & consequenter iudicium fuit legitimum Pastoris veri, cuius videlicet opera & auctoritate Ecclesiam quoque illam Deus regi voluit.

Iam igitur, si quæ etiam Traditiones communi illius Ecclesiæ consensu & legitimo Mosaicæ Cathedræ iudicio, similiter atque libri illi sacri commendabantur, eas

Aa etiam

Quatenus Traditiones etiam non scripta debuerint recipi à populo Iudaorum.

^a Deut. 17.

etiam consequenter fuisse à fidelibus item recipiendas affirmo: quales profectò fuerunt quædam bonæ ac sanctæ Traditiones illius populi, quæ vel ad interpretationem ipsius scriptæ legis vel etiam ad quendam quoque cultum (vt in confutatione secundi argumenti hæreticorum, videbimus) spectabant. Etenim vt tota illa Ecclesia erraret, sententiamque sequens ex Moyſis Cathedra prolata, quam ipsa amplecti deberet (in re nimirum dubia aut nõ aliter diuinitus ac manifestè præiudicata) falleretur, diuina^b promissio obstabat. Quamobrem & Christus ipse, quæcunque dicerent Pharisei & Scribæ ex sententia illius Cathedræ, fieri^c imperabat. Nam *de malis etiam Propositis* (inquit D.^d Augustinus) *plebem securam faciebat, ne propter illos doctrinæ salutaris Cathedra desereretur, in qua (cùm scilicet agitur de re dubia, nec aliter manifestè ab ipsa Ecclesia præiudicata) coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim sua sunt quæ dicunt, sed Dei qui in Cathedra veritatis doctrinam posuit veritatis.* Atque inde etiam est, quòd licet olim Prophetæ diuinitus missi, multa contra vitia & errores quibus subinde obstringebantur in illo populo, cùm alij, tum etiam (vt apparet) ipsi quandoq; sacerdotes, vt priuata personæ, qui proinde ex auctoritate illius sacerdotij & Cathedræ Moyſis ob infidelitatem decidebant, illiusque ad eò titulum non nisi perperam sibi ad defensionem erroris vendicabant: tamen nunquam eiusmodi Prophetæ in gradum ipsum auctoritatis sacerdotum, eerritudinemque per se Mosaicæ illius Cathedræ sunt inuecti, nec aliam ipsi Cathedram tanquam altare contra altare erexerunt: vt verissimè etiam Donatistis hæreticis ab Augustino & aliis Catholicis iam olim est responsum. Sic enim in breuiculo collationis Augustini &

^b Dent. 17.
Malach. 2. & c.

^c Matth. 23.
^d Epist. 166.

Tom. 7. operū
D. Aug. c. 4. il-
lius libri, non

& aliorum Catholicorum cum Donatistis, legimus: *De Prophetis etiam, quia dixerant Donatista non eos communicare illis in quos mala tanta dixerunt: Responderunt Catholici, quod unum templum fuerit, quo uniuersi utebantur, nec QUEMQUAM Prophetarum, qui tanta dixerunt in malos, constituisse sibi (audiant Sectarij) aliud templum, sacrificia, aut SACERDOTES.*

valde longè
ab initio.

Quæ autem dogmata seu traditiones non erant probatæ communi consensu illius Ecclesiæ, nec iudicio Moysicæ Cathedræ ita legitimo, ut antè explicauimus; eæ quidem minimè idcirco debuerunt recipi ab Iudaico populo, quoniam libros sacros ab illa Ecclesia traditos, recipere eis debuit: non enim illæ similiter atque ipsi libri, neque eadem auctoritate, proponebantur. Ac tales omnino fuerunt Traditiones illæ contra mandata Dei, quas Christus etiam ipse manifestè ostendit, nequaquam defendi posse tanquam ex Moysi Cathedra, quæque procul dubio etiam vel manifestè ex præiudicata sententia Ecclesiæ erant damnatæ, vel ante ipsam certè testificationem Christi, legitimorum sacerdotum iudicio, minimè receptæ, sed tantum toleratæ; sicut multæ tales corruptelæ in illo populo, præsertim ad interitum Synagoga propius tendente, corrigi satis per sacerdotum auctoritatem non potuerunt. Item etiam eius generis fuit maximè sententia Synagoga de Christi & Apostolorum doctrina; siquidem propter testimonium Christi & Apostolorum, manifestè diuinum, non eam sententiam ex Cathedra Moysis p̄ficisci, sed illi potius repugnare, & quasi euanidam esse (iuxta diuinas prædictiones) iam iam morientis Synagoga vocem, omnes prudenter poterant & debebant credere.

Quas traditio-
nes non oportet
recipi à
populo Iudaico,

Quæ cum ita sint, firma prorsus nostra argumentandi forma manet ab auctoritate videlicet Ecclesiæ Catholicæ

in tradendis libris sacris ad certitudinem aliorum dogmatum, quæ eadem Ecclesia similiter tradit: Quin imò magis etiam id argumentum nostrum, Sectariorum illa cauillatione, quam ex Traditione Synagogæ petunt, confirmatum iam est. Ostendimus enim, Iudaici etiam populi temporibus, firma quoque consequentia rationis probari potuisse, illa dogmata fuisse certa, quæ ex eadem auctoritate, & similiter atque ipsi libri Canonici, tradebantur. Quantò igitur nunc magis ea consequentia, in quaestione de auctoritate Traditionum Ecclesie Catholice valebit, quæ & illustriores longè quàm Synagoga, de veritate promissiones habet, nec est porro unquam ipsa defectura, antiquanda uè (sicut Synagoga) per aliquam aliam formam legitimæ religionis?

¶ Parte V. probat.

In lib. de erroribus Anabaptist.

¶ Lib. 10. de Genesi, ad litteram, cap. 23.

Verùm ut alia Traditionum non scriptarum exempla (præter ipsam Traditionem^p Scripturæ) de quibus suprâ etiam dictum est, nunc præteream, certè quædam ob diuinam reuelationem credi debere, quæ scripta non sint, vel Lutheranorum testimonio conuincere possumus. Nam, ut Ioannes quidam Gastius, & ipse Lutheranus, commemorat, cùm Basileæ à Lutheranis & Anabaptistis aliquando fuisset instituta disputatio: ex maleque intellectis Scripturis Anabaptistæ colligerent, paruulos baptizandos non esse, & alia quædam id genus peruersa dogmata; non habuerunt tandem Lutherani quod contra obicerent, nisi communem Patrum atque ad eam Ecclesie consensum, quæ illos Scripturæ locos aliter intellexerit, atque Anabaptistæ interpretarentur. Et certè D. Augustinus sentit, consuetudinem baptizandi paruulos Traditione non scripta niti.

At enim, possunt tandem (inquit Kemnitius) eius etiam generis dogmata (quod ad rem ipsam attinet) ex Scripturis

pturis confirmari, sicut etiam sunt confirmata à Patri-
bus. Quanam obsecro ratione tandem? Nunquid clarè
& euidenter? Non certè: sed benè quidem, vt res quæ sint
ipsi Scripturæ analogæ & consentaneæ, & quarum ratio
atque vis, adhibita forma cuiusdam argumentationis,
magis aut minus propè (vt est conditio subiectæ mate-
riæ) ex Scriptura ipsa deduci possit. Hoc autem modo,
quanam obsecro Traditio Ecclesiæ Catholicæ per Scri-
pturam etiam confirmari non potest? At sunt etiam ea-
rum Traditionum quædam à Scriptura abhorrètes, imò
pugnantes cum Scriptura. Ita quidem Sectarij ipsi iudi-
cant. Sed Ecclesia ipsa Christi vera & Catholica, cuius
iudicio qui repugnant, hæretici sunt, secus iudicat.

Accedit, quòd Scriptura ipsa non obscure declarat,
verbo ten^o Apostolos multa tradidisse, quæ certè omnia
iplos literis mandasse, nunquam poterunt probare Sc-
ctarij. ¹ *Quæ audisti* (inquit Apostolus) *à me per multos te-
stes, hæc commenda fidelibus.* Et rursus: ² *O Timothee, deposi-
tum custodi,* hoc est, vt pluribus verbis persequitur vetus
auctor Vincentius Lyrinensis, doctrinam quam à me au-
diuisti. De qua item doctrina iterum eum sic admonet:
Formam (inquit) *habe sanorum verborum, quæ à me audisti,
bonum depositum custodi.* Atq; etiam ad Thessalonicenses:
³ *State, inquit, & tenete traditiones, quas accepistis, siue per epi-
stolam, siue per sermonem.* Quo ex testimonio luculenter
fanè Diuus^x Basilius & ^y Chrysofomus & alij Patres, vt
postea videbimus, auctoritatè Traditionum non scripta-
rum confirmant. Item: ^z *Laudo, inquit, vos quòd sicut tra-
didi vobis præcepta mea tenetis, &c.* Et ibidem: *Cætera, cum
venero, disponam.* Ex quo etiam loco Diuus Augustinus
constare putat, quæ cæremoniæ in sanctæ Eucharistiæ ce-
lebratione passim, atque vbique similiter, in Ecclesia ad-

*Aliquanò scri-
pta, esse credè-
da probatur 2.
Scriptura testi-
monis.*

^r 2. Tim. 2.
^s 1. Tim. 6.

Lib. cōtra hæ-
reticos.

^t 2. Theff. 2.

^x Lib. de Spir.
sancto, c. 29.
^y Homil. 4. in
epistol. 2. ad
Thessalon.
^z 1. Cor. 11.
Epist. 118 ad
Ianu. c. 6.

Epist. 1. versu
12.

Acton. 1.

Ioan. ultimo.

Acton. 20.

Obiectio Secta-
riorum contra
testimonia Scri-
ptura pro Tra-
ditione.

hiberi sint solitæ, eas à Diuo Paulo sine scripto traditas esse. Præterea Diuus Ioannes: *Plura, inquit, habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum: Spero enim me futurum apud vos & ore ad os loqui.* Nec dubium est, quin toto illo tempore, quo post resurrectionem Christus cum discipulis suis versatus est, & locutus de regno Dei (vt Lucas refert) plurima Ecclesiæ salutaria eos docuerit, ex quibus pauca tamen illi literis prodiderunt. Neq; verò tacuisse illos prorsus credendum est, sed viua voce pleraq; ex illis Ecclesiæ tradidisse. Ioannes rursus ait: *Sunt & alia multa, qua fecit Iesus, qua si scriberentur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse, qui scribendi sunt, libros.* Sicut autem multa Christi facta scripta non sunt, ita procul dubio multa verba atq; præcepta illius, quæ Apostoli minimè quidè negligenda putârunt, sed ad vtilitatem Ecclesiæ viua voce tradiderunt. Vnde etiam Diuus Paulus dictum illud Christi commemorat, ab Euangelistarum nemine scriptum: *Beatius est dare quàm accipere.* Neq; verba hæc solum, sed etiam ipsa sententia planè (quidquid Kemnitius & alij Sectarij fingant) in Euangelica historia desideratur. Vbinam enim illa comparatio in Euangeliiis perspicuè significata est, non modò bonum esse in alios esse munificum, sed etiam melius, quàm beneficium accipere?

Iam verò, quæ ad infirmas has Traditionum probationes ex Scriptura à Catholicis duci solitas, Sectarij disputant, nullius profectò sunt ponderis. Contendunt, singulos quosq; Scriptores sacros, noui Testamenti, eo consilio ac in eum vsum fidei dogmata mandasse literis, vt doctrinâ coelestis custodita scriptis tutior esset à commentitiarum Traditionum corruptelis. Nos verò, quin pleraque ab Apostolis (præsertim à Diuo Paulo) aduersus

fus adulterinas Traditiones hominum, scripto disputata
sint, minimè quidem negamus. Oportuit enim etiam
absentes, vt & res postulabat, & occasio dabatur, ab ipsis
Apostolis quoad superstitēs fuerunt, doceri, & de erro-
ribus qui erant vitandi commonefieri, quò ita demum
auctoritate Apostolica, partim scriptis, partim prædica-
tione Ecclesia Christi facilius coalesceret. Cæterum id
fuisse cōsiliū Apostolorum, vt quicquid esset fidei do-
gmatum, hoc totum scriptis mandarent, nec nisi Tradi-
tione ab ipsis scripta in Ecclesia deinceps custodireturi;
planè commentum est Sectariorum vanissimum, quod
ptobare non possunt. Quis enim locus in Scriptura noui
Testamenti est, vbi vel vnus vel aliquis Apostolorum
vel omnes illi omnia fuisse scribēda significauerint? Non
certè vel omnes simul, vel aliqui eorum id asseuerarunt.
Quisnam illorū igitur? Sanè discussit Kemnitius scripta
omnia & libros noui Testamenti, vt tale aliquod testi-
monium de consilio eiusmodi Apostolorum inueniret,
sed nihil omnino in eo genere inde proferre potuit, quo
planè concludatur omnia prorsus dogmata fidei man-
data literis fuisse, nisi quòd præstigiis quibusdam, & ne-
scio qua proluxa verbositate Lectori fucum videtur fa-
cere. Etenim cogitur ipse tandem agnoscere nullum ali-
quem noui Testamenti Scriptorem omnia fidei dogma-
ta fuisse in aliquò libro complexum, ne ipsum quidem
Diuum Paulum in Epistola ad Romanos, quam tamen
illi alioquì, propter doctrinæ copiam, appellare solent
Christianæ fidei methodum. Hoc autè concessio (quod
certè est eidentissimum) manifestè consequitur, nul-
lum Apostolorum vel Euangelistarum vnquam signifi-
cauisse omnia omnino fidei dogmata fuisse scribenda.
Quicunq; enim illorum aliquid fuisse scribendum dixit,
non

In examine
sess. 4. Conci-
lij Trid.

Ita Kemnit.
cū agit de
illa epist. loco
citato.

non nisi de iis fidei dogmatibus, quæ ipse scripserat aut instituebat scribere, id dixit: Sicut ex omnibus eiusmodi locis noui Testamenti, in quibus scriptio fit mentio apparet. Ita fit, ut nullus omnino eorum Scriptorum significarit, aut dixerit, omnia dogmata fidei fuisse scribenda, sed quædam, nempe illa, quæ ipse instituit scribere. Quid igitur est, quod ex Scriptura noui Testamenti conatur nobis persuadere Kemnitiuſ omnia fuisse scribenda, si neque omnes, neque aliqui Scriptores noui Testamenti, neque ullus illorum id significauit aut dixit?

At vrget Kemnitiuſ. 1. propterea scripsisse illos sacros auctores, ne habere locum possent cõmentitiæ ^b Traditiones. 2. Significare etiam, se illa eadem ^c scribere, quæ antea voce tradiderat. 3. Id fecisse ut ^d credentes salui esse possint. 4. Non satis esse putauisse, si aliquos mitterent, qui verbo doctrinam explicarent, sed adiunxisse etiam ^e literas, ut absentes illi, quæ nam esset doctrina Apostolica, certò cognoscere possent. 5. Voluisse ad eos scribere, qui ab ipsis quidem Apostolis viua voce ^f coram non erudiebantur: quales nos etiam sumus, & reliqui omnes fideles, quibus videre & audire ipsos Apostolos non contigit. 6. Si ipso tempore Apostolorum, scriptis Apostolorum aduersus fictitias Traditiones opus fuit: multò magis postremis his temporibus. 7. Vocasse Apostolum Scripturam suam Canonem & ^g Regulam, quam qui sequerentur, pacem essent habituri. 8. Scripsisse illum ita, ut intelligi posset ^h mysterium Christi, atq; etiã illa, quæ extruenda essent super id fundamentum: præter quæ nihil amplius est desiderandũ, &c. Hæc enim præcipua capita probationis Kemnitianæ sunt, ad quæ reuocantur omnia, quæ prolixè & verbosè de hac ille re frustra inculcat & repetit. Quibus nos breuiter & ordine sic respondemus.

I. Quòd

^a Luc. 1. Ioan. 21. Actor. 15. Rom. 15. 1. Cor. 5. 2. Cor. 1. Galat. 1. Philipp. 3. 2. Theſſa. 3. Ephes. 3. Hebr. 13. 1. Petri 5. 2. Pet. 3. 1. Ioan. 1. 2. 5. &c.

^b Coloff. 2. 2. Corint. 1. & 2.

^d Ioan. 20.

^e Actor. 15. 1. Corinth. 4. 1. Petri 1. 6.

^f Coloffen. 2. &c.

^g Galat. 6.

^h Ephes. 3.

quod si illi
coram illi
coram illi

1. Quòd voluerint Apostoli scriptis etiam suis confutare commentitias priuatorum hominum Traditiones; id sanè nō idem est, atq; voluisse, vt nullæ exstarent communi Ecclesiæ auctoritate probatæ atq; custoditæ Traditiones non scriptæ. Multum enim inter has & illas Traditiones differt: nec nos illas, sed has defendimus: nec Sectarij disputationem vllius Apostoli, aut Euangelistæ, aut Orthodoxi alicuius Patris proferre possunt, aduersus communem aliquam ipsarum Ecclesiarum Traditionem, institutam; sicut iam ipsi Sectarij contra receptas à cuncta Christi Ecclesia Traditiones, ex insolentissima insania (vt postea ex Augustino audiemus) disputant. Quin imò & ipse D. Paulus communem vsum & Traditionem Ecclesiarum opponendam cōtentiosis hominibus existimauit.

2. Frustra verò isti laborant, vt ostendant illa eadem, quæ ante Apostoli viua voce tradiderant, postea etiam scripsisse. Quis enim hoc negat? Quòd autem OMNIA prorsus quæ voce tradiderunt, mandârint etiam literis, id verò est, quod nusquam (vt antè ostendi) in Scriptura noui Testamenti Sectarij legunt. Itaq; D. Irenæus, cū antè dixisset, *Euāgelium quod prius Apostoli præconiauerunt, postea ipsos per Dei voluntatem nobis in Scripturis tradidisse fundamentum & columnam fidei nostra futurum*: tamen paulò pòst nihilominus disertis verbis docet, solitos fuisse Orthodoxos ad Traditionem Apostolicam præter Scripturam prouocare hæreticos, sicut suprâ etiā illius verba recitauimus. Vnde perspicuè apparet non omnia omnino dogmata, quæ ad Euangelicam doctrinam pertinent, significasse ibi Irenæum fuisse mandata literis (vt perperam Kemnitius contendit) sed præcipua quædam eius capita, qualia sunt de vita & morte Christi & redem-

Qua contra commentitias priuatorum hæreticorum Traditiones ab Apost. disputata sunt, frustra obici contra Tradit. Ecclesiæ.

Lib. 3, c. 1.

Eodem lib. cap. 2.

B b ptione

ptione generis humani per ipsum facta, & reliqua, quæ ipsi certè quatuor Euangelistæ literis consignauerunt. De horum enim Scriptura duntaxat se ibi loqui declarat Irenæus (quam etiam verissimè columnam nostræ fidei atq; fundamentum appellat) nō autem de omni doctrina fidei, neque etiam de tota Scripturanoui Testamēti, vt Kemnitius comminiscitur, Irenæi sentētiā suo more deprauans.

In exam. sess.
4. Conc. Trid.

3. Ita, nec sequitur, illos libros continere omnia fidei dogmata, qui ideò scripti dicuntur, vt credētes salui fiant. Non enim vniuersa solūm fidei doctrina, sed quæcunq; etiam eius pars ad eum finem traditur, atque ad eò scribitur: nempe, vt credendo illam, & (quatenus id quidem necesse sit) reliquas omnes partes doctrinæ, salutem cōsequi valeamus. Vt præteream plerosq; Scripturæ libros ferè continere præcipuos illos articulos, quos absolutè quidem & explicitè satis est fideles scire & credere, vt salutem consequi possint. Sed patere tamen doctrinam fidei multò, quàm illos articulos, latiùs, suprā explicauimus.

Parte V. pb. 1.

4. Literas autem ad nuncios ideò Apostoli quandoq; etiam addiderunt, quoniam vel homines nimirum mittebant priuatæ auctoritatis, quam proinde Apostolico quasi sigillo communicare oportuit, vt fidem certioremereretur; vel quia exemplū etiam Decreti, Apostolici Concilij, cum pluribus absentibus communicandū fuit, Act. 15. At Ecclesiæ auctoritas, qua nobis Traditiones Apostolicæ quædam non scriptæ commendantur, non priuata, sed cōmunis & infallibilis auctoritas, tanquam columen firmum veritatis est, cui etiam sine sigillo & literis Apostolicis fidem necesse est adhibere.

5. Iam

5. Iam antè diximus, in illis quidem Ecclesiæ initiis, superstitibus adhuc Apostolis, omnes oportuisse, ad maiorem conciliandam doctrinæ auctoritatem, Apostolico ministerio vel voce in præsentia vel scripto in absentia erudiri. Apostolis autem vita defunctis, ipsius etiam Ecclesiæ per illos plantatæ auctoritatem clarissimam factis fidelibus esse debuisse, ut crederent quoque; viuæ vocis Traditiones Apostolicas ab Ecclesia propositas atque commendatas. Itaque accipio sanè quod proficitur *Kemnitius*, si tam certò constaret, eas, quæ nunc proponuntur Traditiones Apostolico titulo, doctrinam Apostolicam continere, quàm ipsam Scripturam, quæ pro Apostolica iam habetur, ab omnibus tales Traditiones equè atque Scripturam ipsam esse recipiendas. Accipio hoc, inquam, atque ita deinde subsumo: Omnino æquè certò utrumque constat: nempe eiusdem Ecclesiæ auctoritate, à qua sola similiter certò & infallibiliter accepimus, libros illos, qui Apostolorum nomine sunt inscripti, esse planè Apostolicos. Consequitur igitur, vel ipsis Sæctariis iudicibus, Traditiones quas Ecclesia Catholica, ut Apostolicas commendat, æquè ab omnibus recipiendas esse, atque Scripturas ipsas Apostolicas.

*Confirmatur
Trad. auctori-
tas ex eo quod
concedunt Sæ-
ctarij.*

6. Verum quidem est, multò etiam nunc magis Scripturæ Apostolicæ aduersus commentitias Traditiones particularium seductorum, quæ cum vera Traditione Apostolica scripta, & non scripta, pugnent, usum esse posse. Sed ut tempore ipso Apostolorum nullus vnquam Scripturæ Apostolicæ contra Traditiones communi Ecclesiæ sententia & auctoritate receptas usus fuit, ita neque illis futuris temporibus esse aut potuit aut debuit: cum eodem spiritu veritatis, omni tempore Ecclesia regatur.

7. Non modò Scriptura vniuersa, sed etiam illius pars rectè dicitur Regula fidei, & Canon, modo suo sufficiens ad id quidem infallibiliter credendum quod tradit. Cæterùm Apostolus nusquam dixit, vel suam aliquam, vel etiam totã Scripturam esse *SUFFICIENTEM* fidei Regulã seu Canonem in omnibus omnino quæst. Sed dogma quoddam certè quod aduersus Galatarum errorem confirmarat, rectè dixit esse fidei quandam Regulam & Canonem: nempe illud quod his verbis expresserat: *In Christo Iesu neq, circumcisio aliquid valet neq, præputium, sed noua creatura.* Tum subiunxit: *Quicumque hanc Regulam sequi fuerint, pax super illos & misericordia.* Nempe quia & eum etiam articulum de salute per solum Christum parua vel maximè tenere necesse est, ad veram animi pacem atq; iustitiam beneficio diuinæ misericordiæ comparandam. Cùm igitur Kemnitius contendit, nõ posse Regulam fidei id appellari, quod ad omnes omnino quæstiones fidei non sufficiat: non tam contra nos contendit, quàm cõtra ipsum Apostolum Paulum, qui vnum quoddã fidei dogma (sicut iam dictum est) vocat etiam suo modo credendi Regulam: quæ proinde, si materia quidem, de qua propriè est id dogma, spectetur, additamento non indiget, vt de amussi & regula ratiocinatur Diuus Basilius, à Kemnitio non intellectus.

8. Sanè verò, si non ita & D. Paulus & reliqui Apostoli scripssissent, vt intelligi tandem posset, quid de Christi mysterio & reliquis fidei dogmatibus, quæ scripto tractarunt, dicerent, frustra scripssissent. Sed qua tandem ratione hinc sequitur, omnia prorsus dogmata, quæ quomodocunq; pertinerent ad structuram fidei, Apostolos tractauisse? Certè nusquam hoc illi dicunt, vt antea demonstratum est. Neque verò, si quædam intelligibiliter satis

Aposto-

*Aliquam etiã
partem doctrinæ
fidei posse
dici Regulam.*

Galat. 6.

*Kemnitium cõtra
D. Paulum
disputare.*

Lib. 1. contra
Eunom.

Apostolus scripsit de ipso mysterio Christi, ideò omnia omnino, quæ in Scriptura sunt illius & aliorum Apostolorum, putare debemus esse prorsus clara & intellectu facilia. Quin imò quædam sunt & in D. Pauli epistolis & in aliis libris sacris intellectu difficilia, quæ instabiles homines deprauant ad suam perditionem, vt superiùs ex D. Petri sententia satis conuicimus. Est igitur planè commentitium quod Sectarij dicunt, absoluto atque perfecto iam vniuerso Scripturæ noui Testamenti Canone, nihil præterea de dogmatibus fidei superesse, quod illo non fuerit comprehensum, ideoque non licere iam ad Traditionum probationem vsurpare, quod Diuus Paulus ad Thessalonicenses, de Traditionibus per sermonem acceptis, scripsit, cùm nondum esset Scripturarum Canon completus. Defendimus enim hætenus, probari nulla ratione posse, quòd in ipsa etiam tota Scriptura comprehendantur omnia.

Quæ cùm ita sint, falsissimum illud est, quod hæretici putant, Dei verbum vniuersum sacris libris contineri. Rectius ac verius multo de reuelata doctrina siue de verbo Dei Orthodoxi docent, cùm aiunt: Dei verbum duplex esse, siue potius dupliciter illud existere: impressum, & expressum. Impressum dicitur vt interna notitia Prophetæ vel Apostoli, quem Spiritus sanctus inspiratione sua primò docuit, cõrinetur. Expressum autem, vt idem per Prophetas & Apostolos est hominibus aliis patefactum. Hoc rursus verbum expressum esse item duplex: Vnum quod dictante Spiritu sancto Apostoli aut Prophetæ literis consignârunt. Alterum quod viua voce tradiderunt. Proinde doctrinam reuelatam siue Dei verbum latiùs multò patere quàm Scripturam, neque illud esse ad mutas literas alligatum. Itaq; & ante legem scri-

2. Petrij.

Orthodoxa doctrina de Dei Verbo.

Dei Verbum impressum.

Idè expressum.

Scriptum. Non scriptum.

Verbū Dei latius patere, quam Verbum scriptum, probatur.

ptam per Moysen, in Ecclesia fuit procul dubio doctrina reuelata aliquarum Propositionum fidei, atq; ad eò Dei verbum, quod proinde viua vocis Traditione custodiebatur. Sed & Ecclesia ipsa Christiana, Apostolorum & Euangelistarum scriptis est antiquior; neque tamen illa vnquam verbo Dei siue doctrina reuelata caruit. Prius enim Apostoli Euangelium viua voce quàm scriptis tradiderunt. Vt videre est apud ^a Eusebium, & ^b Hieronymum, item què apud Diuum ^c Chrysostrum. Quod ipsum Diuus Lucas initio Euangelij sui apertè indicat, cum sic præfatur: *Quoniam multi, inquit, conati sunt, ordinare narrationem, quæ in nobis completa sunt, rerum, sicut TRADIDERUNT nobis, qui ab initio ipsi viderunt & ministri fuerunt sermonis; visum est mihi assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile.* Quæ ratione igitur verbum Dei aliquando totum Traditione consistebat, eadem nunc etiam quadam ex parte in Ecclesia (vt probaui) viuæ vocis Traditione conseruatur: vt eo verius sit illud, quod de Ecclesia Dominus prædixerat per Isaiam: *Verba mea, quæ posui in ORE tuo, non recedent de ORE tuo, & de ORE seminis tui, amodò & vsque in sempiternum.*

^a Lib. 3. hist. cap. 24.
^b In Catalog. script. Eccles. de Matth. & de Ioanne.
^c Homil. 1. in Matth.
 Lucæ 1.

Isai. 59.

Responsio ad l. argumentum Sectariorum.

QUIBUS rebus explicatis, nullo iam negotio conuclitur primum illud hæreticorum fundamentum supra positum. Nam quod ex Apostolo assumunt, Scripturam, doctrinam vtilem ad omnia continere, id non ita intelligi debet, quasi ipsa sola propriè & per se omnia distinctè tradat, quæ vel credenda vel facienda sunt, sed quoniam quæ sunt credenda & facienda, aut ipsamet tradit, aut certè regulam indicat, ex qua ea sint discenda, nempe Ecclesiæ & Traditionum auctoritatem, quam ipsa quoque Scriptura commendat. Hoc modo Apostolus vult, & Ortho-

Orthodoxi etiam docent, Scripturam continere quæ sunt ad salutem necessaria; vt superius etiam explicauimus. Ita fit, vt suus etiam Traditionibus sit locus: atque etiam, vt ea quidem ratione, ministro Euangelij (quod vrgebat Kemnitius) utilis Scriptura sit ad munus suum absolutè explendum: siquidem eum ipsa admonet Ecclesiæ quoque & Traditionum auctoritate in functione muneris Ecclesiastici esse vtendum.

Parte V. probat. 2.

Quod verò in primo illo fundamento Sectariorum ex Deuteronomio addebatur, credendum esse sacerdoti iudicanti secundum legem & non aliter, libenter id sanè damus Sectariis. Sed duo tamen hîc eos meminisse oportet. Alterū, quod, vt paulò antè dicebamus, lex siue Dei verbum latius multò quàm lex siue Dei verbū scriptum patet. Alterum, quod nemini subditorum tamen fas erat iudiciū sibi de Iudicis sui sacerdotisq; definitione arrogare (cū res aliter manifestè præiudicata nō erat) num diuinæ legi esset consentanea; quin simpliciter oēs iubebantur sacerdoti de rebus controuersis aliquid statuenti acquiescere. *Qui enim, inquit, superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, morietur homo ille.* Itaque cū sine contradictione vlla obedire homines iussu sunt sacerdoti iudicanti secundum diuinam legem; persuadere sibi etiam diuinitus iussu sunt, illum cū de rebus cōtrouersis iudicabat, omnino iudicare secundum diuinam legem: Quod ipsum multò etiam maximè persuadere nobis de summo Ecclesiæ Pastore, cū ex Traditione Ecclesiastica controuersias religionis definit, nunc iubemur.

Parte V. probat. 2.

In eo quod Scriptura dicit obtemperandum esse sacerdoti iudicanti secundum Dei legem, quid sit considerandū.

Deut. 17.

Neque verò (quod in eodem argumento addebatur) si Traditiones Ecclesiasticas sequimur, ea hominum instituta sequimur, quæ Christus repudiari vult, nempe quæ pugnent cum lege diuina. Non enim eiusmodi nos Traditio-

Traditiones tuemur, sed eas quæ rectissimæ sunt & auctoritatem etiam habent diuinam. Quare neque in illud etiam præceptum: *Non addetis, &c.* ea ratione quicquam committimus. Non enim addere & detrudere, hoc & similibus locis intelligitur, nisi is qui aliquid contra Deilegem vel doctrinam, aut agit, aut agere prætermittit. Aliàs nec Prophetis post Moysen, nec Apostolis post Evangelistas scribere quicquam licuisset. Quare de re quoniam aliis etiam in locis multa contra Sectarios ad explanationem eius præcepti, de non addendo, disputauimus, non est operæpretium hîc plura dicere.

Deut. 12.

^a In Apolog. præfertim de idololatria & in confutatione spongiæ Herbrandi, cap. 2. & in tractatu, itemq; Apolog. de sacris. Missæ, ca. 4. probat. 3.

PROBATIO II.

SECUNDA probatio. Si fidei ac religionis negotium doctrina tantum scripta contineretur, magnum hæreticis ad errores in Ecclesiam inuehendos pateret ostium. Sed, ut argumento suo secundo hæretici ipsi sumunt, credendum non est, Apostolos usque ad eò apertum ostium erroribus reliquisse. Ergo minimè existimandum est, eos tradidisse omnia scripto. Id confirmatur. Nam doctrina Scripturæ, cum (ut suprâ conuicimus) obscura sit, & multis literis inclusa, quæ neque declarare palam seipsa, neque in controuersia tueri aduersus nouarum interpretationum corruptelas potest; facillimè à contentiosis calidisque ingeniis adulteratur. Contrâ verò Traditio successione continua uiuit in animis fidelium semper, inprimisque Catholicorum Doctorum, qui à Maioribus illam acceperunt. Proinde ab hæreticis reici quidem nequiter Traditio Ecclesiæ communis potest: adulterari autem & corrumpi, sicut Scriptura, non potest.

Parte V. probat. I.

Scripturam multo quam Traditione facilius ab hæreticis adulterari posse.

Id probatur ab ipsa experientia.

^b Lib. 3, hist. cap. 32.

Cuius rei argumentum clarissimum est, quod Egesippus, referente^b Eusebio, scribit, quo tempore superstitionibus adhuc Apostolis uiuæ uocis Traditio magis uigebat, eo virginem mundam & immaculatam mansisse Ecclesiam; *uerbi*

verbi Dei temeratoribus aut nusquam omnino exstantibus, aut certe delitescantibus. Vbi verò Apostolorum chorus, & omnis ætas illa, quæ à Domino susceperat viua vocis auditum, de hac luce decessit, tunc, velut in vacuum domum, falsa doctrina impium se immersisse errorem; & tanquam nullus iam diuini sensus defensor existeret, nudato, ut aiunt, capite corripientes verba mendacij oppugnare Apostolicam veritatem hæreticos cepisse.

Item huic rei argumento est omnium hæreticorum institutum, quibus nisi Ecclesiastica Traditio tam esset contraria, tamque Scriptura facilis ad corrupendum, non illi tantoperè omnem Traditionem execrarentur & amplecterentur solam Scripturam. Videas, inquit Vincentius Lyrinensis, illos volare per singula quæq; sacra legis volumina, per Moysis, per Regnorum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Euangelia, per Prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive priuatim, sive publicè, sive in sermonibus, sive libris, sive conuiuiis (videtur de nostris in Germania Sectariis loqui) sive in plateis, nihil vnquam de suo proferunt, quod non etiam Scriptura verbis adumbrare conentur. Et paulò post: Sciunt enim factores suos nulli ferè placituros, si nudè & simpliciter exhalentur. Atque idcirco illos cælestis eloquij verbis velut quodam aromate aspergunt. Et post aliqua: Quonam modo igitur Catholici, in Scripturis sanctis veritatem à falsitate discernent? Diuinum, inquit, Canonem secundum vniuersalis Ecclesie Traditiones, & iuxta Catholici dogmatis Regulas interpretentur. In eandemque sententiam multa præclare Diuus^e Hilarius & Irenæus scripta reliquerunt. Quocirca meritò Tertullianus in libro de Præscriptione hæreticorum monet, aduersus illos Traditione magis quàm Scriptura agendum esse. Et Ignatius apud Eusebium ea ratione docet hæreticorum vitari posse contagia, si diligentius Traditioni inhæreamus, Quod idem pluribus argumen-

Cc tis

^e Ad Constantium.
^d Lib. 1. c. 1. & 1. 3. c. 2. & 3.
^e Lib. de Præscript.
^f Apud Euseb. lib. 3. cap. 36.

tis Vincentius Lyrinensis, in libro illo suo pulcherrimo sapienter admodum ostendit.

*Responsio ad
11. argumentū
hæreticorum.*

EX QVIBVS secundum illud hæreticorum argumentum facillè refutatur. Nam sine comparatione vlla plures hæretici sunt atque fuerunt, qui Scriptura ad errorem abuterentur, quàm qui comminiscerentur falsas Traditiones. Et nos non vanas atque Apocryphas tuemur Traditiones, sed illas tantùm, de quibus legitima via rationeque (iudicio Ecclesiæ) constiterit.

*In exam. fess.
4. Concil. Trident.*

Ac est planè vanissimum figmentum, quod Kemnitius contendit, errores eos, qui ante scriptam legem circa verum Dei cultum religionemque irrepsere, prætextu Traditionum susceptos ab hominibus atque defensos fuisse. Vbinam enim hoc iste legit? Certè in libro Sapientia origo idololatriæ, quæ temporibus illis longè lateque serpsit, non aliqua ementita Traditio, tanquam à primis Patriarchis accepta, esse dicitur, sed aliæ causæ eius erroris fuisse narrantur. Quanquam si maximè homines illi Traditionem etiam Maiorum, ad erroris prætextum committi sint, quid hoc, obsecro, nobis obstat? An inde statim consequitur, pari modo posse communi errore ab Ecclesia ipsa probari & retineri commentitias Traditiones?

Cap. 13. & 14.

Loco citat.

Sic & illud etiam est Kemnitij figmentum, quòd ait, eo consilio à Moyse & ab aliis deinceps doctrinam cœlestem diuinitus mandatam literis fuisse, vt Scriptura sola vnoquoque tempore esset fidei norma, neque vllus locus Traditionibus relinqueretur, ex quo homines occasionem sumere possent commentitias Traditiones fingendi: itemque vt non foret opus præter Scripturam ipsam peculiaribus porrò reuelationibus. Hæc dico à Kemnitio non probari, sed fingi. Primùm enim, quòd post scriptam legem

legem nullæ fuerint, communi iudicio illius Ecclesiæ veteris, bonæ ac probatæ Traditiones, quæ vel ad cultum, vel ad sententiam & interpretationem legis, de fide præsertim in Christum, pertinerent; prorsus falsum est. Superpetebat enim procul dubio remedium aliquod sceminae proli, etiam post scriptam legem, ad expiationem peccati originalis: neque vsquã tamen id remedium scriptum in veteri Testamento reperitur. Item commemorat (vt alia omittamus) & laudat Scriptura Traditiones plures non scriptas Rechabitarum. Neque certè etiam dubitandum est, quin orandi institutum pro defunctis ex maiorum Traditione Machabæi acceperint: cum in lege quidem nihil ea de re sit scriptum. Deinde si libri veteris Testamenti eo consilio scripti fuerunt, vt præterea non esset opus reuelationibus; quò factum est, vt post scriptã etiam legem nunquam Prophetæ & Prophetiæ defuerint?

Scripturæ igitur veteris aliæ procul dubio causæ fuerunt. 1. Vt ea etiam ratione, per se quoque optima, hominum salutis consuleretur. 2. Vt ad plures cognitio cœlestis doctrinæ, propius imminente tempore gratiæ, facilius deriuari posset. 3. Vt quia latissimè patebat ratio eius legis quam Deus per Moysen sancire stabilireque voluit, descripta esset in promptu. 4. Vt, vel ipsis Iudæis inuitis, Christianus populus aliquando copiam eius doctrinæ haberet ad comprobandam illius etiam auctoritate atque antiquitate rationem Christianæ doctrinæ tanquam ex suo quodam teste & typo, &c.

Quod verò alij hæretici in illo secundo argumento addebant, Traditiones nimirum Ecclesiasticas clanculariam, ac proinde falsam doctrinam redolere; id vanissimè ab illis dicitur. Aliud enim est, celari omnino doctrinam

Ierem. 35.

1. Machab. 12.

Scriptura veteris Testamenti causa.

Traditionum doctrinam non esse clanculariam.

(quod hæretici interdum faciunt, ne illorum errores à doctioribus redarguantur) aliud, non passim vulgari to- tam scripto, sed apud doctiores capita quædam conser- uari, aliisque non nisi habita ratione personarum & loci & temporis patefieri: id quod iam iam probabimus, plu- rimum expedire.

PROBATIO
III.

*Oportuisse ad
doctrinam conser-
uationem & ma-
iorem voce
quædam ab A-
postolis tradi.
g. Lib. 3. de lo-
cis Theolog.
cap. 3.*

*h. In Psal. 2.
i. Homil. 5. in
Numer.*

4. Esd. cap. 14.

TERTIA probatio. Doctrina cœlestis eo modo fuit ab Apostolis Ecclesiæ tradenda, quo pura conseruari commodissimè possit, vt ipsi etiam vrgent hæretici. Sed ralis omnino moduserat, vt non omnia Apostoli scripta traderent, sed quædam tantummodo viua voce. Ergo confitendum est, sic ab Apostolis factum esse. Id verò & exemplis & ratione confirmamus. Exempla sanè quàm plurima refert^s Canus, ex quibus illud memorabile satis esse videtur, quòd toto tempore legis naturæ ante Moy- sen Ecclesia fidelium viuæ duntaxat vocis Traditionibus conseruata & gubernata est. Quod profectò Dei consili- um optima & congruentissima ratione carere nō potuit.

Sententia præterea non Hebræorum solùm, sed eti- am Diui^h Hilarij, & ⁱ Origenis est; Moysen non modò le- gem à Domino in montè accepisse, verùm etiam arcana quædam mysteria, quæ ad legis interpretationem & ex- positionem pertinerent; iussùmque fuisse, vt legem qui- dem ipsam scriberet, illius autem interpretationem vi- ua tantùm voce ministro suo Iosue secretò traderet, vt is deinceps cum sacerdotibus aliis similiter eam commu- nicaret, perpetua vt Traditione apud illos conseruaretur. Cui sententiæ consentaneum est, quod de Deo legi- mus in libro quarto Esdræ. *Enarraui, inquit, Moysi mirabi- lia multa, & præcepi ei dicens: Hæc in palam facies verba, & hæc abscondes.* Quod certè diuinum consilium (verum enim ab illis Patribus, atque etiam in eo libro Esdræ, licet non planè

planè Canonico, narrari videtur) ratione similiter care-
re minimè potuit. Nec, si occasione diuini eius consilij
Hebræi Thalmudici ad fingendum postea falsas Tradi-
tiones quasdam abusi sunt, idcirco sua veris Traditioni-
bus, quæ essent communi iudicio populi Dei probatæ,
periit (illo tempore) auctoritas. Vt neque idè Scriptu-
ra suam amittit auctoritatem, quoniam sine compara-
tione plures illius nomine quàm Traditionum titulo ad
patrocinium erroris sunt abusi: magna profectò, vt sit
impudentia Kemnitij, quòd similiter ad Traditiones cõ-
muni Ecclesiæ Catholicæ iudicio probatas pertinere illa
velit, quæ in commentitiis quibusdam Thalmudicorũ
Traditionibus meritò reprehendi possunt.

Sed omissis veteribus exemplis, ostendamus rationi-
bus, quam ob rem oportuerit, vt aliqua per Apostolos
vix duntaxat voce traderentur. Primum, maiori certè
in pretio ac veneratione habetur doctrina sacra, dum
non omnia illius capita quibusuis de media plebe homi-
nibus scripto euulgantur, sed aliqua apud doctiores, ve-
lut thesauri quidam reconditi custodiuntur, vt ea, quæ
scripta sunt, facilius illi, vbi, & quãdo, & quibus opus est,
exponere possint. Qua sanè ratione Diuus^k Basilius, atq;
etiam^l Origenes auctoritatem Traditionum Apostoli-
carum nõ scriptarum probant, eandemq; exemplo Mo-
sis confirmant, qui nec omnibus omnino loca omnia
templi patere olim voluerit, *Probè gnarus, inquit Basilius,*
ei quod conculcatum est, & per se apprehendi potest, imminere
contemptum: quod verò remotum est ac rarum; ei naturaliter
quodammodo esse coniunctam admirationem. Sic etiam Diuus
Paulus delectum non mediocrem habebat earum per-
sonarum, quibus essent exponenda diuina mysteria, ne
omnia promiscuè omnibus euulgarentur.^m *Non iudicani,*

Cc 3 inquit,

*In maiori Ge-
neratione ha-
beri doctrinã,
qua non omni-
bus passim vul-
gatur.*

*¶ Lib. de Spir.
sancto, c. 27.
/ Homil. 5. in
Num.*

m 1. Cor. 2.

inquit, *me scire aliquid inter vos, nisi Christum & hunc crucifixum: SAPIENTIAM autem loquimur inter perfectos.* Quam etiam in docendo discretionem Timotheo cōmendat: *Formam, inquit, habe sanorum verborum, & que audisti à me per multos testes, hac commenda fidelibus hominibus, qui IDONEI erunt, & alios docere.* Atq; id ipsum diligenter monet Diuus^p Dionysius. Neq; tamen id circo volumus, vt doctrinæ cœlestis Traditiones perpetuò vulgaribus hominibus signotæ sint: sed ne, si omnis doctrinæ ratio exposita scripto atq; in promptu passim sit omnibus, contemptui pateat. Alioquî, vt postea dicemus, neminem sanè, cùm id est opportunum, celat Ecclesia Traditionum mysteria.

n 2. Tim. 1.

o 2. Tim. 2.

p Cap. 1. Eccl. Hier.

*Ex obscuritate
Scripturarum
colligi Traditio-
num neces-
sitate.*

Huc accedit, quòd Scripturam, sicut superius demonstrauimus, obscuram esse voluit Spiritus sanctus, nec id sine magna ratione: nec verò expediebat, vt iidem sacri auctores in suos ipsi libros scriberent commentarios clariore. Oportuit igitur, vt Scripturæ sensus genuinos & proprios Apostoli saltem viua voce traderent, vt de aure in aurem ad posteros quosq; fideles deriuarentur. Denique & hac ratione ordo Ecclesiasticæ Hierarchiæ longè melius conseruatur, si quod ad doctrinam adeoq; religionem attinet, inferiores à Maiorum & doctiorum Traditione pendeant. Quæ mihi satis esse videntur ad congruentiam quidem Traditionum ostendendam.

*Responsio ad 3.
argum. hæretico-
rum.*

EX QUIBUS etiam facilè tertium hæreticorum fundamentum refellitur. Nam quod aiebant, vix fieri posse, vt Traditione non immutetur atque corruptatur tandem doctrina, id profectò friuolum est. Non enim humana tantùm industria & cura conseruatum iri in Ecclesia Traditiones Apostolicas putādum est, sed eadem inprimis Spiritus sancti prouidentia singulari, qua regi-

*Non esse timē-
dum ne Traditio-
ne custodita
doctrina vel
intereat vel
corruptatur.*

tur

tur Ecclesia. Quocirca minimè timendum est, ne Traditionum doctrina intereat: non magis certè quàm ne Scripturam aliquando amittat Ecclesia. Quæ tamen ipsa, si humanam prouidentiam tantum cogitaremus, facilè etiam ita posset interire, quomodo pleraque veterum tum Philosophorum, tum Ecclesiasticorum etiam auctorum monumenta interierunt.

Ergo Deus, qui Traditionem fidei toto tempore legis naturæ absque vllis Scripturis conseruauit, nunc etiam & Scripturam & Traditionem haud difficiliter conseruabit in Ecclesia perpetuò. Vt interim taceam, eas Traditiones fidei, quas habemus non omnino nullis in Scripturis modo conseruari. Exstant enim sparsim certè in veterum libris & Conciliorum voluminibus, definitionibusque Pontificum, vt postea dicemus. Sed tamen dicuntur viua vocis duntaxat Traditiones, quia ab Apostolis certè ita scriptæ non fuerunt, vt cæteri libri Canonici, sed solùm viua voce pronunciata. Quod autem Kemnitius inculcat, memoriæ etiam causâ scripsisse Apostolos: id verò nihil planè Sectariorum causam contra Traditiones iuuat. Quid enim obstat, quò minus & ad vsum memoriæ certiore quædam Apostoli scripserint, & quædam etiam propter alias causas (de quibus dictum est) viua tantum voce tradiderint?

QVARTO loco Patrum, pro asserendis Traditionibus, auctoritas hæreticis opponenda est, vt illorum etiam fundamentum postremum, quod ex Patribus malè intellectis constituebant, ex iisdem Patribus refellamus. Diuus Dionysius Areopagita initio libri de Ecclesiastica Hierarchia expositurum se, quæ ad Hierarchicum Ecclesiæ ordinem spectant, præfatur, *secundum sacratissima eloquia & Traditiones*. Ex quo quidem genere pleraque de

Ita posse conseruari Traditionem, sicut Scripturam.

Traditiones Ecclesiasticas scriptis etiam conseruari.

PROBATIO
IIII. ex testimoniis Patrum.

ritu

ritu & administratione Sacramentorum in illo deinceps libro docet, quæ nusquam sunt in sacris Bibliis scripta.

^a Apud Irenæum lib. 3. cap. 3.

^b Apud Euseb. lib. 3. hist. c. 36.

^a Clemens Romanus literas ad Corinthios scripsit: *Anunciāns, quam in recenti ab Apostolis acceperat Traditionem, ut de illo Diuus Irenæus disertis verbis testatur.* ^b Ignatius: *Facilius, existimauit, posse confutari hereses, si diligentius ac tenacius inhereatur Traditionibus Apostolicis, teste Eusebio. Quas Traditiones (inquit de Ignatio idem Eusebius) cautionis gratia, etiam scriptas se asserit reliquisse.* Et tamen vltq; adeo Kemnitius Traditionum odio obcæcatus fuit, ut negauerit, Ignatium eo ipso sensisse aliquas Apostolorum Traditiones præter Scripturam necessarias esse ad perfectionem Christianæ religionis. Quomodo autem id non sensisse Ignatium probat? Cùm enim, inquit, sub

In examine
fest. 4. Concil.
Trident.

titulo Traditionum non scriptarum multa peregrina & falsa obruderentur Ecclesiis, Ignatius iudicauit, necessariam esse scriptam demonstrationem, quæ Traditiones verè essent Apostolicæ.] Haecenus tantùm de eo testimonio Ignatij Kemnitius. Qui an non euidentissimè potius sese ipse redarguit, & testimonium confirmat à nobis adductum pro Traditionibus? Si enim illæ Traditiones ab ipsis Apostolis iam scriptæ extabant: quorsum Ignatius iudicauit necessarium esse, ut cautionis gratia, etiam scriberentur? Porro sæpe quoq; idem ^c Ignatius à Traditionibus est argumentatus. ^d Tertullianus similiter affirmat potius Traditione quàm Scripturis contra hæreticos agi oportere, ipseq; multas in alio loco ^e Traditiones Apostolicas (præsertim de Baptismo & Eucharistia) non scriptas asserit & enumerat. ^f Irenæus: *Traditionem, inquit, Apostolorum in toto mundo manifestatam in Ecclesia licet perspicere omnibus, qui vera velint audire.* Loquitur autem de Traditione, quam paulò antè ^g dixerat obii-

^e In epist. ad Philadelph. & in epistol. ad Heronem.

^d In lib. de Præscript.

^e In lib. de Corona militis.

^f Lib. 3. cap. 3. initio.

^g Eodem lib. c. 2. in fine.

obiicien-

obiiciendam quoque præter Scripturam hæreticis esse, ut
^h supra etiam notauimus? Item inquit: *Quid autem si ne-
que Scripturas quidem Apostoli reliquissent nobis? Nonne
oportebat ordinem sequi Traditionis quam tradiderunt eis, qui-
bus committebant Ecclesias?* Quo certè loco de Traditione
tantum illa, quæ est in ipsa Scriptura sacra minimè lo-
quitur, Irenæus: Siquidem apud quoscunque hæreticos
etiam reperire licet ipsam Scripturam atque adeò Tradi-
tionem, ut in Scriptura continetur. At veritatis Tradi-
tionem quam Irenæus hîc dicit esse in Ecclesia; in ea tan-
tummodo (*quasi in quodam depositorio diuiti*) ut antea ibi
dicit, ab Apostolis relictam esse censet. Ac est contra
Kemnitij aliorumque Sectariorum cauillationes hoc
loco obseruandum, ad Traditionum auctoritatem te-
stimonio Irenæi, Tertulliani, & aliorum Patrum confir-
mandam, omnino nihil interesse, in quibusquæstioni-
bus hi Patres putarint Traditiones Apostolicas hæreti-
cis opponi debere: postquam certè constat, eos à Tradi-
tione argumentandum esse censuisse, non modò, ut illa
in ipsis Scripturis continetur, sed maximè etiam, ut con-
seruatur testificatione communi Ecclesiarum & mini-
strorum Ecclesiasticorum, qui legitima serie in Aposto-
lorum locum succedunt. Inde enim euidentissimè conse-
quitur, sententiã Irenæi, Tertulliani & aliorum Patrum,
ea omnia dogmata necessariò recipienda esse, quæ com-
muni illa testificatione ministrorū & Ecclesiarum, tan-
quam ab Apostolis accepta traduntur, siue illa quidem
alioquid demonstrari etiam possint ex Scripturis, siue non
possint. Nam si testificatio eiusmodi communis Eccle-
sia, iudicio Patrum, per se quoque ipsa est infallibilis, ido-
neaque, ut in primis præter Scripturam hæreticis oppo-
natur: necesse est profectò, ut eorundem Patrum iudicio,

Dd certa

h Parte V. pro-
batione 1. sub
finem.
• Lib. 3. c. 4.

*In testimonio
Patrum, qua
pro Traditio-
nibus afferun-
tur, quid cõtra
Sectariorum ca-
uillationes ob-
seruandum.*

certa sint atque infallibilia quæcunque dogmata ab illa eadem communi Ecclesiæ restificatione tradantur. Quare diligenter animaduersa, cauillationes Sectariorum, quibus se in hac quæstione à quibusdam Patrum testimoniis expedire conantur, facile omnes refutari possunt.

¶ Lib. 2. ep. 3. ad Cæcili.

Kemnit. in examine sess. 4. Concil. Trid. 1. Homil. 5. in Numer.

Porro^k Cyprianus aquam miscendam vino esse in calice ex Christi institutione probat: quæ tamen institutio nunquam scripta reperitur: licet Kemnitius (fortè somniās) affirmet, mixtionis huius Traditionem scriptam exstare.

1. Origenes: *Eucharistia, inquit, percipienda, vel eo ritu quo geritur, explicanda, & eorum quæ geruntur in Baptismo, verborum gestorumq. & ordinum, atq. interrogationum, & respon-*

sonum, quis facile explicet rationem? Et tamen hæc omnia, inquit, implemus & exequimur, ut à magno Pontifice (Christo) & eius filiis (Apostolis) tradita & commendata suscepimus.

¶ Tracta. 29. in Matth.

Acrursus in alio loco: ^m *Quoties hæretici, inquit, Canonicas proferunt Scripturas, videntur dicere; Ecce in domibus est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire à prima & Ecclesiastica TRADITIONE, neq. aliter credere, nisi quemadmodum per successionē Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis.* Item

¶ Lib. de Spir. sancto, c. 29. ¶ 1. Cor. 11.

Diuusⁿ Basilius: *Apostolicum, inquit, arbitror esse, etiam in nō scriptis Traditionibus perseuerare. Laudo enim, inquit^o Apostolus, vos, quòd omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis Traditiones continetis, & obtinetis^p Traditiones quas accepistis siue per sermonem siue per epistolam. Nec minus sanè vel luculenta, vel grauis in eundem locum Apostoli*

¶ Homil. 4. in 2. epistol. ad Thessal.

Diui Chrysoptomi oratio est. Hinc patet, inquit, quòd non omnia per epistolam Apostoli tradiderint, sed multa etiam sine literis. Eadem verò fide digna sunt tam illa quàm ista. Itaque Traditionem Ecclesiæ fide dignam putamus. Traditio est: nihil

¶ Li. 2. de Baptif. contra Don. c. 7.

quæras amplius. Hætenus Chrysoptomus. Item^r Augustinus: Multa, inquit, non inueniuntur in literis Apostolorum,

rum, & tamen quia custodiuntur per uniuersam Ecclesiam non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur. Quod & sæpissimè Augustinus aliàs ^rrepetit. Hieronymus passim contra Vigilantium Traditionem nō scripta nititur. Itemque contra Luciferianos: ubi inter cætera hæreticos non esse rebaptizandos ait; *Quoniam ita, inquit, nostri tradidere maiores.* Ibi etiam Aduersario concedit, *multa in Ecclesia per Traditionem, qua scripta non sunt, auctoritatem sibi præscripta legis usurpare posse.* Ambrosius quoque idem omnino agnoscit. Et Orthodoxa est planè (ne omnes recenseam) illa Diui^v Ioannis Damasceni sententia: *Multa, inquit, sine scripto nobis Apostoli tradiderunt.* Huc & Conciliorum auctoritas accedit, quorum quidem definitiones magna ex parte Ecclesiastica Traditione nituntur: ut præsertim videre est in septima Synodo generali. Cuius in actione septima Traditiones Ecclesiasticæ probantur. Itaque non immeritò huiusmodi etiam Traditionum assertio in Concilio Tridentino sub anathemate confirmata est.

Nunc breuiter ad auctoritates Patrum, quas pro hæreticis quarto loco posuimus, respondendū est, quod facile à nobis iam fieri poterit, quandoquidem eorundem ipsorum Patrum, quos perperam nobis obiiciunt Sæctarij, testimonia pro Traditionum auctoritate clarissima protulimus. Igitur quod ad priorem locum Augustini attinet, de his ille rebus ibi loquitur, quæ ad personam Christi & gesta pertinebant, non de omnibus omnino Christianæ doctrinæ capitibus. In posteriori autem loco non est intelligendus excludere Traditiones, quas aliàs passim commēdat, sed sensus Augustini verborum est, in rebus fidei controuersis argumentandum esse ex Scripturis, vel ex iis principiis certè, quæ eandem cum

Vide supra parte V. probatione 2.

Serm. 34, qui est de quadragesima.
Lib. 4 fidei Orthodoxæ, cap. 13.

Sessione 4.

Responsio ad testimonia Patrum, quibus abutuntur hæretici contra Traditiones.

Vide supra in argumento hæreticorū 4.

Scripturis, hoc est, quæ diuinam habent auctoritatem, non ex aliis vanis aut rationibus aut coniecturis. Atque eadem Diui Hieronymi mens est. Nam si is Traditiones alias, præter vanas, quæ cum veritate Scripturarû & doctrinæ Ecclesiasticæ pugnât, reiicere voluisset, nunquam Ecclesiastica Traditioe aduersum Luciferianos & Vigilantianos passim, vt fecit, egisset. Tantundem de Origene dictum sit. Non enim is de earum Traditionum fide dubitat, quas Scriptura commēdat, hoc est, quas Ecclesia legitimè recipit, sed de aliis argumentis, quæ diuina non nituntur auctoritate. Atque, vt superius etiam notabam, quemadmodum Theologi dicere solent, cum in Scriptura vni tantum diuinæ personæ attribuitur aliqua absoluta perfectio, non excludi ab ea perfectione personas alias eiusdem naturæ, sed tantummodo creaturas: ita Patres, si quādo solius Scripturæ auctoritatem idoneam esse ad fidem faciendam pronūciant; Traditiones ab Ecclesia receptas, quæ eiusdem sunt cum Scriptura auctoritatis, nempe diuinæ, minimè excludi volunt, sed aliā humana priuatæque auctoritatis vel testimonia vel argumenta. In quam planè sententiam Augustinus inquit: Non audiamus: Hoc dico, Hæc dicis. Sed audiamus: Hæc dicit Dominus. Atque eo sanè modo & Constantini testimonium, quod in illo quarto hæreticorum fundamento referebamus, & à Caluino in primis vrgetur, accipi debet. Vbi tamen, textus Theodoretæ non habet *plenè* sicut Caluinus recitat, sed *planè* (ααφῶς). Et verò, vt rectè Melchior Canus notat, licet Constantinus aliquid illa oratione asseruisset falsum, tamen non propterea debuisset illico à Concilij Patribus interpellari. Dissimulant enim illi prudenter aliqua, quæ non sunt definitionibus fidei factura aut detractura fidem.

R E S T A T

Parre V. probatione 2.

August. lib. de vnit. Eccl. c. 3. Similiter loquuntur Hieronymus in Psalm. 86. Chrysof. homil. 13. in 2. Corint. &c. Theodor. li. 1. cap. 7. Lib. 3. de locis cap. vlt.

RESTAT nunc, vt breuiter expediamus postremum illud caput de Traditionibus propositū, qua videlicet ratione certò dignosci queat Apostolica Traditio. Quā ad rem quatuor quasi viæ certissimæq; Regulæ communiter tradi solent. Prima est in Ecclesiæ auctoritate sita. Nam si quid illa tanquam Apostolicam Traditionem recipit; idque fidelibus omnibus, vt credatur proponit, sine vlla dubitatione pro Apostolica Traditione recipiendum est. Sic Patres in septima Synodo imaginum venerationem, vt ab Apostolis traditam probauerunt. Quod si verò obiicias: Ecclesiam ex Apostolica Traditione iudicare debere, tãquam ex vna quadam definiendi Regula; ac proinde illius munus non esse, quæ sit Apostolica Traditio determinare: facillimè id quidem expeditur. Sicut enim Ecclesia ex Scriptura iudicat, nec tamen idèd (vt suprâ declarauimus) incommodum est, illam ipsam quoque, quæ sit Scriptura sacra, determinare; ita etiam nullum incommodum censi debet, quod eadem Traditiones Apostolicas iudicet, ex quibus fidei controuersias determinet. Vtrumq; enim Spiritu sancto suggerente certissimè facit.

Secunda Regula sumitur ex Patrum sententia concordi, idque dupliciter. Vno modo, si illi omnes recipiant dogma aliquod, tanquam de fide, contrariumque damnent vt hæreticum. Altero modo, si expressè etiam asserant, sententiam aliquam, seu institutum, esse Apostolicam Traditionem. Quod enim alterutro modo aut utroque illi asseuerant, nec in Scripturis alioquè est expressum; credendum est, ex Traditione manare Apostolica. Non enim possunt omnes errare, vti paulò post ostendetur. Ac priori quidem modo sententiã Patrum per Traditionem constat perpetua virginitas sanctissimæ

III.

Traditio Verè Apostolica, quo modo dignoscenda: quam ad rem 4. assignatur Regula.
Regula I.

7. Synod. acti. 6.

Non esse incommodum, quòd Ecclesia iudicet de auctoritate ipsius Traditionis, ex qua item determinare conueniam debet.

Regula II.

Dei matris Mariæ. Posteriori autem veneratio imaginum, Apostolicum Symbolum, & id genus alia.

Regula III.

Tertia Regula est, communis consensus fidelium, si quid illo approbari constat, quod alioquî Scriptura non tradit; præsertim si maius quiddam & excellentius id est, quàm ut humana auctoritate constitui poterit. Quæ enim eiusmodi sunt, credendum est, Apostolos diuinitus inspiratos Ecclesiæ tradidisse. Quo sanè pacto per Traditionem probari potest auctoritas, quam habet Ecclesia dispensandi in votis & relaxandi iuramenta. Itemque diremptio matrimonij rati per votum solenne religionis, &c.

Regula IIII.

Lib. 4. de bapt. contra Donatist. c. 24. Vide etiã epist. 118. ad Ianu. c. 5. ubi infolentissimam infamiam esse dicit de iis rebus disputare, quas vniuersa Ecclesia vsurpat.

Lib. 3. de locis, cap. 4.

Quis illarum quatuor Regularum sit vsus.

Quarta eaque latissimè patens Regula est, quam Diuus Augustinus, magno Orthodoxorum omnium consensu, tradit: *Quod vniuersa, inquit, tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi ab Apostolica auctoritate traditum, rectissimè creditur.* Ac ratio est manifesta. Quia si ante quemcunque vel Patrem vel Concilium mentio alicuius vel dogmatis vel instituti facta in Ecclesia est, initium sine dubio habuerit oportet ab Apostolis. Huius generis sunt ordines minores, Ieiunium quadragesimæ, & similia, de quibus rebus rectè mihi inter cæteros Melchior Canus scripsisse videtur.

Illud tantummodo hoc loco addam: quum dicimus, quatuor has esse Regulas cognoscendarum Traditionum, non hoc ita intelligendum esse, quasi velimus aliquas esse Traditiones, quæ tantum ex vna vel ex altera eiusmodi Regularum constant (constant enim ferè omnes ex illis omnibus) tantum volumus, quamlibet earum Regularum esse ad Traditionem Apostolicam cognoscendam per se sufficientem. Quo fit, ut certiores sint Ecclesiæ Traditiones, quòd ex illis Regularum

lis ferè omnibus sunt compertæ. Atque hæc quidem de Traditionibus nunc sufficient.

DE CONCILIIIS.

DEINDE dicendum est de Conciliis, primùm, quæ illorum sit ratio & varietas, tum quanta auctoritas in definitione fidei.

SYNODI vel Concilij nomine intelligimus generatim loquendo Episcopos vel Sacerdotes in vnum locum conuenientes ad constituendum de negotiis Ecclesiasticis, quæ ad religionem pertinent, hoc est, de fide aut cultu, aut moribus. Porro Conciliorum triplex genus est. Alia sunt Oecumenica siue vniuersalia. Alia prouincialia. Alia Episcopalia.

VNIVERSALIA Concilia dicuntur ea, quæ coguntur summi Pontificis auctoritate, præcipuos Ecclesiæ Prælatos, hoc est, Episcopos, & iis superiores Antistites conuocantis. Nec verò est opus, vt omnes omnino euocet; multo que minus, vt omnes veniant. Satis fuerit magnam partem illorum euocari atque congregari, vt rectè ^a Canus & Ioannes ^b Turrecremata declarant. Potest autem ac solet Pontifex alias graues personas Ecclesiasticas (cuiusmodi sunt Generales religionum) vt in Concilio sententiam dicant accersere, tamen si Episcopi non sint. Itemque adhibentur alij docti viri Ecclesiastici, tantum vt de rebus tractandis differant. De quibus & aliis id genus rebus, quæ ad formam ac modum Concilij vniuersalis pertinent, copiosè sanè ac diligenter scriptum est à ^c Turrecremata. Quod autem volunt Sectarij Laicos etiam homines sacrarum literarum peritos in Concilio vniuersali adhibendos esse, id quidem prolixa refutatione non indiget.

I.
Conciliorum ratio & varietas.

Concilia vniuersalia.

^a Lib. 5. de locis c. 2.
^b Lib. 3. de Eccl. c. 16.

^c Lib. 3. de Eccl. cap. 6. & seq.

Quid

*Laicos non esse
adhibendos in
Concilio.*

d Ephes. 4.

e Jerem. 3.

f Deuter 17.

*g Lib. 3. de Ec-
cles. c. 12.
Concilia pro-
uincialia.*

Episcopalia.

II.

*Conciliorum
quanta aucto-
ritas sit.*

*Respondetur ei
quæstioni dua-
bus assertio.*

1.

2.

*Nullum Conci-
lium esse infal-
libile sine Ro-
mani Pontificis
approbatione.
Probatio I.*

Quid enim à ratione magis alienum sit, quàm si vbi a-
gitur de discernendis doctrinæ pascuis salutaribus ab no-
xiis, iudicium ea de re ipsis ouibus committatur? Pasto-
rum hoc certè proprium munus est. Quàm ob rem Di-
uus Paulus officium Pastoris & Doctoris cõiunxit: ^a *Alios
dedit, inquit, Pastores & Doctores.* Et ipse Dominus per Ie-
remiam: ^e *Dabo, inquit, Pastores, & pascent vos scientia & do-
ctrina.* Itemq; in ^f Deuteronomio: *Si difficile & ambiguum
apud te iudicium esse perspexeris, venies ad sacerdotes* (ad sa-
cerdotes inquit) *Leuitici generis, &c.* Denique perpetua
quoque fuit in Ecclesia Christiana consuetudo, vt Præla-
ti tantùm maiores ad Concilium euocarentur, quem-
admodum eruditè ostendit ^b Turrecremata. Iam Con-
cilia *Provincialia* sunt, quæ congregantur auctoritate Me-
tropolitani vel Primatis euocantis Episcopos vnius pro-
uinciæ aut regni. *Episcopalia* verò, quæ auctoritate Episco-
pi conuocantur sacerdotes suæ diocesis.

HIS ITA breuiter positis quæstio huius loci propria ac
præcipua est, qualem & quantam auctoritatem ha-
beant Concilia in iis rebus, quæ ad fidem spectant, deter-
minandis? Cui quæstioni breuiter duabus assertionibus
responderi potest. Prima. Nullum Concilium infallibi-
lem auctoritatem definiendi per se habet seclusa Roma-
ni Pontificis approbatione. Secunda. Accedente Ro-
mani Pontificis confirmatione Concilium quoduis est
infallibile.

Primam assertionem ea ratione manifestè proba-
mus, quòd aliqua Concilia etiam vniuersalia per Ponti-
ficem non confirmata quandoque errauerunt. Vt Ephe-
sinum secundum cum Dioscuro, à Leone quidem indi-
ctum, sed non confirmatum. Item Basiliensè sub Euge-
nio quarto, vt infra videbimus. Item Ariminensè, sexcen-
torum

torum Episcoporum cum Arrio; & Constantinopolitanum sub Leone Imperatore, trecentorum Episcoporum. Quanquam neque hæc duo postrema, Romani Pontificis auctoritate congregata sunt; vt neque quoddam aliud Pisānum, quod à Schismaticis quibusdam Cardinalibus congregatum fuit anno Domini 408. Atque ita ex ea etiam parte facilius eiusmodi Concilia errare poterunt. Concilium enim vniuersale, quod à Pontifice, vniuersalis Ecclesiæ Pastore, non indicitur, ne Concilij quidem nomine dignum est, sed Conciliabulum potius est appellandum, vt ait ^h Pelagius Pontifex. Etenim ab omni ratione alienissimum est, vt de iis rebus, quæ ad vniuersam Ecclesiam pertinent, cum auctoritate agatur, nisi ex eius præscripto, qui præest Ecclesiæ vniuersæ.

AC EXSTANT præterea pro eadem illa assertionem plurima testimonia nō modò veterum Pontificum, sed etiam ipsorum Conciliorum ac aliorum Patrum, quorum plerasque sententias suprā in confirmatione Primatus Romani Pontificis allegauimus. Peculiariter id asserunt, ² Alexander primus, ⁶ Sixtus primus, ¹ Anicetus, ^m Zepherinus, ⁿ Calixtus, ^o Marcellus, ^p Melchiades, ^q Iulius primus, ^r Damasus, & alij eiusmodi antiqui Pontifices, vel gloria martyrij vel sanctitatis atq; doctrinæ laude ita clari, vt illorum hac de re testimonium, quasi ambitiosè atque falsò & temerè propriam tantum causam egerint, à nemine sine summa leuitate reiici possit: maxime cum illis id palam docētibz nullus illis temporibus Scriptor Catholicus, tanquam falsam sibi dignitatem arrogarent, contradixerit. Idemq; asseritur in ^s septima & ^t octaua Synodo generali, & in Synodo Romā. sub ^v Symmacho, itemq; in alia Romana sub ^x Damaso, & in Concilio ^y Florentino, &c. Et verò Concilium Nicænum à

E c Syluestro

^h Distinct. 17.
Can. Multis.

Probatio II.

ⁱ Epistol. 1.
^k Epistol. 2.
^l Epistol. 1.
^m Epistol. 1.
ⁿ Epistol. 1.
^o Epistol. 1.
^p In epistol. vni-
ca decretali.
^q Epistol. 1. & 2.
^r Epistol. 3. c. 2.
^s Acti. 6. to-
mo 1.
^t Acti. 1. & 7.
^v Distinct. 96.
cap. Bene.
^x Lib. 5. hist.
trip. c. 29.
^y In Decreto
supervisione
Iacobinor.

Syluestro Pontifice: Constantinopolitanum primum à Damaso: Ephesinum à Cælestino: Chalcedonense à Leone: Omnia deniq; quæcunq; in Ecclesia habuerūt auctoritatem, à Romano Pontifice cōfirmata sunt, vt superius etiam cōmemorauimus. Quod etiam testatur^z Paschalis Papa: *Omnia, inquit, Concilia per Romanæ Ecclesie auctoritatem, & facta sunt, & robur acceperunt.* Et^a Symmachus de prouincialibus Conciliis à Pontifice non confirmatis ait: *Quòd quia non habent presentiam, id est, auctoritatem, Pontificis, valetudinem perdiderunt.* Qua de re multa sanè eaq; luculentissima testimonia cōgessit in sua summa de Ecclesia Ioannes à^b Turrecremata.

z Ad Archiepisc. Panorm. & refertur, de electione, cap. Significasti. ^a Distinct. 17. Can. Concilia.

b Li. 3. de Eccl. cap. 32. 33. 34.

Probatio III.

Sine Pontificis auctoritate nihil posse infallibiliter definiti in Ecclesia.

POSTREMO eadem assertio facile probatur ex his, quæ supra de Romani Pontificis primatu cōstituiimus: ex quibus ita formo rationem. Eius tantum est controuersias fidei cum auctoritate infallibili determinare, cuius est in Ecclesia suprema post Christum potestas spiritualis. Sed suprema hæc potestas, Romani duntaxat Pontificis est, non autem vllius Concilij etiam vniuersalis secluso Pontifice. Ergo solius Pontificis siue per se, siue conuocato ad id etiam Concilio, est infallibiliter determinare controuersias fidei, non autem vllius Concilij per se, secluso Pontifice.

Maiorem infallibiliter definiti solius auctoritatis in Ecclesia suprema esse, probatur.

I.

Maiorem huius rationis propositionem confirmo primò. Nam Christi promissiones, quibus ille pollicitus Ecclesie est cognitionem omnem veritatis, satis superque adimplebuntur, si per supremam in Ecclesia potestatem, controuersie omnes fidei cum auctoritate infallibili defini possint. Frustra igitur ac sine fundamento in alio vel aliis, qui potestatem eiusmodi in omnes fideles supremam non habeant, infallibilis ea auctoritas assereretur. Deus enim, vt non deficit in necessariis rebus,

bus, ita nec illius prouidentia superuacane abundat. Secundo probatur eadem propositio. Quoniam infallibilis definitio fidei vniuersam obligat Ecclesiam, hoc est, omnes omnino fideles. Ergo munus infallibiliter definiendi solius potestatis in Ecclesia supremæ est. Tertiò. Quia definitionem fidei infallibilem etiam ille debet recipere, qui supremam in Ecclesia potestatem habuerit; ergo non potest illa fieri per aliquem vel per aliquos inferiores, qui scilicet potestatem eiusmodi supremam non habeant. Per absurdum est enim, ut superior teneatur id decretum acceptare, quod nec ipsemet, nec aliquis superior faciat, sed is potius qui illo inferior sit, & de cuius proinde facto iudicandi auctoritatem ipse habeat.

Iam confirmo similiter propositionem alteram minorem, videlicet solum Pont. Romanum præditum esse supremam post Christum potestate in omnes fideles. Nam quod ipse certè Rom. Pontifex supremam potestatem habeat, supra probatum est, cum & Euangelij & omnis antiquitatis testimoniis ostendimus, præfecisse Christum Petrum eiusque successores vniuersæ Ecclesiæ. At non sunt nec esse possunt in Ecclesia duæ supremæ potestates tales; hoc est, nequeunt esse quasi magistratus duo, quorum quilibet per se supremam in omnes omnino fideles potestatem habeat. Solum igitur Romanum Pontificem habere eiusmodi potestatem supremam, confitendum est. Etenim, si duæ tales essent potestates supremæ; quælibet illarum, & neutra illarum esset suprema: quod ne intelligi quidem potest. Quælibet: quoniam ita tu certè ponereres. Neutra: quoniam vnaquæque haberet alteram se superiorem, siquidem altera etiam esset simpliciter suprema, hoc est, super omnes omnino omnes pertinentes ad Christi ouile, qualem certè potestatem superius probatum est Petrum & eius successores habere.

2.
3.
*Supremam post
Christum au-
thoritatem in
solo Romano
Pontifice esse.*

Ec 2

Atq;

a Li. 3. de Ec-
clesi. cap. 28. &
44.

b Libris tribus
de eo argum.

c In tract. de
auctoritate
Pont. & Con-
cilij cap. 7. &
seq.

*Quodlibet Cō-
cilium accede-
re Pontificis au-
thoritati esse
infallibile.*

d Lib. 5. de lo-
cis, cap. 5.

*Auctoritas in-
fallibilis Pont.
Ecclesie, et Cō-
cilij, una et ea-
dem est.*

Atq; hinc profectò illorum auctorum sententia ma-
nifestè reuincitur, qui Concilium vniuersale Pontifice
superius faciunt. Pugnant enim illi reuera (licet non ad-
uertentes) cum certissima fide de Diui Petri ac Romani
Pontificis in Ecclesia primatu. Refellunt autem eam o-
pinionē copiosius Ioannes ^a Turrecremata & ^b Franci-
scus Turrianus, & ^c Caietanus, qui mihi quidem his de re-
bus admodum eruditè scripsisse videtur.

Nunc prima assertione probata, facilè ex eodem
fundamento cōfirmari poterit secunda, videlicet quod-
libet Concilium, accedente approbatione Pontificis, esse
infallibilis auctoritatis. Nam auctoritas Pontificis ad
definiendum, infallibilis est, vt suprà copiosè ostendi-
mus. Sed Concilium, quod Pontificis auctoritate con-
firmatum est, Pontificis auctoritatem habere cense-
tur; siue illud generale, siue prouinciale, siue Episcopale
sit. Ego quoduis Cōcilium à Pontifice confirmatum in-
fallibile est, siue infallibilem auctoritatem habet. Atq;
hoc ipsum ostendit perpetua Ecclesiæ traditio & vsus.
Etenim illi semper in Ecclesia hæretici sunt habiti, qui
Conciliis à Pontifice confirmatis (cuiuscunque generis
ea fuerint) damnati sunt.

Porro ex hac assertione sequitur, verum omnino esse
illud, quod suprà de Ecclesia circa septimam eius pro-
prietatem diximus, & animaduertit etiam rectè ^d Mel-
chior Canus: videlicet, eandem prorsus auctoritatem in-
fallibilem ad definiendum esse illam, quæ Pontifici sum-
mo, & quæ Ecclesiæ Catholicæ, & quæ Conciliis tribui-
tur. Neque enim putandum est, auctoritatem vnā in-
fallibilem habere Pontificem, alteram Ecclesiam, alte-
ram Concilium. Id non ita est. Quin imò illa ipsa aucto-
ritas, quæ in vno Pontifice residet; auctoritas etiam dici-
tur

tur esse Ecclesiæ; quippe cū Ecclesia nimirum quod-
dam quasi corpus sit, cuius caput est Pontifex, vt proinde
in ea quoq; esse meritō censeatur illa auctoritas, quæ in
ipsius est capite. Atque eadem item Pontificis auctori-
tas, Conciliorum auctoritas esse dicitur, quatenus eo-
rum acta & determinationes ille confirmauit. Itaque
Conciliorum auctoritas, vt est quidem infallibilis, non
alia quædam auctoritas est per se distincta ab auctori-
tate Pontificis, sed eadem planè, vno quodam modo vsur-
pata ex multis, quibus, vt infrà docebimus, potest Pon-
tifex suam infallibiliter definiendi auctoritatē exercere.

Quæret autem hīc aliquis, Ecquæ sint Concilia per
Pontifices confirmata? Respondeo, ex vniuersalibus
quidem illa confirmata sunt, quæ in Tomis ipsis Conci-
liorum referuntur, Basiliensi excepto, Cuius vitia & de-
fectus à^e Turrecremata & à^f Caietano demonstrati sunt.
Præterea pleraque Concilia Romana sunt Romæ per
Pontifices ipsos celebrata, quæ proinde Pontificis quo-
que auctoritatem habēt. Quin etiam licet non conue-
nerint in eiusmodi aliquibus Romanis Conciliis Episco-
pi variarum prouinciarum, tamen ratione Pontificiæ au-
toritatis, quæ vniuersalis est, vniuersalia quodammodo
dici possunt: vt notauit^g Turrecremata. Quod verò at-
tinet ad alia prouincialia Concilia Episcoporū, primū
quædam ex illis sunt expressè per Pontifices confirmata.
Vt Concilia Carthaginensia & Ancyritanum, Neocæ-
sariense, Gangrense, Sardicense, Africanum, à^h Leone
quarto. Sicut etiamⁱ Trullana quoque Synodus, quæ
aliàs quinisexta dicitur, quædam Concilia prouincialia
probauit. Deinde reliqua Concilia prouincialia anti-
qua, quæ ad communem quidem Ecclesiæ notitiam per-
ueniunt, neq; reprobata sunt, sed potius in vsu ac vene-

Ec 3 ratione

*Quæ sint Con-
cilia Pontificis
auctoritate cō-
firmata.*

e Lib. 3. de Ec-
cles. c. 100.

f In tract. de
auct. Pont. &
Concilij, c. 8.

g Lib. 3. de Ec-
cles. cap. 3.

h Distinct. 20.
Can. de libel-
lis.

i In Canonib,
additis ad VI.
Synodū, Can.

2. De quibus
Canonib. le-
ge Franciscū

Turrianū, in
tractatu de 6.

& 7. Synodo, &
Canū lib. 5. de
locis c. vlt. ad

5. argū. & Bar-
tholomæum

Carrancam in
summula Cō-
ciliorū, de Ca-
nonib. Trul-
lanis.

Lib. 5. de locis, cap. 4.

ratione apud omnes habetur; tacite hoc ipso ab Ecclesia approbata cenferi possunt, ut rectè ¹ Canus notat. Iam verò ex Episcopalis Conciliis vnum illud fertur per sedem Apostolicam expressè confirmatum esse, nimirum Complutense sub Alfonso Carillo Archiepiscopo Toletano, in quo errores damnati sunt cuiusdam Petri Oxomensis, qui de clauibus & de poenitentię Sacramento falsò docebat. Fuit autem Synodus hæc per Sixtum quartum confirmata. His ita explicatis, argumenta quædam diluenda sunt, quæ cõtra primam assertionem probare videntur, Concilium saltem vniuersale per se infallibiliter posse sine Pontificis auctoritate definire.

Cõfutatõ quorundam argumentorum pro Concilio in infallibilitate seclusa Pontificis approbatione.

ARGVM. I.

PRIMUM argumentum. Concilium vniuersale Ecclesiam totam repræsentat, ut definiuit Martinus V, in fine Concilij Constantiensis; hoc est, tenet veluti vicem totius Ecclesiæ, quæ non potest videlicet alio modo cõgregari, nisi quatenus Prælati cõueniunt vice atq; loco fidelium omnium. Sed vniuersalis Ecclesia errare non potest. Ergo neq; vniuersale Concilium, quod virtute nimirum est quasi tota Ecclesia. Atq; id rursus confirmatur. Nam saltem quando Concilio interfunt Legati Pontificis, nihil videtur deesse, quo minus Concilium habeat tanquam totius Ecclesiæ auctoritatem. Tunc igitur certè confirmatio Pontificis necessaria non erit.

Respondetur.

Concilium sine capite non repræsentat perfectè ipsam Eccle.

Respondendum est, secluso Pontifice Conciliũ ἀνεφαλοῦ non repræsentare perfectè totā Ecclesiam, ac proinde errare illud posse. Deinde, si maximè concederemus Concilium ἀνεφαλοῦ Ecclesiā simpliciter repræsentare, tamen ex ea re solum consequetur, omnes Patres Concilij ad vnum vsq; errare nō posse, sicut nec errare possunt simul omnes fideles. At posset tamen nihilominus errare maior illorum pars, atq; ad eò ipsum etiam Concilium, quippe

quippe cū ex sententia maioris partis congregatorum decreta Concilij confici soleant. Ita sanè respondet ad hoc argumentum ^a Melchior Canus. Sed prior mihi responsio magis placet, quæ est doctissimi ^b Caietani.

Ad confirmationem verò eius argumenti cum distinctione respondendum est. Nam si Legati sequuntur instructionem & quasi conceptam iam ante definitionem Pontificis, quam ab ipso prius acceperint; tunc sanè eo ipso, quod Concilium habeat auctoritatem Legatorum, habet etiam ipsius Pontificis, ac proinde errare nequit: Si autem talem à Pontifice instructionem nondum illi acceperunt, aut eam nō sequuntur, errare Concilium ipsis etiam cōsentientibus, potest. Quia vt ^c Turcremata & ^d Canus rectè docent, potestas ipsa Pontificis ad infallibiliter definiendum delegari aliis nequit. Quare ante Pontificis confirmationem minimè constat esse rata Concilij decreta.

SECUNDVM argumentum. Si infallibilitas omnis Conciliorum à Pontifice pendet; frustra igitur illa coguntur; siquidem æquè certò ab ipso Pontifice solo posset res definiri.

Respondetur, nequaquam propterea frustra institui Concilia. Quò enim maiorin illis inquisitio firmamētorum veritatis sit, ex pluriumq; sententia decernitur, eò in iis rebus, quas cum Cōcilio definit Pontifex, plus est momenti ac ponderis, vt ipsi certè homines sibi persuadere possint, verum atq; ratum id esse, quod tanto studio atq; diligentia adhibita, tantoq; consensu definitur. Quare omnino est saluberrima in Ecclesia (vt præclare D. Augustinus inquit) Conciliorum auctoritas, sapienterq; facit Pontifex, si cū ita vel hæreticorum pertinacia, vel alia grauis causa postulare videtur, nō nisi conuocato Concilio rem esse definiendam existimat.

TER-

^a Lib. 5. de locis Theolog. cap. 5.
^b In tract. de auct. Pont. & Concil. c. 9.

^c Lib. 3. de Eccles. cap. 6. 8. & 38.
^d Lib. 5. de locis, cap. 5.

ARGVM. II.

Respon.

Quam ob causam in Concilio res definiuntur.

ARGVM. III.
Matth. 18.

Respon.

Explicatur lo-
cus ille: *Vbi cūq;*
sunt duo vel
tres, &c.

Quomodo ad
Concilij certi-
tudinem ille
locus accomo-
dari possit.

ARGVM. IIII.

TERTIVM argumentum. Christus ait: *Vbi fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Ergo multò magis vbi tam multi congregantur.

Verùm hoc facillimè expeditur. Non enim ad infallibilem certitudinem alicuius sententiæ, in quam plures in nomine Christi consentiant, locus hic Euangelij propriè accommodari debet, sed ad efficaciam consensio- nis plurium ad id impetrandū quod vnanimiter in Christi nomine petunt, si id quidem ad eorum salutem expediat. Secus enim, non modò ex illo loco probabitur, infallibilem esse sine Pontificis assensu definitionem Concilij vniuersalis, sed etiam provincialis, imò & Episcopalis, imò & aliorum quorumcūq; duorum aut trium in nomine Christi conuenientium ad aliquid statuendum. Quod si ad Concilij etiam congregationem, quæ maximè fit in Christi nomine, eum Euangelij locum accommodare velimus; dicam equidem, eatenus Concilij Patribus Christum sua prouidētia adesse, vt eorum doctrina atque definitio per Pontificem confirmetur, si vera fuerit, sin autem falsa, per eundem corrigatur.

QUARTVM argumentum. Patres Concilij vniuersalis pronunciant de rebus fidei tanquam iudices: Nempe cū dicunt: *Ita statuit sancta Synodus. Qui aliud dixerit, anathema sit, &c.* Infallibiliter igitur pronunciant. Quod ea ratione confirmari potest; quia Ecclesia certè vniuersa tenetur eos audire, si vt iudices in vniuersali Concilio (quod iam ostensum est) pronunciant; ac proinde, si non illi infallibiliter pronunciarent, tota Ecclesia ipsos audiendo posset imò teneretur errare. Quod absurdissimū est. Item, quia si vt Iudices pronunciant de fide; ergo ex auctoritate diuina pronunciant. Humana enim auctoritas non videtur per se tantum valere, vt fidei materiam deter-

determinare ipsa possit. Quod si auctoritate diuina Concilij vniuersalis Patres pronunciant; consequitur certè, infallibiliter eos pronunciare: Siquidem non potest ab auctoritate diuina prodire vlla falsitas. Accedit quòd si Patres per se non definiunt infallibiliter, minimè ipsi, Iudices esse controuersiarum fidei, censerì debent, sed quasi quidam tantum Pontificis Consiliarij, quorū munus videlicet sit Pontifici proponere quidnam esse definiendum videatur. At sunt omnino Iudices, vt antè probatum est. Infallibiliter igitur ipsi definiunt.

Respondeo. Quod Patres statuunt in Concilio vt Iudices, non est sanè negandum. Hinc tamen non illico sequitur, ipsos infallibiliter per se definire. Nam quod primò ad eius rei confirmationem obiiciebatur, Ecclesiam vniuersam debere eos audire, id verò non ita est, donec per confirmationem Pontificis innotescat, eos verè definiuisse. Ea verò Pontificis confirmatio cùm accesserit, iam tum vniuersa Ecclesia debet Concilij decreta recipere, non modò quatenus Pontificis decreta sunt, sed etiam quatenus Concilij quoq; Patrum auctoritatem habent. Porro auctoritas hæc Patrum, per quam scilicet de fide pronunciant, nō est (vt deinde obiiciebatur) propriè diuina, quæ scilicet in assistentia peculiari Spiritus sancti ad definiendum, quam ipsi per se Patres habeant, consistat: Sed est humana Ecclesiastica, deriuata quidem à diuina & concessa illis à Pontifice, vt ipsi nimirum soli possint ritè atque ex ordine ad totius bonum Ecclesiæ iudicare de rebus fidei, atque adeò ita demum ad credendum Ecclesiam vniuersam obligare, si iudicium suum fuerit Pontificis approbatione confirmatum. Vt verò ita dependenter à sententia summi Pontificis, definiant

Respon.

Patres in Concilio, tanquam Iudices, statuere.

Quarationes ad intelligi debent.

illi res fidei, satis ipsi est auctoritas illa Ecclesiastica, nec per se opus habent infallibili assistentia diuina.

Quaestio esse de nomine, & utrum Concilij Patres sint quasi Consilia-rij Pontificis in definiendo.

Quod si propterea, quod Pontifex huiusmodi Patrum opera atque iudicio in determinanda fidei sententia utitur, idcirco quis putet Pontificis quasi Consiliarios eos appellari posse, non est de vocabulo magnoperè laborandum. Nam neque eiusmodi certè appellatio fundamento profus careret: siquidem sæpe dicitur Pontifex hoc aut illud statuere sancto *approbante* Concilio. Quæ cum ita sint, facile conciliari hoc in loco possunt opiniones duæ, quas ^aCanus tanquam dissidentes commemorat. Vna est, Concilij Patres esse Pontificis Consiliarios in fidei negotio. Altera, eosdem esse sanè Iudices. Vtrumque enim verum est diuersa ratione, ut ex dictis intelligi potest.

Lib. 5. de locis Theolog. cap. 5.

ARGUM. V.

QVINTVM argumentum. Concilij Patres asserunt se in *Spiritu sancto legitime congregari*: itemque statuunt *sub anathemate, &c.* At nisi infallibiliter per se definiunt, arroganter id quidem ab illis vel dici vel fieri videri posset. Aut sunt igitur arrogantes, quod putandum non est, aut infallibiliter profectò definiunt.

Respon.

Respondeo. In Spiritu sancto legitime congregari Concilium non aliud est, quàm omnino placere Deo, ut ex præscripto Pontificis conueniant Patres ad decernendum, eisque proinde Spiritum sanctum assistere, ut per Pontificem postea, vel confirmantem vel emendantem eorum decreta, infallibiliter de veritate doceantur. Quod verò statuunt sub anathemate, faciunt quidem hoc illi, ut quantum est in se astringant hac ratione magis obligationem, quam sperant per Pontificis futuram confirmationem, robur habituram. Et verò Concilia olim nisi prius accepissent sedis Apostolicæ decretum, controuersias fi-

Quidnam sit, Concilia in Spiritu sancto legitime congregari.

dei non definiabant, vt ostendit ^b Turrecremata. Quod ipsum magno argumēto est, verissimum id esse quod docemus, Concilij vniuersalis decreta ante Pontificis confirmationem non habere certitudinem infallibilem.

SEXTVM argumentum. Suprema potestas clauium non Pontifici, sed Ecclesiæ ipsi propriè collata à Christo est. Ergo Cōcilium vniuersale, quod est vice Ecclesiæ, infallibiliter potest definire sine Pontifice. Id autem multis sanè modis probatur. Primò, auctoritate D. Augustini, qui sæpe affirmat Ecclesiæ datas illas clauas esse, cum datæ sunt D. Petro. Secundò. Quia in Euangelio Matthæi Apostolis, qui repræsentabant Ecclesiam, sine exceptione dicit Christus: *Quodcumq; ligaueritis, &c.* Quare videtur Ecclesia etiam in Pōtificem ipsum habere ligandi & soluendi potestatem. Tertiò, quia ibidem quoque Christus omnem illum, qui frater censi potest, subiecit Ecclesiæ, atque ad eò etiam ipsum Diuum Petrum cum dixit: *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Et tandem: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Quartò, quia ipsum etiam Petrum remittit ibi ad Ecclesiam, cum non minus illi, quàm discipulis aliis præcipit: *Dic Ecclesiæ.* Itaq; ipse postmodum interrogat: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittā ei.* Quintò, quia Ecclesia potest Cōcilium congregare sine Pontifice. Vt si quando Pontifex aliquis non sine controuersia pro Pontifice haberetur. Quemadmodū euenit tempore Concilij Cōstantiensis: vel si fortè esset hæreticus. Quo casu possèt ille etiam ab Ecclesia deponi. Sextò, quia cum Pontifex sit vnus quidā homo, qui proinde videretur errare posse; cōsentaneum sanè erat, vt Ecclesiæ in illū auctoritas daretur, vt si quid fortè peccaret, ab ea corrigeretur. Septimò, quia id etiā est definitum in Concilio Cōstantiensi, sessione quinta,

^b Lib. 3. de Eccl. c. 33.

ARCV. VI.
Obiectio quod clauas sint datæ, non nisi ipsi Ecclesiæ: Confirmatur.

I.
Vide supra parte V II. circa locū Matt. 16.

2.
Matth. 18.

3.

4.

5.

6.

7.

8. cuius Concilij Decreta ad fidem pertinentia confirmavit Martinus quintus: Itemque postea in Basiliensi. Obstat, quia non sanè obstat, quod Pontifex à Christo accepit in Ecclesia primatum. Habet enim illum certè respectu singularum personarum, aut etiam respectu quarumcunq; prouinciarum, non tamen respectu totius Ecclesiæ, vt est vnum quoddam corpus ex omnibus suis partibus simul coniunctum: atq; adeò nec respectu vniuersalis Concilij, quod est vice Ecclesiæ totius. Nondò, quia non bene aliàs Christus Ecclesiæ suæ prouidisset, si cogere retur illa nimirù ferre Pontificem quantumuis impium, nec haberet in eum aliquam potestatem.
- 9.

Atque hæc ferè sunt, quæ quosdam mouerunt, vt & Concilia esse per se infallibilia & in ipsum etiam Pontificem auctoritatem habere disputarent. Sed ea tamen omnia mouere similiter nos minimè debent, vt à verissima sententia superiùs probata desistamus. Quare respondendum ad argumentum est, omnino falsum id esse, quod in illo assumebatur, nempe non ipsi Pontifici propriè, sed Ecclesiæ toti clauis à Christo datas esse. Pugnat enim hoc prorsus cum certissima fide, de primatu Diui Petri, quæ suprà multis & testimoniis & argumentis confirmata est.

Respon.
Ad argü. VI.

Ad probat. 1.

Ad primam verò eius assumpti probationem respōdetur, sententiam Diui Augustini non esse, nisi quod accepit Petrus singulariter clauis in persona Ecclesiæ tanquam illius præpositus in eiusdemque vtilitatem vt suprà satis à nobis explicatum est.

Parte VII.

Ad prob. 2.

* In tract. de
auct. Pont. &
Con. c. 9.

Ad secundam respondet optimè ^a Caietanus, Potestatem illam à Christo datam esse Apostolis, vt eam quidem exercerēt in quibuscunq; sibi subiectis: Papa autem non est subiectus vlli alteri potestati, cum ipse habeat potestatem

testatem supremam, vt suprà probatum est. Quamuis ipsemet etiam lege diuina teneatur id credere quod in materia fidei determinat, sicut etiam illius successores.

Ad tertiam probationem similiter respondetur, agi Ad probat. 3. nimirum ibi de *fratribus* subiectis. Quæ profectò expositio vel ea ratione apertè confirmatur, quòd ibi nomine Ecclesiæ intelligitur etiam quicumque Prælatus, qui peccantem possit excommunicare, & quem possimus statim adire: vt auctoritate sanctorum Patrum confirmat Caietanus. Certum autem est, Prælatum non habere potestatem, nisi in sibi subiectos. Quare non nisi de subiectis *fratribus* ille locus intelligi debet; ac proinde, si quis est nulli omnino potestati in Ecclesia subiectus (vt Pontificem nō esse suprà ostendimus) is ab eo loco prorsus excipiendus necessariò est.

Ad quartam probationem respondeo, Christum ibi Ad probat. 4. non cum persona Petri, vt erat futurus summus Ecclesiæ Pastor, loquutum esse; sed doctrinam tradidit in communi pro fidelibus omnibus, qui Ecclesiæ Prælati vnquã futuri essent, quiq; ab illo collegio discipulorum, cum quibus Christus agebat, repræsentabantur.

Ad quintam probationem respondeo, posse quidem Ad probat. 5. in illis duntaxat casibus Ecclesiam id facere non ex auctoritate, quam habeat supremã & ordinariam ad omnia quæ sint eius generis, facienda, sicut habet Pontifex, sed ex quadam imperfecta auctoritate, quam habet tantum in illis duobus casibus, ad personam videlicet Pontificis vel eligendam peculiari modo, vel deponendam, seu potius ad declarandum, quòd sit iam à Christo deposita. Hanc auctoritatem Ecclesiæ in his casibus appellat ^b Caietanus ministerialem. Et potest sanè ita appellari, quæ ratione in aliquo eiusmodi casu Ecclesia Pontificem

Quatenus et in quibus casibus Ecclesiæ nullam habeat auctoritatem circa personam Pontificis.

b In tract. de auct. Pont. & Con. cap. 20.

Parte VII.

eligit. Vt enim superius expositum est non ipsa Ecclesia propriè constituit Pontificem, sed determinat duntaxat personam, & quasi offert illam Christo, vt ab eo demum accipiat supremam regendi potestatem. Si quando autem Ecclesia congregaretur ad mouendum loco Pontificem hæreticum, non propriè illa diceretur per auctoritatem ministerialem cum deponere, quasi tunc primùm Christus per Ecclesiæ ministerium eiusmodi Pontificem deponeret. Hoc enim ipso quod Pontifex in hæresin siue occultam siue manifestã laberetur, Pontificia auctoritate per se caderet, vt asserit certior atque communior Theologorum sententia. Quare Ecclesia in eo casu, ne ministerialiter quidem talem Pontificem deponeret, sed efficaciter ipsa per se declararet, ipsum iam esse à Christo depositum.

Ad probat. 6.

Ad sextam probationem respondetur, Pontificem in fidei quidem iudicio non posse errare, vt supra ostensum est. Nec verò minus potest Christus assistere ipsi per se Pontifici, quàm toti Ecclesiæ, ne aberret. Imò toti Ecclesiæ ille assistit, quatenus assistit semper Vicario suo ne in regendo erret. Itaq; minimè profectò decuit, vt Vicarij sui curam alteri alicui potestati Christus committeret; sicut nec decet, vt princeps alicuius quempiam alium preficiat Vicario suo, cui ille præsens adest.

Ad probat. 7.

Ad septimam probationem respondetur, decreta illius quidem sessionis Concilij Constantiensis nõ habere certam auctoritatem. Nam ea tantùm Martinus quintus probauit, quæ essent circa fidem determinata (vt inquit) *conciliariter*, hoc est, adhibita prius disputatione; & sententiarum collatione rectè atq; sedatè, sicut fieri in Conciliis assolet, instituta. Illa verò sessio quinta Concilij Cõstantiensis edita fuit importunitate tantùm quorundam

dam Schismaticorum non nisi admodum tumultuariè, vt ex actis Concilij constat, & benè à Caietano & ab alijs animaduersum est. Porrò Concilium Basiliensè nunquam fuit confirmatum: etsi ante apertum sanè schisma fuerit habitum pro legitimo, quod ad inchoationem quidem & prosecutionem eius Concilij attinebat, vt rectè quoq; notauit ^d Caietanus.

Ad octauam probationem respondetur, primatum Petri vel maximè etiam esse erga Ecclesiam totam collectiuè (sicut in Scholis loquimur) consideratam. Hoc inde patet, quod *Ecclesia* nomen, collectiuum (vt vocant) est, sicut etiam nomen *ouile*. Quare loca Euangelij, quibus Christus tradidit Petro & successoribus potestatem supremam in Ecclesiam suam suamque ouile, in primis de tota Ecclesia collectiuè intelligi debent, quomodo etiam intellexerunt semper Concilia & Patres magno numero supra citati. Ac discrimen diligenter perpendi debet, quod est inter potestatem Ecclesiasticam Christi Vicarij, & potestatem cuiuspiam alterius monarchæ seu principis secularis. Princeps enim secularis, potestatem ab ipsa communitate, cui præest, obtinuit. Vnde fit, vt quibuslibet partibus communitatis superior sit; nõ perinde autem tota ipsa communitate coniunctim spectata, saltè in omnibus casibus. At verò Christi Vicarius supremam potestatem accepit propriè ab ipso Christo, non ab Ecclesiæ communitate; qua proinde non solum diuisim, sed etiam coniunctim spectata in omni casu superior est, quandiu quidem verus Pontifex manet. Itaque quod Deus per Esaiam promisit Eliachim, filio Helchiaz, futuro veteris Synagogæ Pontifici, inquiens: *Et dabo illi clauem domus Dauid supra humerum eius* (quod est Symbolum supremæ potestatis) *& aperiet & nemo claudet: claudet*

^e In tract. de auct. Pont. & Concil. c. 9.

^d In illo tractat. c. 8.

Ad probat. 8.

Pontificem habere auctoritatem in totam Eccl. simul consideratam.

Id confirmari ex discrimine, quod est inter Pont. auctoritatem, & auct. secular. principum.

Isai. 22.

claudet & nemo aperiet, &c. hoc certè Diuus Petrus, eiusque successor Romanus Pontifex à Christo accipere existimandus est, cui longè etiam luculentius clauis regiminis Ecclesiastici promissæ sunt; nempe, vt quod auctoritate eiusmodi clauium ipse Pontifex in Ecclesia aperuerit vel clauerit, nulla alia potestas in terris, contra claudere vel aperire possit, quemadmodum eruditè persequitur Franciscus^a Turrianus, de qua re etiam suprâ à nobis copiosè disputatum est.

^a Lib. 1. de auctoritate Pontif.

Ad probat. 9.

Ad nonam probationem respondetur, alia superesse remedia in eiusmodi casu, etiam si non habeat Ecclesia auctoritatem coërcendi Pontificem. Primum enim, qualiscunq; ipse Pontifex, quod ad suam personam attinet, sit, nunquam tamen Deus permittet, vt aliquid efficiat quod cum Ecclesiæ perniciè sit coniunctum. Deinde variis rationibus admoneri officij sui posset. Itemque assidue esset orandus Deus, qui Ecclesiæ suæ, præsertim afflictæ, nunquam non est adfuturus. De quibus & aliis id genus remediis copiosè à^b Turrecremata est scriptum.

^b Lib. 2. de Eccles. cap. 106.

ALVD quoddam argumentum, quo ex contrariis Sectarij probantur, Concilia etiam accedente Pontificis approbatione posse errare.

Kemnitius in præfat. 1. p. exam. Concil. Trident. 1. Ioan. 4.

VNUM AD extremum in hoc loco argumentum superest, quo non iam solum videatur probari, Concilium sine auctoritate summi Pontificis errare posse (vt hætenus à nobis concessum atque defensum est) sed etiam si maximè fuerit à Pontifice summo confirmatum, putari posse fallibile, quod in assertionè altera negauimus. Scriptura enim affirmat (inquit superbissimus quidam Sectarius) esse quædam Concilia malignantium, quædam vanitatis, quædam impiorum. Habemus autem seuerissimum mandatum: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* Rectè igitur & necessariò is facit, qui non statim atq; aliquid à Concilio quantumuis Pontificia auctoritate munito definitum est, id putat

putat esse infallibile, sed illius decreta potius ad normam sacrae Scripturae exigit.]

Ego verò non Concilium vllum improborum tam esse vanitatis impietatisque puto, quàm est ista ratiocinatio vanitatis, impietatis atque superbiae plenissima. Quando enim est aliquis controuersiarum exitus futurus, si etiam tum, cum illae ab Ecclesia Ecclesiaeque Pastore Christi Vicario in Concilio Oecumenico constitutae sunt, priuato cuius liceat ad Scripturae normam, hoc est, ad propria somnia de Scriptura, Concilij decreta reuocare? Cæterum, ne rursus repetam quae sunt supra satis abundè pro auctoritate Pontificis siue per se, siue vnà cum Concilio definitis disputata, ad id nunc propriè quod est obiectum respōdeo; cum à legitimo Ecclesiae Pastore Concilium aliquod confirmatur, satis hoc ipso nobis probari, non illud esse vanitatis aut impietatis Concilium, sed Ecclesiae Christi legitimae, quae *columna & firmamentum est veritatis*. Nec enim cum Deus omnes iubet probare spiritus atque doctrinam vtrum ex Deo sit, tam ex ratione ipsa per se doctrinae, quàm ex conditione auctoritatisque; Doctorum, eius rei iudicium vult fieri. Pertinet enim id praeceptum ad omnes: Ex ratione autem ipsa per se doctrinae diiudicare num ea sit à Deo, quàm paucissimi possunt: Ex vocatione verò, ex auctoritate atque conditione Doctoris omnino omnes possunt. Itaque modum Christus ostendens de doctrina iudicandi ad Doctores ipsos attendi vult: *Attendite, inquit, à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos (vltro scilicet, sine ordinatione vocationisque; diuina) in vestimentis ouium, &c.*

Tum igitur doctrinae spiritum ex Deo esse satis (vt dixi) intelligimus, cum à legitimo Ecclesiae Pastore, praesertim Concilio inferiorum etiam Antifistum assente,

Respons.

Qua sit vna illius praecepti: Probate spiritus, vtrum ex Deo sint.

Christus ex conditione vocationisque, Doctoris de doctrina ipsa iudicium fieri vult. Matth. 7.

tiente, proponi eam animaduertimus. Hic quisquis non acquiescit, sed vltcrius iudiciū sibi in suos Iudices arrogare vult, in disputationemq; reuocare verane sint, quæ ab Ecclesiæ Præpositis, p quos nos Spiritus sanctus doceri voluit, definita sunt, non vtiq; exequitur, sed transgreditur superbè ac cõtumaciter modum probandi Spiritus à diuina lege præscriptū, planeq; conuincitur esse hæreticus, nisi omnino negādum sit, vltos vnquam in mundo existisse hæreticos. Quis enim aliquando hæreticorum fuit, qui non hoc ipso prætextu & modo, nempe ad Scripturę normam (vt isti dicunt) ea exigēdo, quæ ab Ecclesię Præpositis essent fidelibus ad credendum proposita?

At illi veteres hæretici (inquiunt nunc isti noui) falso ac perperam id examen doctrinæ instituebāt. Cuiusnam obsecro id iudicio? Certè non nisi eorundem Ecclesiæ Præpositorū, aliorumq; Orthodoxorum, quibus cõtrodicebant. Ipsi enim hæretici, quicunq; olim existerunt, non minus profectò pertinaciter, quàm hodie Sectarij, in sententia persistebant, perperuoque contendebant, se id ipsum docere planè, quod in Scriptura contineretur. Cùm igitur hodie etiam Sectarij iudicio similiter Ecclesiæ Præpositorum aliorumque omnium quibus contradicunt, perperam etiam iam examen instituant eorum, quæ in Oecumenico Concilio definita sunt, profectò consequitur, illos eodem ipso modo atque ratione esse hæreticos, qua fuerunt vnquam ij hæretici, qui sine cõtroversia olim hæretici fuerunt.

Nam quod rursus ex desperatione quadam dicunt, nō esse legitimam Ecclesiam illam, cuius à Præpositis ipsi condemnantur: Similiter hic interrogādi sunt, quorumnam illa iudicio Ecclesia legitima non sit? Certè non nisi ipsorum Sectariorum. Atqui similiter etiam Ecclesia illa

Hebr. 13;

Remissum & alios examinatores Cōc. Trid. id planè facere, quod fuit omnium hæreticorum propriū.

Probatur manifestissimè eos qui nunc Tridentino Concilio repugnant esse planè hæreticos.

Non effugere, illo modo hæresis notam Sectariorum, cūm dicunt, se non esse à legitimis Ecclesiis damna-

illa verus, cuius à Præpositis hæretici veteres condemna-
bantur, iudicio quidem ipsorum hæreticorum, legitima
Ecclesia non erat. Et tamen quoniam ab illa Ecclesia da-
mnabantur, quæ ante ipsos in orbe pro legitima Ecclesia
habita fuerat, & adhuc à cæteris omnibus præter ipsos
habebatur, verissimè illi fuerunt hæretici. Cum igitur si-
militer hodie Sectarij ab eius Ecclesiæ Præpositis in Cō-
cilio damnati sint, quæ ante ipsos in orbe pro legitima
Ecclesia habebatur, & etiamnum ab omnibus præter
ipsos habetur; profectò consequitur, eos si Concilio re-
pugnare pergant, illo eodem modo ex omni parte esse
hæreticos, quo hæretici olim veteres, hæretici fue-
runt. Tantummodò enim iudicio suo proprio hæretici
non sunt; quo quidem pacto nec vlli vnquam in mundo
hæretici fuerunt; nec tamen propterea satis illi ab hære-
sis nota absoluti sunt, sed multo etiam magis iudicio suo
Tit. 3:
proprio (hoc est, ob eam pertinaciam) sicut inquit Apo-
stolus *condemnati*.

Quæ sanè omnia sapienter admodum considerata
olim esse apparet, tum à religiosissimo Imperatore Mar-
tiano, tum etiam ab iis, qui suafores ei fuerunt; vt seue-
rissima lege, quæ & hodie existat, caueret: *Ne quis, inquit,*
in Synodo semel iudicata & rectè disposita, disputando reuoluat,
tumultus aut perfidia occasionem inde quarens. Cuius Impe-
ratoris & illa etiam in actis Concilij^a Chalcedonensis re-
feruntur hac de re verba: *Cesset iam, inquit, prophana con-*
sentio: Nam verè impius & sacrilegus est, qui post tot sacer-
dotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit.
Extrema quippè dementia est, in medio & perspicuo die com-
mentitium lumen inquirere: Quisquis enim post veritatem
reperitam aliquid ulterius discutit (examen Kemnitij) men-
dacium querit.

*ros, sed hoc ipso
potius cōvincit,
eos illo ipso mo-
do esse hæret-
cos, quo Siquā
aliqui hæretici
fuerunt.*

*In Codice, de
summa Trin.
& fide Catho-
lege. Nemo.*

a Actione 3.

In præfatione
1. partis exam.

*Kemnitij præ-
textus quòob-
rem Cœcilium
Tridentinum
examinandum
putauerit.*

*Confutatur
evidenter illi
prætextus, & o-
stenditur, ex-
amen illud
Kemnitij ef-
se planè HAR-
RETICVM.*

*Kemnitius no-
tam hæresim ma-
nifestam effu-
gere nō potest,
nisi ridiculum
planè & inane
faciat decretū
Imperatoris
Martiani.*

*In illa præ-
fatione 2. p.
examin.*

At religiosissimus Imperator (inquit examinatore il-
le) *quæ rectè disposita sunt*, non esse in disputationem reuo-
canda dicit. Item ait: *Post veritatem repertam*. Inter nos
verò (inquit iste) ardua illa quæstio controuertitur, an ea,
quæ in Synodo Tridentina iudicata sunt, rectè sint dispo-
sita? An de controuersis horum temporum veritas sit
ibi reperta? Et his, inquit, disputationibus non quærimus
tumultus & perfidiæ occasionem, quod Imperator Mar-
tianus rectè prohibet.]

Sed quæro ego nunc ab egregio isto examinatore,
vel si illum respondere pudebit, ab iis, qui examen illud
ipsius passim in Germania legunt, quæro inquam, vtrum
post repertam in Synodo veritatem, iudicio ipsius Syno-
di, an non nisi post repertam, iudicio etiam quorumuis
aliorum, Martianus ibi prohibuerit, præterea de rebus
definitis disputationem institui? Certè nisi velimus ridi-
culum planè Martiani decretum facere, confiteri oportet,
cum post repertam veritatem, iudicio quidem ipsius
Synodi, disputationes eiusmodi prohibuisse. Eas enim
procul dubio disputationes prohibere voluit, quas so-
lent nimirum hæretici contra iudicium Synodi præterea
instituire, dum ipsi quidē non iudicant veritatē in Sy-
nodo repertam esse, aut omnia ibi esse rectè disposita.
Ac propterea Martianus addidit (quod ^b falsariè Kem-
nitius suo more, in recitatione illius decreti prætermi-
sit) *Impium & sacrilegum esse, qui post tot SACERDOTVM
sententiam OPINIONI SVÆ aliquid tractandum relinquit.*
Item: *Extremam dementiam esse in medio die*, (hoc est, in lu-
ce doctrinæ per Synodum monstrata) *commentitium lu-
men* (per vltius videlicet EXAMEN) *inquirere*. Quod si
tantummodò Martianus prohibuisset, ne quis, postquā
ipse etiam iudicet, veritatem in Synodo repertam esse,
de

de rebus ibi definitis disputaret, nemo non videt, quàm fuisset Martiani decretum non modò ridiculum, vt antè dixi, sed planè etiam nullum. Quotus enim quisque hæreticorum (quorum ibi Martianus coercere voluit audaciam) est, qui iudicans ipse verum id esse, quod in Concilio definitum sit, de eo præterea contentiosè disputet? Cùm igitur examinador Concilij Kemnitius negare non possit, quin contra ea disputet, quæ iudicio quidem eius Synodi, quam oppugnat, vera sunt rectèque disposita; fateri etiam prorsus & ipse & quotquot habet sibi assentientes coguntur, contra legem se planè religiosissimi (vt appellat) Martiani Imperatoris committere, eiusque ad eò, aliorumq; Patrum veterum iudicio, tam verè se hæreticos esse quàm fuerunt illi, quorum pertinacissimam contumaciam seueritate illius legis coercendam esse antiquitas existimauit.

Ipsam Kemnitium, velit nolit, debere concludere se suosque collegas esse hæreticorum numero prorsus esse.

Atque eadem omnino ratione euidentissimè demonstramus, non nisi mendacium istos occasionemq; perfidia (vt Martianus etiam inquit) post definitionem Concilij disputando quærere. Hoc enim quærunt, qui contra veritatem, sententiã quidem Synodi, repertam, disputant, vt ostensum est: id quod isti nunc pertinacissimè faciunt. Cuius certè rei consideratio vel sola sufficere prudentibus hominibus deberet, vt tandem euigilarent aliquando, apertisque oculis clarissimè hæresum laqueos intuerentur, quibus Sectariorum Prædicantium fraude atque perfidia implicati tenentur. Sed satis hætenus, vt arbitror, pro instituto nostro, de Conciliis dictum est.

Mendacium occasionemq; perfidia ab examinadoribus Concilij Trid. quaerunt, sententiã Martiani Imperatoris.

DE CONSENSV DOCTORVM.

IN definiendis controuersis fidei concordis etiam sententiã Patrum siue Doctorum omnium idcirco haberi

Infallibilem quoque regulam definiendi esse unanimes sententiã Patrum.

beri ratio debet, quia quod illi vnanimi consensu circa religionē tradunt, infallibiliter verum est. Sunt namq; illi diuinitus Ecclesiæ dati, *vt nō circumferatur omni vento doctrina*: sicut Apostolus docet. Ex quo loco formare possumus hęc rationem. Quod vniuersi Doctores vnanimi consensu tradunt, id sibi vniuersa potest ac debet persuadere Ecclesia; vt colligitur ex eo loco Apostoli. Sed quod vniuersa Ecclesia potest ac debet credere, id infallibiliter verum est, vt suprà sæpe probatū est. Ergo quidquid vniuersi Doctores tradunt id est infallibile. Accedit quod id sunt (propter doctrinę lumē) Doctores in Ecclesia, quod sunt oculi in corpore humano. Sed quod oculus videt, aut non videt, id corpus ipsū videre, aut nō videre meritō censetur. Ergo similiter quod vniuersi Ecclesię Doctores sentiunt, id Ecclesia ipsa sentire censenda est. Nihil autē Ecclesia vniuersa sentire potest, nisi verum, cū habeat illa perpetuō veritatis spiritum sibi assistentem. Nihil igitur nisi verum vniuersi Ecclesię Doctores docent.

Ephes. 4.

*Quorumnam
Ecclesia Docto-
rum sententia
concors sit in-
fallibilis.*

SEd quæret hęc aliquis: Quinam in proposito dicantur Ecclesię Doctores? Respondeo, primū illi, quos iam inde à tempore Apostolorū variis ætatibus Ecclesia tanquam Patres venerata est, ac fidei magistrorum loco habuit, quorum exstant illustria doctrinę monimenta. Deinde etiam illi, quos habet quauis ætate presentes. Ac priorum quidem illorum sententiam concordem à Spiritu sancto esse profectā, atq; adeo esse infallibilē, eō certius apud nos esse debet, quō minus videtur fieri humanitus potuisse, vt tot talesq; viri doctissimi & sanctissimi, qui tam variis locis ac temporibus vixerunt, in eandem sententiam conuenirent, quemadmodum rectē expendit Diuus Augustinus. Ac de his quidem loquitur Diuus Hieronymus, cū super illa verba Apostoli ad Philemo-

Lib. 1. & 2. cō-
tra Iulianum.

lemonem: *Audiens fidem, quam habes in Domino Iesu, & in omnes Sanctos; lic inquit: Non est in Deum perfecta fides illa, qua infidelitate erga ipsius ministros extenuatur.* Ad illos quoque idem Hieronymus accommodat illud ex libro Ecclesiastes: *Verba sapientum, sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi, qua per magistrorum Consilium data sunt à Pastore vno: iis, fili mi, ne amplius requiras.* Itaq; meritò in Pōtificum & Conciliorū deliberationibus, cūm aliquid fuit definendum, concors Patrum sententia, verissima atq; infallibilis semper est habita. Qua de re plurima testimonia diligenter sanè collegerūt Thomas VValdensis & Melchior Canus. Et exstat demum hac de re post aliorum^a Conciliorum decreta, Cōcilij quoq; ^b Tridentini definitio, quæ iure ideò verat Scripturam exponere contra vnanimem consensum Patrum, vt qui sit prorsus infallibilis.

Addidi verò, cūm dicimus, concordem sententiam omnium Doctorum esse infallibilem; intelligendos etiam in proposito esse Doctores omnes Catholicos, quos vnoquoq; tempore præsentem habet Ecclesia. Quod ita sanè probo: Ecclesia quouis omnino tempore, quasi corpus quoddam perfectum atq; absolutum est, quod suos proinde oculos omni tempore habet, suumq; spiritum veritatis, instar animæ, perpetuò secum manentē, membraq; ipsius, pro cōditione cuiusq; illorum vegetantem. Sed, vt probatū est, Ecclesiæ quasi oculi sunt Doctores, quorum conditio ea est, vt nunquam omnes circa religionem errare possint. Ergo quouis tempore in Ecclesia Doctores esse existimandum est, qui à Spiritu sancto eum quasi vitæ influxum percipiant, vt nunquam omnes à superiorum Patrum & Doctorum concordi sententia, atque ad eò nec à vera doctrina fidei, vel ipsi aberrent, vel alios auertant.

Quan-

Eccles. 12.

VVald. lib. 2. doct. fidei antiq. c. 22. & 23. Canus li. 7. de locis, c. 3.

^a Cōc. Ephesini, teste Vincentio Lyrincentio Lyrincentio in lib. aduers^o hæreses. Et in sexta Synodo, acti. 17. & 18. ^b Sess. 4.

Vnanimē quoque sententiam omnium Doctorum, qui vnoquoq; tempore florent in Ecclesia, esse infallibilem.

Quamquam fatendum est tamen, rarò accidere posse, vt quæ sit Doctorum omnium, vno tempore viuentium, de religione sententia, satis cognoscatur. Sunt enim Catholici Doctores in Ecclesia vbique diffusa plurimi, qui proinde omnes nec facillè congregari, nec interrogari possunt, quid sentiant. Illud solum assero, vbi contingeret, notam esse Doctorum huiusmodi omnium de re aliqua controuersa concordem sententiam, posse adhibere Pontificem in fidei definitione illa niti.

Fit autem frequentius, vt in definiendo nitatur Pontifex sententia concordi eorum Doctorum, qui variis ætatibus religionem suis scriptis illustrauerunt: eo quòd hi, & celebriores, nec ita multi sunt. In quorum sanè numero scholasticos Doctores omnino ponēdos iudico, quod attinet ad propositum. Nam & hi quoq; fuerunt Catholici ac celebres, & idem quod Patres alij, tametsi diuersa ratione, de religione tradiderunt. Solum est in eo discrimen, quod si quid vniuersi Patres de religione tradunt concorditer, id statim, tanquam dogma commune Doctorum omnium, qui variis ætatibus vixerunt, recipitur, quoniam illud etiam scholastici Doctores (saltem pro maiore parte) recipiunt, vt qui in materia fidei atque religionis sanctos Patres duces sequuntur. At non vicissim quicquid scholastici Doctores concorditer tradunt, id existimandum est Ecclesie alios Doctores omnes, qui variis ætatibus vixerunt, tradidisse. Multa enim Scholastici ad doctrinam Patrum explicatius addiderunt. Atq; hæc causa est, cur sanctorum Patrum omnium dogma illico censetur esse infallibile; dogma verò omnium Scholasticorum non item, nisi quoq; omnium Patrum fuerit. Et si negare quidem commune placitum Doctorum scholasticorum valde sit temerarium.

Scholasticos etiam Doctores in Doctorum Ecclesiasticorum numero censendos esse.

SED RESTAT præterea exponendum, quinam in proposito existimandi sint omnes omnino Doctores; cum illorum etiam concordia sententia Pontificem niti posse asserimus. Nam qui sint Doctores hoc loco intelligendi iam diximus. Quinam igitur omnes esse censeri debent? Quod sanè perinde quæri potest, siue de iis sermo sit, qui variis ætatibus de religione scripserunt, siue de iis, qui vnoquoq; tempore in Ecclesia viuunt. Respondeo, Doctores omnes in proposito dici, non omnes mathematicè tantùm loquendo, id est, nullo planè excepto, sed etiam moraliter. Quo quidem pacto omnes esse censentur ij, quorum auctoritatis pondus tantum est, circumstantiis omnibus consideratis, eruditionis, pietatis, multitudinis, &c. vt à prudentibus certè eorum solum modò ratio haberi debeat, cæteris neglectis, quasi nihil sint, si cum illis conferantur. Atque hoc rectè mihi videretur Vincen-
tius Lyrinensis attingisse, cum in libro aduersus hæreses inquit: *Consensionem verò Doctorum sequemur, si in ipsa vetustate, sacerdotum omnium, aut penè omnium, & magistrorum iudicium atq; sententiam sectemur.* Ita via nobis patebit vrgendi errantem Doctorem vnum aut alterum, aut etiam plures auctoritate reliquorum. Quod si per sententiam Doctorum aliqua fidei controuersia non satis commodè componi posset (eò quòd de illorum consensu nō aperte constaret) sua tunc constat auctoritas Pontifici, vt consultis aliis ad definiendum regulis, de quibus antè est dictum, Ecclesiæ proponat quid sit sentiendum. Quod munus ad nullum alium præterquam ad legitimum Ecclesiæ Pastorem spectat, vt supra ostensum est.

Obiiciunt autem hæretici: Patres homines fuisse, qui interdum etiam errauerunt, sæpe inter se pugnârunt, &c. Quare auctoritatem illorum magnificandam non esse.

Hh

Quasi

Quinam censentur omnes Doctores esse.

Lib. contra hæreses.

Sectariorum obiectio contra Patrum auctoritatem.

*Eiusdem con-
fusatio.*

Quasi verò, quòd Patres atq; Doctores Catholici homines sint, ob stare debeat, quò minus à Spiritu sancto ita dirigantur, vt errare omnes quidem non possint in materia religionis. Quid enim Prophetæ & Euangelistæ? An non homines fuerunt? Cur igitur illorum sententia habetur infallibilis? Nempe, quia etsi homines essent, tamen cum Spiritu sancto dictante scriberent, errare minimè poterunt. At est inter Scriptores sacros & alios Ecclesiæ Doctores discrimen. Fateor. At tamen id discriminè ad rem, de qua nunc quidem agimus, prorsus nihil pertinet. Solum enim volumus, sicut Scriptores Canonici, tamen si homines essent, Spiritu veritatis dirigi suo modo potuerunt, ne vnquam videlicet erraret illorum aliquis: ita etiã ab eodem spiritu dirigi Doctores modo quodã suo, ne videlicet illi omnes errēt. Quod verò addunt hæretici, Patres interdum errauisse, ac inter se pugnare, id nihil nobis obstat. Non enim singulorum auctoritatem vt infallibilem asserimus, sed omnium. Ac quantum etiam singulorum aut plurium auctoritati tribui debeat, in alio loco aduersus Sectariorum in hoc genere arrogãtiam atq; temeritatem diligēter explicuimus. Maneat nunc igitur, in his regulis, quas Pontifex, vt infallibiliter definiat, consulere debet, Doctorum etiam sententiam concordem esse numerandam.

*In Apologia
de sacrif. Mis-
sæ, cap. I.**DE CONSENSU FIDELIUM.**In fides defini-
tionibus qua-
tenus etiã ha-
benda sit ratio
consensus fide-
lium.*

EST etiam in definitionibus fidei, sicut suprã diximus, habenda ratio, quoad fieri potest, consensus fidelium, quoniam & ipsæ, quatenus ex ipsis constat Ecclesia, sic Spiritu sancto assistente diuinas reuelationes integrè ac purè conseruant, vt omnes illi quidem aberrare non possint, sicut patet ex superius dictis circa septimam Ecclesiæ proprietatem. Neque tamen idcirco volo, debere
Ponti-

Pontificem, de quavis controuersia, fidelium omnium sententiam inquirere. Hoc enim neq; fieri potest, neq; si posset, expediret. Ferè enim eiusmodi sunt quæ in cōtrouersiam fidei adducuntur, vt captum vulgarium fidelium longè superent. Illud solum contendo: Si quando de re aliqua in materia religionis controuersa constaret, fidelium omnium concordem esse sententiam (solet autem id cōstare vel ex ipsa praxi, alicuius cultus communiter apud Christianos populos recepta, vel ex scandalo & offensione cōmuni, quæ ex opinione aliqua oritur, &c.) meritò posse ac debere Pontificem illâ niti, vt quæ esset Ecclesiæ sententia infallibilis. Atque hoc mihi tantum voluisse^a Thomas VValdensis videtur, cum ait, Ecclesiam, cuius est determinare doctrinâ fidei, testimonium communium fidelium non excludere, sed includere, tametsi non soleant (inquit) interrogari, quòd minus cōmodè valeant sententiam explicare suam. Quare minimè debuit^b Canus hanc VValdensis sententiam reprehendere.

^a Lib. 2. doctrinal. fidei, cap. 20.

^b Lib. 2. de locis Theolog. cap. 7.

QVEM MODVM DEBEAT TENERE PONTIFEX IN DEFINIENDO SECUNDUM PRÆDICTAS REGULAS.

SEd existit hic ad extremum quæstio, quæ ex dictis oritur. Nam si regulæ infallibiles ad controuersiam fidei constituendam tam multæ sunt, tamq; latè patent, dubium esse potest, vtrum Pontifex determinatè debeat illas omnes cōsultare, vel certè aliquam, aut aliquas? Item vtrum determinatè debeat in eiusmodi inquisitione, & studio, aliorum quoq; vti opera; vt Episcoporū, vel Cardinalium, &c. an verò omnia ista sint planè in illius arbitrio posita: nimirum vt in adhibenda diligentia eum ipse modum teneat, quem expedire magis putauerit?

Qua ratione Pontifex oporteat in definiendo sui supra dictis regulis.

Hh 2 Respon-

*Aliquos etiam
alios rerum di-
ninarum peri-
tos consulendos
esse à Pontifice.*

*Diligentiā in
definitionibus
fidei adhiben-
dam, non oportere
semper esse
eius modi.*

*Sententiā qua-
dam falsā de
Esi auctoritate
Romani
Pontificis.*

Respondeo. Primum, ut alios etiam, qui in diuinis literis rebusque Theologicis exercitati sint, consulat, eorumque opera utatur, omnino est consentaneum. Hoc enim & ipsa rei conditio postulat, quæ sanè est grauissima, & perpetuus etiam Pontificum usus declarat, quandoque illis fuit aliquid in materia fidei cõstituendum. Cætera verò, quæ ad diligentiam modum in definiendo adhibendum attinent, planè pendent ex libero Pontificis arbitrio: nempe ut opera horum vel illorum Doctorum potius utatur, siue Cardinales illi, siue Episcopi, siue alij sint: Item ut hanc vel illam vel illas regulas consulat, quatenus requiret ratio subiectæ materiæ. Satis enim ad rectè definiendum fuerit, si eam ille diligentiam adhibeat, quæ ad ipsam rem, qua de agitur, iudicari possit sufficiens. Ut enim in aliis negotiis, ita etiam in hoc necessaria & sufficiens diligentia multum latè patet. Id quod etiam ex Pontificum more in definiendis controuersis confirmare possumus. Multæ enim ac variæ illorum definitiones exstant in Ecclesia, quæ omnes habentur infallibiles; neque tamen illi semper ratione eadem ad definiendum processerunt. Aliquando enim ad id conuocârunt Episcoporum Concilium (Nam & Concilij definitionis auctoritas non ex multitudine, sed ex Pontificis auctoritate potissimum pendet, sicut supra confirmatum est) aliquando sine Concilio ipsi definirunt. Quare sicut in hoc, arbitrio suo sunt usi, sic etiam in aliis, quæ ad modum diligentiam spectant, illo citra culpam aliquam uti posse videntur.

Ex quo nouitia cuiusdam auctoris, eaq; minimè tolerabilis, opinio reuincitur. Qui Pontifici in vtenda sua auctoritate vsque adeò angustos limites præscribit, ut censeat, illum infallibiliter non definire, nisi de consensu
Cardi-

Cardinalium definiat. Itaque distinguit hoc loco inter Romanam Ecclesiam seu Apostolicam sedem, & ipsum Romanum Pontificem. Apostolicam sedem ait nō Pontificem modò, sed etiam collegium Cardinalium continere. Hanc proinde dicit errare in definiendo non posse. Pontificem verò, si absque consensu & approbatione Cardinalium definiat, errare posse. Hęc sententia meritò viris^a doctissimis valde displicet. In alterutrum enim incommodum incurrit, quorum vtrumque maximum, neque vlllo modo ferendum est; videlicet, aut auctoritatem infallibiliter confirmandi fratres in fide non Petro tantùm, & illius successoribus à Christo Domino collatam fuisse, sed etiam Cardinalibus; qui est error in fide manifestus: aut certè auctoritatem hanc Pontificis, quod attinet ad eius vsum infallibilem, esse Cardinalium sententię quasi alligatam, hoc est, si Pontifex sine illorum consensu aliquid in fidei controuersia definiat, non obligari Ecclesiam ad ipsum audiendum iure diuino, siquidem ita errare possit. Quod etiam planè commēritium atq; absurdum est, cum semper teneatur Ecclesia Pastori suo assentiri, quem solum fidei magistrum infallibilem ab ipso Christo accepit, vt ex suprà dictis patet.

Neque verò nego, quin Pontifices conuenientissimè faciant, quòd Cardinalium de controuersis fidei iudicia consulunt, in definiendo. Solum assero non esse hoc ita necessarium, vt nisi fiat, errare Pontifex possit, aut etiam contra officium suum sit peccaturus in definiendo. Quin imò dicimus, posse illum pro negotij conditione aliorum duntaxat Doctorum opera ad eam rem vti: sicut sine controuersia posset, quando Cardinales ipsi inter se minimè consertirent, & oporteret questionem à Pōtifice definiri. Quare rectissimè Melchior^b Ca-

^a Lege præfertim Canō, lib. 6. de locis Theolog. cap. vltimo.

Incommoda istius falsa opinionis.

Rectè consulti à Pōt. de religionis controuersis collegium Cardinalium.

Id tamen non esse alioqui penitus necessarium.

^b Loco suprà citato.

nus notat, in iudicio fidei non esse inter Apostolicam sedem seu Romanam Ecclesiam, & Romanum Pontificem ita distinguendum, quasi iudicium sedis siue Ecclesie Romanæ sit infallibile, iudicium verò Romani Pontificis nõ item: quin potius esse hæc re ipsa vnum & idem. Propterea enim sedes Apostolica seu Romana Ecclesia infallibilis dicitur, quia is, qui præest illi, auctoritatem habet per se infallibilem.

Ostendimus igitur in hac postrema parte nostræ tractationis, Pontificis sententiam, cum in rebus definiendis auctoritate sua utitur, ab omnibus fidelibus recipi debere. Itemq; toties ea illum auctoritate uti, quoties in quæstionibus fidei controuersis sic alteram sententiam determinat, ut ad eam recipiendam obligare velit vniuersam Ecclesiam: & quas denique velut definiendi regulas, & qua ratione consulere ipsum oporteat, ut auctoritate illa sua legitime etiam, hoc est, sine culpa, utatur.

Romanum Pontificem iudicem esse causarum religionis, confirmatur ad extremum perpetua Ecclesie consuetudine.

Quæ Pontificis auctoritas, in iudicando de causis religionis, cum aliis argumentis omnis generis (quæ in superioribus adducta sunt) tum illo quod sumitur ex ipsa Ecclesie praxi perpetua (de qua multa quoque parte præcedenti commemorauimus) clarissime confirmatur. Si enim iam vsque ab exordio Ecclesie memoriam temporis ordine repetamus, constat profectò controuersias omnes de religione motas, ex Diui Petri cathedra fuisse iudicatas, eosque tandem & solos, communi Ecclesie iudicio, hæreticos esse habitos, qui repugnârunt definitioni eius cathedræ. Etenim ortam quæstionem de obseruatione legalium in primis ipse Diuus Petrus in Apostolico Concilio terminauit. Deinde qui volebant Pascha non nisi decima quarta luna, etiam si Dominicus dies

Act. 15.

dies tunc non esset, celebrari debere, tandem obtinente sententia atque definitione Romani Pontificis ^b Victoris, hæretici sunt habiti, & à propria secta (vt fit) nominati ^c Quartadecimani. ^d Cornelius in Concilio Romano Nouatianorum damnauit errorem. Item damnauit idem ^e Cornelius atq; etiam ^f Stephanus errorem rebaptizantium hæreticos. Item ^g Arriani in Concilio Nicæno, Syluestri Legatis, Viro & Vincentio & Hosio, in eo præsentibus, & eodem postea Syluestro, ad Patrum petitionem, Concilium id cõfirmante, damnati sunt. Item Macedoniani in Concilio primo Constantinopolitano, quod ^h Damasus Pontifex ad eum finem suis literis mandauit cõgregari. Item ⁱ Nestoriani in Cõc. Ephesino, Cælestini Pontificis vices gerente D. Cyrillo. Itē Eutychni in Concilio Chalcedonensi, Paschasino & Lucentio, locum ^k Leonis tenentibus. Item ^l Pelagiani ab Innocentio & Zozimo. Item Monothelita in Synodo sexta, & Iconomachi in septima, similiter ^m præsentibus Romani Pontificis legatis. Item error Berengarij à ⁿ Leone nono & ^o Nicolao secundo: & Petri Abailardi ab ^p Innocentio secundo: & Gilberti Porretani ab ^q Eugenio tertio: & Abbatis Ioachimi ab ^r Innocentio tertio: & Begardorum ac Beguinarum à ^s Clemente V. & Ioannis V Viclephi, & Ioannis Hufs à ^t Martino V. & ^v Græcorum ab Eugenio quarto: Vt dubitare iam nemo possit, quin sententiæ quoq; nostri temporis Sectariorum, similiter à diuersis hoc nostro seculo Pontificibus condemnatæ, hæreticæ sint.

Quibus

^p Epist. 195. inter epist. Diui Bernardi. ^q In Concilio Remensi, teste Diuo Bernardo, sermone 80. in Cantica circa finem. ^r In magno Concilio Lateran. sub eodem Pont. ^s In Clementina ad nostrum, de hæreticis. ^t In Conc. Constantiensi. ^v In Concilio Florentino.

^b Euseb. lib. 5. c. 23. & 24.

^c Epiph. li. 2. tom. 1. hæres. 50. Augustin. hæres. 29.

^d Euseb. li. 6. cap. 33.

^e Euseb. li. 7. cap. 2.

^f Teste D. Augustino lib. 5. de bap. contra Donat. c. 23. Idq; apparet etiam ex D. Cypriano in epist. ad Põpeium, quam epistolam Diuus etiã Augustinus illic commemo-

rat. ^g In actis eius Concilij. ^h Theodoretus lib. 5. c. 9. ⁱ Euagr. lib. 1. cap. 4.

^k In actis eius Concilij.

^l Augustinus lib. 2. Retract. cap. 50.

^m In actis illorum Concilij.

ⁿ In Concilio Vercell.

^o In Concilio Romano, & ab alijs etiam Pontificibus.

*Summa totius
Analysis.*

Parte VII. pro-
bat. 6. pro pri-
matu Dni
Petri.

Quibus rebus explicatis, non mihi iam aliquid ex iis, quæ initio proposui superest, quod præterea dicam, sed est tamen quod prudentem Lectorem ad extremum obsecrem, ut vel ipsa serie atque ratione huius Analysis fidei repetita, quanto operè à vera fide atque religione, qui sunt hodie Sectis additi, aberrant, velit secum perpendere. Nam, si Christianæ doctrinæ assensum præbere necesse est: Si prorsus nihil in vlla quæstione de ea doctrina, quantumvis per se difficili, quod à verissima sententia abhorreat, absque iactura salutis, sentire licet: Si auctoritas exstat aliqua, cuius magisterio commodè possint omnis conditionis homines, quantumvis rudes atque imperiti, discere, atque intelligere, quid in omni controversia cauendum, quid sequendum sit: Si auctoritatem huiusmodi, humanam etiam (diuina virtute suffultam) ut cum hominibus ipsis palàm loqui possit, esse oportet: Si ad eundem etiam finem perpetuò ea auctoritas in vera Ecclesia fidelium præsens ut vigeat, necesse est: Si eiusmodi fidelium Ecclesia, aut omnino nulla est (quod cogitare impium est) aut illa est, quæ Romano Pontifici tanquam pastori suo grex, adunata (ut Cyprianus inquit) adhæret: Si in ea ipsa vera Ecclesia fidelium ille idem Romanus Pontifex (ut successor Diui Petri) is est, super quem, tanquam super fundamentum firmum & immobile, ædificium Ecclesiæ totum spirituale consistit, atque ad eò docendi auctoritas constituta est; ut & Christus ipse & omnis antiquitas iis verbis asseueravit, quibus si negasset, nihil præterea ad perspicuam & planam determinationem eius quæstionis (ut supra notauimus) desiderarent Sectarij: Si hæc, inquam, omnia ita se habent; quod hætenus certè in hoc libro (si omnino quicquam

quam in causā religionis probari atque defendi potest) probatum à nobis, atque defensum est: quomodo non illi omnes in errore maximo religionis versentur, qui errantes extra vnum istud Ecclesiæ Catholicæ ouile sub vno Pastore constitutum, ad vocem Christi verissimam in suo Vicario loquentis obsurdescunt? Etenim, quod ipsi per se sibi videntur & loquentem in Scripturis Christum audire (cū tamen eam ille vocem suam non nisi ex ore Ecclesiæ percipi velit) & lumen in iisdem Scripturis videre; (cū tamen in tenebris proprii & exigui iudicij sui Scripturæ lucernam, tanquam sub modio posuerint) id verò blandiente (inquit verissimè D. Cyprianus) *aduersario, atq; fallente fit, qui, secundum Apostoli vocem, transfingurat se velut Angelum lucis, & ministros subornat suos, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obitu spei, perfidiam sub prætenu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi: ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem frustrentur.* Vbi è vestigio, illa ipsa ferè, qua nos, Analyti fidei, eodemque compendio, ad eiusmodi Pseudochristianorum errorem cōuincendum, vtens Diuus Cyprianus: *Hoc, inquit, ideo fit, fratres dilectissimi, quia ad veritatis originem non reditur, nec caput queritur, nec magistri caelestis doctrina seruatur. Quæ, si quis consideret & examinet, tractatu longo, atq; argumentis opus non est. Probatio est enim ad fidem facilis COMPENDIO veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferorum non vincunt eam, &c.* En sententiā Cypriani, quod sit compendium probandæ veritatis? nempe, vt ad eam auctoritatem, quam Diuo Petro & successoribus Christus attribuit, tanquam ad regulam certam, atq; amissum verita-

Lib. de vnit.
Eccles.

Ibidem

tis, doctrina exigatur. *Quomodo enim, inquit, qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? Te, Christe, precor, ut & nobis, qui summo gratiae tuae beneficio sanctissimam religionem ex hac cathedra discimus, eidem etiam in posterum perpetua communione consociari, & iis, qui nefario errore illi resistunt, ad eam aliquando tandem redire, quae tua est benignitas atque clementia, contingat.*

Laus DEO & beatissima Virgini sanctissima Domina nostra.



QVÆDAM ALIQVIBVS IN LOCIS EO
MODO, QVI SVBIVNGITVR, ADDENDA.

Pagina 82. versu 10. post dictionem, fideles; hac è vestigio sunt addenda.

NAM quod phanatici illi Sectarij, qui contempta Scriptura solis fomniis priuatarum reuelationum niti volunt, illud præterea Diui Pauli vigere solent: *Esca occidit, Spiritus autem viuificat*; confutatione vix indiget. Neque enim his verbis Apostolus aut perniciosam aut inutilem ipsam per se Scripturam (quam alias prodesse, *Et perfectus sit homo Dei* verissime affirmat) significauit, sed vel ab ipsa certè illos redargui & damnari, qui spiritu gratiæ & charitatis non eius præceptis obsequuntur, qui que nudis illius verbis, neglecto vero sensu, ad errorem abutuntur, ut fecerunt Iudæi & faciunt omnes hæretici: utroque enim modo eum locum D. Augustinus benè interpretatus est.

Pag. 101. versu 24. post dictionem, exposuimus; hoc inseratur.

QVIN omnes alij quoque Scripturæ loci, qui propriis & planis verbis sunt scripti, eò etiam clariores, ex ea parte, quàm aliæ Scripturæ propheticarum auctorum, censeri possunt, quò minus humanæ eloquentiæ artificio facti sunt. Quæ quidem ratione rectè Patres affirmare solent Scripturam facilem & planam esse, videlicet per se, quatenus ferè vitur proprio & simplici sermone.

Pag.

2. Corinth. 3.

2. Timoth. 3.

*Lib. de spiritu
& lit. c. 4. & 5.
& lib. 19. contra
Faustum, c. 8.
& serm. 70. de
tempore, &
alias.*

*Vide D. Cyrillum
lib. 7. contra Iu-
lianum, circa
medium.*

QVÆDAM ADDENDA.

Pag. 116. versu ultimo, post dictionem, decipiatur; hoc etiam
argumentum addatur septimo loco.

SEPTIMO. Si ex Scripturis solis discenda esset fides; non oporteret ex diuino mandato, Ecclesiæ in credendo obedire; illius iudicio prorsus acquiescendo, eiq; submittendo iudicium proprium. Liceret enim semper illi refragari prætextu Scripturæ, si præter Scripturam nulla in ea auctoritas sit, quæ certo & infallibiliter doceat de fide. At veram & Christianam fidem cum quadam obedientia mentis (nempe erga Ecclesiam per cuius os Deus loquitur & auditur) coniunctam esse necesse est, vt supra parte tertia certissimè demonstrauimus. Non est igitur fides ex Scriptura sola, tanquam ex iudice controversarum omnium, discenda.

Pag. 169. versu 29. post dictionem, auctoritatem;
hoc inferendum.

QUI rursus ibidem pluribus verbis contestatur, eadem Ecclesiæ celeberrima auctoritate, retentum etiam in Ecclesia fuisse se, nempe vt pergeret credere: magna profecto, vt fuerit impudètia Kemnitij & Caluini, quod Augustinum morum initio Ecclesiæ auctoritate fuisse, vt fidè Euangelio adhibere inciperet, non autem postea, vt in ea item fide perseveraret, sinxerunt.

Kem. in exam. sess. 4. Conc. Trid. Calum. lib. 1. in. lib. cap. 7.

Pag. 339. versu 2. post dictionem, notandum; inferatur hoc.

ITAQUE licet alicubi memoret Diuus Augustinus, sapientiæ librum à quibusdam receptum non fuisse; tamen disertis verbis eodem loco confirmat, eum esse diuinum: *Non debuit, inquit, repudiari sententia libri sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi, de gradu Lectorum Ecclesiæ Christi iam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab Episcopis & ad extremos Laicos fideles, penitentes, catechumenos, cumeneratione DIVINÆ auctoritatis audiri.* Et infra: *Qui sententiis, inquit, tractatorum instrui solent, oportet vt istum librum sapientiæ omnibus tractatoribus anteponant, quoniam sibi eum anteposuerunt, etiam temporibus proximi Apostolorum, egregij tractatores, qui sestem istum adhibentes, nihil se adhibere, nisi diuinum testimonium crediderunt.* Et tamen tam perfrecta frontis fuit Kemnitius, vt dissimulatis, fraude qua solet, his omnibus Augustini verbis, scribere non erubuerit, non defendi (vtor istius verbis) ab Augustino in eo loco, librum sapientiæ esse verè Canonicum: quia scilicet ibi Augustinus dicit, sententiam illam (*Raptus est ne malitia mutaret intellectum*) quam ex eo libro citarat, etiam sine libri huius attestacione per se esse alioqui certam. Atqui Diuus Augustinus non idèd hoc dixit, quod ipse putaret hunc librum non esse Canonicum, sed vt iis, qui auctoritatem eius libri in dubium reuocabant, aliunde quoque sententiam illam comprobaret.

Li. 1. de predestin. Sanctor. cap. 14.

In exam. Conc. Trid. sess. 4.

Sapient. 4.

Pag. 368. versu 5. post dictionem, ostendimus; hoc inferendum.

AT dicent istorum aliqui fortassis, nec se, nec maiores suos (Lutherum, videlicet, Caluinum, & similes hæresiarchas) ob Ecclesiæ Romanæ traditionem & testimonium Scripturam sacram pro diuina recepisse. Vnde nam igitur illam habent? An in ipsamet Scriptura vsquam legerunt, hos libros ad numerum esse omnes sacros? Aut id habent ex reuelacione diuina sine illo vel Scripturæ, vel Ecclesiæ præsentis testimonio, cuius ex auditu fi-

Roman. 10.

Parte III.

des de istorum auctoritate librorum cōcipiatur? At suprà conuicimus, Deum sine ministerio auctoritatis humanæ nequaquam de rebus fidei docere. Sed neque dicere possunt, Scripturam recepisse se propter solum testimonium antiquioris Ecclesiæ, quæ longè antè præterit. Non enim eius Ecclesiæ testimonium *auditu* ipsi percipere potuerunt. Fides autem (de tali præsertim articulo, qui quasi caput est omnium) necesse est, ut ex *auditu*, hoc est, ex ministerio legitimo veræ Ecclesiæ, omni tempore (iuxta Christi promissiones) perdurantis, concipiatur: maxime cum ne testificationem quidem Ecclesiæ antiquioris, nisi ab Ecclesia præsentis habere possimus. A quamam igitur Ecclesiæ præsentis Sectarij Scripturam tanquam certam & infallibilem acceperunt, si non eam acceperunt ab Ecclesia Romana? An ab Ecclesia illa suauisibili, à qua, cum inuisibilis esset, nihil accipi potuit?

Pag. 396. post versum ultimum hæc addenda sunt:

In exam. sess. 4.
Concl. Trsd.

OPPONIT præterea Kemnitius alia nonnulla veterum testimonia, sed eiusmodi tamen, quæ aut solum continent simplicem Scripturæ commendationem; aut illam quidem sufficere significant in quibusdam historicis narrationibus, certis quæ questionibus, ac in aliquibus fidei articulis, qui ab omnibus explicitè sciri atque credi debent, aut erroribus tantum à Scriptura ipsa alienis, vel propriis opinionibus, quæ non modò Scripturæ, sed etiam Ecclesiæ & Doctorum auctoritate destituantur, fidem detrahunt, non autem probatis Ecclesiæ Traditionibus: sicut ex ipsa sententia Patrum iam explicatum est. Neque tamen quedam eius generis testimonia Kemnitius recitat. Verbi gratia, Dixit (secundum veram & vulgatam iam pridem interpretationem) Diuus Athanasius, *Sufficere Scripturas ad Veritatis indicationem*: in articulis nimirum illis de vno Deo & de Incarnatione Verbi, quos aduersus errores Ethnicorum Macario cōfirmare instituebat. Kemnitius autem nunc citat, Diuum Athanasium ibi dixisse, *Sufficere Scripturas ad omnem instructionem Veritatis*. Item recitat hæc verba ex Diuo Augustino: *Civitas Dei credit Scripturis sanctis, veteribus & nouis, quas Canonicas appellamus, unde fides ipsa concepta est, ex qua iustus uiuit, per quam sine dubitatione ambulamus, quandiu peregrinamur à Domino*. Dissimulat autem quod in eadem periodo continenter Diuus Augustinus ita subiungit: *Quæ (fide) salua atq; certa, de quibusdam rebus, quas neq; sensu neq; ratione percipimus, neq; nobis per Scripturam Canonicam claruerunt, nec per TESTES, QUIBUS NON CREDERE ABSYRDVM EST, in nostram notitiam perueniunt sine iusta reprehensione dubitamus*. Ex quibus verbis annon clarissimum est, ita D. Augustinum Scripturæ sacræ suam auctoritatem tribuere, ut tamen etiam censuerit, communi Ecclesiæ Traditioni credendum, cuius testimonio nõ credere non modò absurdum, sed etiam (ut idem aliàs affirmat) insolentissima infania est? Item citat Hieronymum, quasi ita dixerit: *Quidquid de Scripturis sacræ auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*. Hieronymus autem nõ dicit generatim, *Quod*, aut *Quidquid*, quasi etiam illud quod habeat Ecclesiæ quidem, non autem Scripturæ auctoritatem, reiiciendum sit. Sed nominatim disputans contra eorum opinionem, qui ex quibusdam, inquit, *Apocryphorum somniis* Zachariam illum, inter templum & altare occisum, patrem ipsum Ioannis Baptistæ esse contenderunt, ita subiungit: *Hoc, quia de Scripturis non habet auctoritatem eadem facilitate contemnitur, qua probatur*. Nempe, quia Apocryphum alioqui commentum id est, quod neque Ecclesiæ, neque ad eò Scri-

In oratione contra idola aduersus Genes, in initio.

Lib. 19. de ciuit. cap. 18.

In exam. loco cit. pag. 115.
Hieron. in cap. 23. Matth.

ADDE NDA.

pturæ vilo modo habet auctoritatem. Item redarguens idem Hieronymus hæreticorum in vsurpanda Scriptura impudentiam, idcirco eius testimoniis illos vi solitos esse dicit: quia *sine auctoritate*, inquit, *Scripturarum garrulitas* (nempe eorundem hæreticorum) *non HABERET fidem*: Nempe quonia alioqui auctoritate etiam Ecclesiæ, quam Scriptura commendat, tales seductores in primis destituuntur. Kemnitius autem absolutè & præcisè citat Hieronymum ita dixisse: *Sine auctoritate Scripturarum garrulitas non HABET fidem*. Ex qua sententia, ita præcisè posita, facile quispiam posset colligere Hieronymum sensisse, illud omne quod sine Scripturæ testimonio profertur, quantumcumque alioqui Ecclesiæ auctoritate confirmatum sit, esse velut garrulicatem quandam inanem reiiciendum, nec in materia religionis fidem vllam mereri. Item citat illa verba Epiphani: *Nos Sensus cuiusque questionis inventionem non ex propriis ratiocinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia*. Et tamen idem ipse Kemnitius aded agnoscit Epiphani mentem, eo loco non esse excludere Traditiones Apostolicas non scriptas, quæ à Scriptura ipsa commendantur, vt etiam Epiphaniū fugillet quod plus nimio eiusmodi Traditionibus delectatus (hoc enim iste vocabulo vitur) fuerit. Existat enim de auctoritate Traditionum non scriptarum luculentissimū hoc Epiphani testimonium: *Oportet & Traditione Sui. Non enim omnia à diuina Scriptura accipi possunt Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione, sancti Apostoli tradiderunt*. Quod igitur ait, ex Scripturarum consequentia questionum explicationem esse petendam, non sic accipi vult, quasi non liceat ex legitima Traditione, quæ parem etiam cum ipsa Scriptura auctoritatem habet, argumentari, sed quia non sunt certè ex proprio ingenio determinandæ fidei quæstiones. Item D. Basilius ita inquit: *Omne quod extra diuinitus inspiratam Scripturam non ex fide est, peccatum est*. Intelligit autem quod ita est extra Scripturam vt non sit ei consentaneum, sed potius repugnans, quod que aded non est ex fide, sed potius peccatum contra fidem, dignum illo anathemate, de quo Apostolus inquit: *Si nos aut Angelos de celo euangelizet, et vobis præterquam quod euangelizauimus, anathema sit*: quem locum idem D. Basilius ad hoc ipsum propositum antea vsurpauerat. Kemnitius autem hunc D. Basili locum sic recitauit: *Omne quod extra Scripturam diuinitus inspiratam, QVIA non ex fide est, peccatum est*. Assuit autem ipse de suo illud, *QVIA*, vt verisimilius Lector decipi posset, quasi Basilius significauisset, hoc ipso aliquid non esse ex fide, quia non contineatur in Scriptura. Basilius autem non hoc voluit: sed dicit simpliciter, illud quod extra Scripturam non est ex fide (cum scilicet & à Scriptura, & à Traditione etiam quæ in Scriptura commendatur, cuique assentiri, secundum eundem Basiliū, vt supra vidimus, Apostolicum est) peccatum esse. Græcè Basilius eodem modo habet: *ἄδὲν ἐστὶν πίστις*

ἴσως ὁ π. Sed quis vbi que enumerare facile possit Kemnitij corruptelas & imposturas omnes aduersus doctrinam Catholicorum?

In comm. in epi. ad Tit. 1.

Hæres 65.

In exam. eiusdē Sess. A. Concilij Triad. Sibi agit de Traditione. Epipha. hæres 65. paulo post medium.

In Moralibus, summa 80. c. 22.

Galat. 1. Eodem li. summa 72. c. 1.

INDEX
 LOCORVM SACRAE
 SCRIPTVRAE, QUI IN HOC
 LIBRO CITANTVR, ET MAGNA
 etiam ex parte explicantur.

EX VETERI TESTA-
 MENTO.

Capita.	Genesis.	Paginae.
2.	<i>Hoc nunc os ex osibus meis.</i>	90
3.	<i>Ipsa conteret caput tuum.</i>	30.347
4.	<i>Nequaquam ita fiet.</i>	343.353
17.	<i>Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham.</i>	222.225
22.	<i>Expectate hic ego & puer illuc usque properantes, & c. reuertemur ad vos.</i>	343.353
25.	<i>Maior seruiet minori.</i>	354
27.	<i>Ego sum primogenitus tuus Esau.</i>	343.354
	Exodi.	
32.	<i>Et ait Moses, consecrasti manus vestras hodie Domino unusquisque in filio & in fratre suo.</i>	148
	Numeri.	
23.	<i>Non est Deus quasi homo ut mentiatur.</i>	351
ibid.	<i>Nec est ut filius hominis mutetur.</i>	352
	Deuteronomij.	
12.	<i>Quod precipio tibi hoc tantum facito Domino; nec addas nec minuas.</i>	365.384
17.	<i>Venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore, & c.</i>	272.365.369.400
ibid.	<i>Qui superbierit, nolens obedire Sacerdoti, morietur homo ille.</i>	383
32.	<i>Et inimici nostri sint Iudices.</i>	42
	Iosue.	
22.	<i>Miserunt ad illos Phinees sacerdotem & decem principes cum eo.</i>	256
	Iudi-	

INDEX PRIMVS.

Iudicum.

11. *Heres in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre natus es.* 347

3. Regum.

8. *Conuertit rex faciem suam & benedixit omni Ecclesie Israël.* 147
 18. *Ait Elias ad populum; Ego remansi Domini Propheta solus.* 148
 19. *Derelictus sum ego solus & quarunt animam meam ut auferant eam.* 148
 22. *Quis decipiet Achab Regem Israël?* 344
ibid. *Decipies & praeualebis: egredere & fac ita.* 344
ibid. *Ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum.* 344

4. Regum.

10. *Venit Esaias ad Ezechiam, dixitque ei; morieris & non viues.* 343

1. Paralipomenon.

9. *Thinees erat dux eorum coram Domino.* 256

Iudith.

6. *Per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt petentes auxilium à Deo Israël.* 120

Psalmo.

Psalmorum.

2. *Postula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* 133. 181. 183
 13. *Dixit inspiens in corde suo, non est Deus.* 1
ibid. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* 148
 15. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* 358
 18. *In omnem terram exiit sonus eorum, &c.* 133. 184
ibid. *In sole posuit tabernaculum suum.* 140
ibid. *Lex Domini immaculata conuertens animas.* 46
ibid. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* 97
ibid. *Judicia Domini vera iustificata in semetipsa.* 46. 132
 25. *O diui Ecclesiam malignantium & cum impiis non sedebo.* 120
 30. *Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* 140
 36. *Deficientes quemadmodum fumus deficient.* 186
 44. *Lingua mea calamus Scriba velociter scribentis.* 334
ibid. *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* 211
 58. *Deus ostendit mihi super inimicos meos, &c.* 42
 67. *Deus noster, Deus saluos faciendi.* 71
 79. *Extendit palmites suos usque ad mare.* 181

86. Fun-

INDEX.

86.	<i>Fundamenta eius in montibus sanctis.</i>	136
88.	<i>Confitebuntur veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum.</i>	169
92.	<i>Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.</i>	59. 203
93.	<i>Qui docet hominem scientiam.</i>	89
103.	<i>Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi.</i>	132. 145
105.	<i>Stetit Phinees & placavit, & cessavit quassatio.</i>	49
118.	<i>Lucerna pedibus nostris verbum tuum & lumen semitis meis.</i>	97
147.	<i>Emittit eloquium suum terra & velociter currit sermo eius.</i>	334
149.	<i>Laus eius in Ecclesia Sanctorum.</i>	129

Proverbiorum.

18.	<i>Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit.</i>	57
30.	<i>Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.</i>	49

Cantica canticorum.

2.	<i>Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias.</i>	125
3.	<i>En lectulum Salomonis 60. fortes ambiunt ex fortissimis Israël.</i>	134
4.	<i>Tota pulchra es amica mea, & non est macula in te.</i>	131
ibid.	<i>Hortus conclusus soror mea sponsa.</i>	137
6.	<i>Terribilis ut castrorum acies ordinata, &c.</i>	132. 137
ibid.	<i>Vna est columba mea perfecta mea.</i>	129

Libri Sapientiae.

1.	<i>In maleuolam animam non introibit sapientia.</i>	87
14.	<i>Creatura Dei in odium facta sunt & in tentationem animabus hominum & in mscipulam pedibus insipientium.</i>	111

Libri Ecclesiastici.

32.	<i>Verba sapientum sicut stimuli & quasi clavi in altum defixi, quae per magistrorum consiliū data sunt a pastore vno; iis, fili mi, ne amplius requiras.</i>	423
-----	---	-----

Isaia.

5.	<i>Quid est quod debui ultra facere vinea mea & non feci ei?</i>	272
7.	<i>Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.</i>	43
9.	<i>Super solium David & super regnum eius sedebit.</i>	134
22.	<i>Dabo clauem domus David super humerū eius & aperiet, &c. 231. 415</i>	
29.	<i>Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati.</i>	96
30.	<i>Non faciet auolare a te ultra Doctorem tuum.</i>	236

38. Dispo-

PRIMVS.

- 136 38. *Dispone domui tue, quia morieris tu & non viues.* 343
 169 *ibid.* *Ecce ego adiciam super dies tuos 15. annos.* 343
 203 53. *Uniuersos filios tuos doctos à Domino.* 79
 80 54. *Quis credidit auditui nostro?* 73
 145 59. *Spiritus meus & verba mea nõ recedēt de ore tuo. 45. 145. 169. 217. 382*
 40 60. *Aperientur porta tua iugiter; die ac nocte non claudentur.* 141
 97 61. *Dabo opus in veritate & fœdus perpetuum feriam eis.* 141
 334 *ibid.* *Et sciatur in gentibus semen eorum, &c.* 45
 129 62. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes.* 134

Ieremia.

3. *Dabo Pastores & pascent vos scientia & doctrina.* 400
 57 14. *Falsò Prophete vaticinantur in nomine meo.* 76
 49 17. *Solum gloria altitudinis à principio locus sanctificationis nostre.* 160
 125 23. *Nolite audire verba Prophetarum qui prophetant vobis & decipiunt*
 134 *vos.* 76
 131 29. *Quæretis me & inuenietis, cum quæseritis me in toto corde vestro.* 20
 137 31. *Non docebit amplius vnusquisque proximum suum.* 79
 2. 137 36. *Loquebatur ex ore suo quasi legens omnes sermones istos.* 334

Ezechielis.

2. *Ecce manus missa ad me, in qua erat liber innolutus.* 96
 13. *Va Prophetis insipientibus qui sequuntur spiritũ suũ & nihil vident.* 76
 87 16. *Dicitis, ait Dominus, cum ego non sum locutus.* 76

Osec.

2. *Desponsabo te mihi in fide vsque in sempiternum.* 134. 146
 9. *Da eis vuluam sine liberis & vbera arentia.* 181

Amos.

5. *Quærite me & viuētis.* 20

Zachariæ.

9. *Circundabo domum ex his qui militant mihi.* 134

Malachia.

1. *Offertur nomini meo oblatio munda.* 93
 2. *Labia sacerdotis custodient scientiam & legẽ requirent ex ore eius.* 75
 134 3. *Erunt mihi in die quam ego facio, in peculium & parcam eis, etc.* 25

i. Machabæorum.

12. *Habentes solatio sanctos libros qui sunt in manibus nostris, etc.* 49

Kk

EX

INDEX
EX NOVO TESTA-
MENTO.

Ex Euangelio S. Matthæi.

4.	Scriptum est enim, quia Angelis suis mandavit de te.	78
5.	Beati pauperes spiritu.	53. 54
ibid.	Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.	137. 191
ibid.	Neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus, &c.	97. 149
7.	Attendite à falsis Prophetis, etc. intrinsecus autem sunt lupi rapaces. 62. (76. 113.)	
ibid.	A fructibus eorum cognoscetis eos.	28
ibid.	Admirabantur turba super doctrina eius.	54
9.	Non veni vocare iustos sed peccatores.	348
10.	Nomina Apostolorum hæc sunt: Primus Simon, &c.	252. 261
ibid.	Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.	28
ibid.	Non enim estis vos qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.	80
ibid.	Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, predicare super tecta.	365
11.	Renunciate Ioanni que audistis & vidistis.	33
12.	Si Satanas Satanam eiicit, quomodo stabit regnum eius?	32
13.	Simile est regnum cælorum sægna missa in mare & ex omni genere piscium congreganti.	125
ibid.	Sinite crescere utraque usque ad messem.	181
15.	Sine causa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.	365
16.	Porte inferi non præualebunt aduersus eam.	133. 188
ibid.	Vos quem me esse dicitis? Tu es Christus filius Dei, &c.	219
ibid.	Beatus es Simo Bariona. 219. 220. 221. vsq; 241. explicatur totus. 274.	
ibid.	Super te edificabo Ecclesiam. Tibi dabo claves, etc.	261. 302
ibid.	Vade post me Satana.	274
17.	Vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius inuenies staterem.	251
18.	Ubi fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.	408
ibid.	Si non audierit eos dic Ecclesia.	124. 142. 411
		ibid.

PRIMVS.

ibid.	<i>Quaecunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in caelo, etc.</i>	
	(233. 411.)	
ibid.	<i>Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.</i>	411
ibid.	<i>Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proiice abs te.</i>	360
ibid.	<i>Domine, quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei?</i>	411
22.	<i>Diliges Dominum Deum tuum, etc. & proximum tuum sicut teipsum, etc.</i>	23
23.	<i>Nolite vobis dicere Magistrum in terra, etc.</i>	81
ibid.	<i>Dicunt enim & non faciunt.</i>	306
24.	<i>Surgent Pseudoprophetae.</i>	45
ibid.	<i>Ecce hic est Christus, etc.</i>	77.98.112.180.181
25.	<i>Simile est regnum caelorum decem virginibus.</i>	125.137
26.	<i>Omnes scandalum passi sunt in illa nocte.</i>	135
ibid.	<i>Videntes Discipuli, &c. ut quid hac perditio?</i>	354
ibid.	<i>Multi falsi testes, etc.</i>	55
ibid.	<i>Hoc est corpus meum.</i>	92.102
28.	<i>Euntes docete omnes gentes, etc.</i>	62.237
ibid.	<i>Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.</i>	133.145.276

Ex Euangelio S. Marci.

1.	<i>Prosecutus est eum Petrus & qui cum eo erant.</i>	253
15.	<i>Ei qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei.</i>	354
16.	<i>Qui non crediderit, condemnabitur.</i>	2.62
ibid.	<i>Domino cooperante & sermonem admirabiliter confirmante.</i>	28
ibid.	<i>Signa eos qui crediderint haec sequentur.</i>	173
ibid.	<i>Predicate Euangelium omni creatura.</i>	237.260

Ex Euangelio S. Lucae.

1.	<i>Quoniam multi conati sunt ordinare narrationem, etc.</i>	382
ibid.	<i>Per os Sanctorum, qui a seculo sunt Prophetarum eius.</i>	75
ibid.	<i>Dabit ei Dominus sedem David patris sui.</i>	133
ibid.	<i>Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet, etc.</i>	225
5.	<i>Duc in altum.</i>	309
8.	<i>Dixit Petrus, & qui cum illo erant.</i>	253
11.	<i>Qui non est mecum, aduersum me est.</i>	67
ibid.	<i>Nemo accendit lucernam & in abscondito ponit.</i>	98
18.	<i>Putasne filius hominis veniens inueniet fidem in terra?</i>	134.148
21.	<i>Eritis odio omnibus hominibus propter me.</i>	184

Kk 2 22. Re-

I N D E X

22. *Reges gentium dominantur eorum, etc.* 241. vsque 243
ibid. *Confirma fratres tuos.* 261. 274. 302. 309

Ex Euangelio S. Ioannis.

1.	<i>Hic venit in testimonium.</i>	81
<i>ibid.</i>	<i>Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas.</i>	221
<i>ibid.</i>	<i>Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.</i>	235
4.	<i>Spiritus est Deus.</i>	75
5.	<i>Scrutamini Scripturas.</i>	44
<i>ibid.</i>	<i>Si crederetis Moysi, crederetis utique & mihi.</i>	44
<i>ibid.</i>	<i>Ego testimonium hominum non accipio.</i>	79. 81
6.	<i>Nunquid & vos vultis abire, etc.</i>	253
<i>ibid.</i>	<i>Erunt omnes docibiles Dei.</i>	79
7.	<i>Si quis voluerit eius voluntatem facere, cognoscet de doctrina eius.</i>	79
<i>ibid.</i>	<i>Quis unquam ita locutus est ut ille homo?</i>	53
8.	<i>Quis vestrum potest me arguere de peccato?</i>	55
<i>ibid.</i>	<i>Diabolus ex propriis loquitur.</i>	78
9.	<i>A seculo non est auditum, &c.</i>	31
10.	<i>Ego sum Pastor bonus.</i>	248
<i>ibid.</i>	<i>Pastor qui posuit animam suam pro ouibus.</i>	235
<i>ibid.</i>	<i>Qui aliunde ascendit in ouile ouium fur & latro est.</i>	209
<i>ibid.</i>	<i>Opera qua ego facio testimonium de me perhibent.</i>	33
<i>ibid.</i>	<i>Oves mea vocem meam audiunt.</i>	79
13.	<i>Quod facis fac citius.</i>	355
14.	<i>Ut maneat vobiscum in aeternum, etc.</i>	276
<i>ibid.</i>	<i>Docebit vos omnem veritatem.</i>	340. 146
<i>ibid.</i>	<i>Rogabo patrem & alium paraclerum dabit vobis, etc.</i>	144 bis. 217
15.	<i>Si opera non fecissem, qua alius nemo facit.</i>	32
16.	<i>Cum venerit ille spiritus veritatis.</i>	79
17.	<i>Pater sanctifica eos in veritate.</i>	145
<i>ibid.</i>	<i>Qui per Apostolorum verbum erant credituri.</i>	136
18.	<i>Palam mundo locutus sum.</i>	365
20.	<i>Quorum remisistis peccata, remittentur eis.</i>	260. 233
21.	<i>Simon Ioannis diligis me plus his?</i>	245. 261. 274. 302
<i>ibid.</i>	<i>Alius cinget te & ducet quo non vis.</i>	274
<i>ibid.</i>	<i>Sunt & alia multa qua fecit Iesus, qua si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse, qui scribendi sunt, libros.</i>	374

Ex

PRIMVS.

Ex Actis Apostolorum.

1.	Eritis mihi testes in Hierusalem.	81
ibid.	Exurgens in medio fratrum, Petrus.	254
ibid.	Oportet ex his viris qui nobiscum sunt, unum eligere.	257
ibid.	Locutus de regno Dei.	374
2.	Stans Petrus cum undecim leuauit vocem suam.	253.254
4.	Erat multitudinis credentium cor unum & anima una.	129
8.	Puidne intelligis qua legis? quomodo possum? &c.	97
9.	Ingressus Paulus Synagogas predicabat Iesum.	259
10.	Vidi vas quoddam descendens velut linteum magnum, &c. in quo erant omnia quadrupedia.	254.259
15.	Vos enim scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis per os meum elegit audire gentes verbum, &c.	254.257.259.309.430
ibid.	Ego iudico, &c.	256.257
20.	Beatius est dare quam accipere.	374
ibid.	Attendite vobis & vniuerso gregi.	124

Ex Epistola ad Romanos.

1.	Fides vestra per vniuersum mundum annunciat.	191
ibid.	Segregatus in Euangelium Dei.	44
3.	Deus verax, omnis autem homo mendax.	351
4.	Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio.	90
6.	Gratia autem Deo, quod fuistis serui peccati.	73
7.	Habitat in me peccatum.	89
8.	Nihil damnationis est iis, &c.	90
ibid.	Nos primitias spiritus habentes.	136
9.	Non omnes qui ex Israël sunt, ij sunt Israëlita.	354
10.	Fides ex auditu.	72.74
ibid.	Sed non omnes obediunt Euangelio.	73
11.	O altitudo sapientia & scientia Dei.	85
ibid.	Septem hominum millia, qui non curuauerunt genu ante Baal.	148
15.	Quaecumq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.	49
ibid.	Euangelium Dei ut fiat oblatio gentium accepta.	93
16.	Obseruetis eos, qui dissensiones preter doctrinam quam vos didicistis, faciunt.	62

Ex I. ad Corinthios.

1.	Videte, fratres, vocationem vestram.	29
		ibid.

Kk 3

I N D E X

<i>ibid.</i>	<i>Vocat in societatem Iesum Christum Filium sui.</i>	122
2.	<i>Non iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Christum, &c.</i>	390
<i>ibid.</i>	<i>Sermo meus non in persuasibilibus humana sapientia verbis.</i>	39
<i>ibid.</i>	<i>Stultitia enim est illi doctrina fidei, & non potest intelligere.</i>	71. 116
<i>ibid.</i>	<i>Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus.</i>	71
3.	<i>Templum sanctum quod estis vos.</i>	131. 137
<i>ibid.</i>	<i>Dei edificatio estis.</i>	137. 223
<i>ibid.</i>	<i>Fundamentum, &c. quod est Christus Iesus.</i>	136. 154. 233. 235. 236
<i>ibid.</i>	<i>Mundi sapientia stultitia est.</i>	71
<i>ibid.</i>	<i>Neq. qui plantat aliquid est, neq. qui rigat.</i>	79. 80
4.	<i>Nihil mihi sum conscius, &c.</i>	90
<i>ibid.</i>	<i>Qui nos iudicat Dominus est, nolite ante tempus iudicare.</i>	91
6.	<i>Abluti estis, sanctificati estis.</i>	89
9.	<i>Qui spiritualia seminant, etiam temporalia metunt.</i>	243
10.	<i>Petra autem erat Christus.</i>	132
<i>ibid.</i>	<i>Unus panis & unum corpus multi sumus.</i>	129
11.	<i>Oportet hereses esse, ut qui probati sunt, &c.</i>	45. 72. 148. 191
<i>ibid.</i>	<i>Laudo vos, quod sicut tradidi vobis praecepta mea tenetis, &c. caetera cum venero disponam.</i>	124. 373. 394
12.	<i>Sicut in uno corpore multa membra sunt, nec eundem actum habent.</i>	137
<i>ibid.</i>	<i>Nunquid omnes sunt oculi?</i>	150
<i>ibid.</i>	<i>Divisiones gratiarum sunt, & divisiones operationum, & divisiones administrationum.</i>	210
<i>ibid.</i>	<i>Viam excellentiorem, &c.</i>	212
Ex 2. ad Corinthios.		
3.	<i>Velamen usque in hodiernum diem cum legitur Moyses est positum, &c.</i>	96
5.	<i>Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.</i>	90
10.	<i>Non secundum carnem militamus. Arma militiae nostrae, &c.</i>	29
11.	<i>Spiritum Satanae, qui se in Angelum lucis transfiguravit.</i>	76
Ex Epistola ad Galatas.		
1.	<i>Siquis euangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit. 63. 73. 258. 328.</i>	63.
2.	<i>Mihi autem qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt, &c.</i>	256
<i>ibid.</i>	<i>Contuli cum illis Euangelium quod praedico in gentibus.</i>	259
		3. <i>Quis</i>

PRIMVS.

3. *Quis vos fascinoit non obedire veritati?* 73
 5. *Manifesta sunt opera carnis, &c. secta.* 63
 6. *In Christo Iesu neque circumciso aliquid valet, neque preputium, sed nona creatura.* 380
ibid. *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia.* 380

Ex Epistola ad Ephesios.

2. *Superadificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarū.* 136
 4. *Una fides, unum baptisma.* 62
ibid. *Solliciti seruare unitatem spiritus.* 129
ibid. *Alios verò Pastores & Doctores in edificationem corporis Christi.* 75.
 (150.212.223.400.
ibid. *Ad consummationem Sanctorum donec occurramus, &c.* 134.238
ibid. *Compactum, connexum per omnem iuncturam subministrationis.* 138
ibid. *Ut non circumferamur omni vento doctrina.* 147.169
 5. *Eratis enim aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino.* 25
ibid. *Exhibebū sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam.* 132

Ad Philipenses.

3. *Idipsum sapiens, in eadem permanebis regula.* 62
 7. *Unanimes in charitate idipsum sentientes.* 129

Ad Colossenses.

1. *Ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo.* 212
 2. *Theauri sapientia & scientia.* 236

Ex 2. ad Thessalonicenses.

2. *Mysterium iniquitatis iam operatur.* 189
ibid. *Cuius est aduentus secundum operationes Satanae in omni virtute & signis & prodigiis.* 36
ibid. *Stare & tenere Traditiones quas accepistis siue per epistolam siue per sermonem.* 373-394

Ex 1. ad Timotheum.

2. *Dedit redemptionem pro omnibus.* 235
 3. *Columnam atq. firmamentum veritatis.* 144.169.313
 4. *Spiritus manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide.* 45
 6. *O Timothee, depositum custodi.* 373
ibid.

I N D E X

ibid. Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti, bonum depositum custodi. 373. 390

2. ad Timotheum.

2. Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus. 373. 390

ibid. In magna domo non sunt solum vasa aurea & argentea. 125

3. Omnis Scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, &c. ut perfectus sit homo Dei. 49. 109. 333. 353. 364

4. Lucas mecum est. 344

ibid. Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum. 344

Ad Titum.

1. Dilecto filio suo Tito secundum communem fidem. 135

ibid. Episcopum amplecti oportet sermonem fidelem, quoniam sunt multi inobedientes. 63. 150

3. Hereticum hominem post unam aut alteram admonitionem deuita. 63. 150

ibid. Cum sit proprio iudicio condemnatus. 419

Ad Hebræos.

2. Signis & prodigiis Deus contestatus est doctrinam. 208

3. Christus in domo sua, quæ domus sumus nos. 137

4. Pontifex qui penetravit celos. 235

5. Facti estis quibus lacte opus est. 246

6. Volens Deus abundantius ostendere pollicitationis hereditibus, &c. interposuit iusurandum, &c. 352

8. Tabernaculum quod fixit Dominus non homo. 137

9. Introiuit per sanguinem suum in sancta, æterna redemptione inuenta. 235

11. Sine fide impossibile est placere Deo. 1. 62. 149. 309

ibid. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est. 20

ibid. Fides est argumentum rerum non apparentium. 72. 154. 350

ibid. Fide Abraham obtulit Isaac Deo, &c. 353. 354

13. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. 63

ibid. Mementote Prepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum. 74. 411

Ex Epistola S. Iacobi.

1. Si quis indiget sapientia, postulet à Deo. 79

3. Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est. 54

1. D. Pe-

PRIMVS.

Ex 1. D. Petri.

2. *Gentem sanctam, populum acquisitionis.* 132
 4. *Sufficit prateritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam, &c.* 25
 5. *Pascite qui in vobis est gregem prouidentes non coacti, &c. 142. 245. (249. 251.)*

Ex 2. D. Petri.

1. *Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit.* 114
ibid. *Spiritu Dei inspiratos locutos esse sanctos Dei homines.* 353
ibid. *Cui bene facitis attendentes, tanquam lucerna lucenti in caliginoso loco.* 97
 2. *Erunt in vobis Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.* 63
 3. *Qua indocti homines & instabiles, sicut & ceteras Scripturas, deprauant, &c.* 94. 113. 381

Ex 1. D. Ioannis.

3. *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis.* 67. 150
ibid. *Non necesse habetis, ut vos aliquis doceat.* 79
ibid. *Unctio ipsius docet vos de omnibus.* 80
 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* 416
 5. *Hic est verus Deus.* 105
ibid. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.* 79

Ex 2. D. Ioannis.

- ¶. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert.* 63
 ¶. 12. *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum, spero enim me futurum apud vos, & ore ad os loqui.* 374

Ex Apocalypsi B. Ioan. Apostoli.

2. *Neque nouit aliquis, nisi qui accipit.* 24
 3. *Sanctus verus qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit.* 231
 17. *Siquidem aque multe populi multi sunt.* 254
 21. *Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim.* 136. 233

L1

INDEX

INDEX
RERVM PRAECIPVA-
RVM, QVAE IN HOC LIBRO
CONTINENTVR.

ANALYSIS FIDEI
CATHOLICAE

Qua ratione & methodo in hoc libro instituta sit, indi-
catur in praefatione ad Lectorem.

A.

Apostoli.



Væ & qualis eorum di-
gnitas Apostolica fue-
rit. Pagina 237. In qui-
bus rebus fuerint om-
nes pares, & in quibus
item Diuus Petrus reli-
quis fuerit superior. 237. 238. 239. Quã
admirabiliter mundum Christo sub-
diderint. 28. Non omnes tempore
passionis Christi fidem abieciſſe, 134.
135. Quamobrem literas ſuas quan-
doque addiderint, cum aliquos ad in-
formandos de doctrina abſentes mit-
tebant. 378. Deuiſſe illos dum ſuper-
ſtites erant, vel voce vel ſcripto docere
quoſcunq; poterant. 375. & 379. Quo-
modo fuerint Eccleſiæ fundamenta,
236.

*Auctoritas ſeu Regula, ex qua peti
debeat vera ſententia Chriſtia-
na doctrina.*

Aliquam omnino talem auctoritatem
exiſtare, quæ ad omnes quaſtiones fi-
dei definiendas ſufficiat. 70. uſque ad
73. Eam non eſſe purè diuinam. 74.
75. 76. Neque purè humanam. 70. uſq;
ad 75. Sed humanam diuinitus inſpi-
ratam. 78. Vigere eam perpetuè in
Eccleſiâ præſentem. 83. & ſequentib.

Proinde non niſi in vera Chriſti Ec-
cleſiâ quaeri debere. 118. Eam Diuo
Petro à Chriſto tributam eſſe. 219. &
ſequentibus. Item Diui Petri ſucceſ-
ſoribus Romanis Pontificibus. 270.
& ſequentibus. Debere omnes huic
auctoritati acquieſcere. 308. & ſeque-
ntibus.

Diuus Auguſtinus.

Cur fidem Chriſtianam ſuſceperit. 19.
Quid etiam in illa eum retinuerit. 19.
181. 199. Quafi propria manu Decre-
tis Concilij Tridentini ſubſcripſit. 18.
Quid de obſcuritate Scripturæ ſen-
ſerit. 85. 86. 87. 88. 100. Quo ſenſu
dixerit alicubi in Scriptura planiſſi-
mè tradi, quod alibi in ea dicitur ob-
ſcurè. 102. Item, clarè in Scriptura
reperiti, quæ ad fidem & mores ne-
ceſſaria ſunt. 100. Item Eccleſiam eſ-
ſe demõſtrandam per Scripturas. 176.
Item Petrum in perſona Eccleſiæ cla-
ues accepiffe. 241. Non definiſſe ve-
trum Petrus à Chriſto dictus fuerit
petra. 226. 228. Quomodo inter lib.
Canonicos putauerit eſſe diſtinguen-
dum. 338. Aliam longè catechizan-
di rationem tradidiſſe, quàm ſecun-
dum Sectarios uſurpari debeat. 160.

C.

INDEX SECVNDVS.

C.

Christus.

QUA ratione conciliauerit auctoritatem doctrinae suae. 51. 53. & sequentibus. Diuinitas eius quo argumento persuaderi possit. 54. 55. Quatenus indigerit & non indigerit humano testimonio ad persuadendum suam doctrinam. 81. Non contriuit caput serpentis, si vera est sententia Sectariorum. 50. Est singulare fundamentum Ecclesiae. 235. 236. Neque id obstat, quod minus etiam Petrus fundamentum fuerit. ibidem.

Christiani.

Maximè illos suorum maiorum auctoritate ad credendum moueri debere. 15 & 16. Non sibi commodum vllum temporale olim in credendo proponere potuisse. 16. Et quibus nominibus per ludibrium ab Ethnicis olim appellabantur. ibidem. Vnde ipsi habeant libros sacros veteris Testamenti. 368. 369.

Concilia.

QUAE illorum sit ratio & varietas. 399. & 400. Nullum Concilium esse infallibile sine Romani Pontificis confirmatione, illa autè accedete, quodnis esse infallibile. 400. & sequentibus. Non esse in illis quaerenda suffragia Laicorum. 400. Virum Patres in Concilio definiat, vt Iudices, & qualinam auctoritate. 409. 410. Quanam Concilia Apostolicae sedis auctoritate confirmata sint. 405. 406. Omnia Concilia vniuersalia legitima, per sedem Apostolicam confirmata fuisse. 401. 402.

Concilium Nicanum.

Decreuit, vt Concilia praeter Romani Pontificis sententiam non celebrarentur. Item vt ad eum liceret vndique appellare. 278. & sequentibus.

Asseritur Romanae Ecclesiae primatus in eius Canone VI. sicut is in Concilio Chalcedonensi recitatur. 281. Nec obstat quod ex eodem Canone Sectariorum opponunt. ibid. Plures eius Concilij Canones interiisse. 278. 279. Ideoque non mirum si Canones illos de auctoritate Ecclesiae Romanae Africani Episcopi, in quibusdam ad se missis exemplaribus non repererint. ibid.

Concilium Tridentinum.

Non posse illius sententiam reici sine nota haeresis, ostenditur euidenter contra examen Kemnitij. 416. & seq.

Consensus Fidelium.

Quomodo in definitionibus fidei ratio etiam illius sit habenda. 426. 427. Quo item modo possit de illo costare. ibid.

D. Cyprianus.

Asseruisse manifestè D. Petri primatum, ostenditur contra Sectariorum. 239. 240. Idem principium Analysis fidei, quod in hoc libro asseritur, à Cypriano constitui. 433. 434.

Claves Regni caelorum.

QUAE illarum sit vis & ratio. 229. & 230. Esse in Scriptura symbolum potestatis. 231. Eas soli Petro promissas & datas fuisse, reliquis autem Apostolis quosdam illarum vsus concessos. 229. & sequentibus. Et cur dicatur Petrus illas accepisse in persona Ecclesiae. 241

D.

Deus.

DEVM esse, eiq; esse seruiendum, conscientia ipsa admonet. 1. Non deserre inquirentes se. 19. & 20. Abundè prospicere hominibus. 71. Persuadere ipsum principaliter humanis mentibus fidem. 11. 79. & sequentibus. Non tamen docere homines ordinariè per
LI 2
seipsum

I N D E X

seipsum. 74. vsq; ad 78. Necessè alicuius ponderis, quæ ex Scriptura à Sectariis quibusdam contra obiiciuntur. 79. vsque ad 82. Non posse vlllo modo per se vel per alium fallere. 349. vsque ad 353. Explicantur quidam Scripturæ loci, quibus videri possent aliqui ex instinctu Dei falsum dixisse aut sensisse. 343. 344. 353. 354. 355. 356. Item redditur propria ratio, cur quosdam peculiariter excæcare, & in errorem mittere Deus dicatur. 356.

Doctores.

Sunt diuinitus dati ad Ecclesiæ conseruationem & defensionem. 134. Est illorum auctoritas & successio continua consideranda in Ecclesiæ ordine. 137. Antecellunt longè auctoritate in docendo falsarum aliarum religionum Doctoribus. 15. & 16. Quamuis singuli aut etiam aliqui errare possint, non tamen omnes. 147. & 422. Sunt in Ecclesia instar oculorum: ac proinde non omnibus competit illorum functio. 136. & 156. In eorum etiam numero esse ponendos Scholasticos Doctores. 424. Nec posse etiam errare, omnes Doctores qui vno aliquo tempore in Ecclesia superstites sunt. 423. Omnes autem Doctores esse, quinam reputari debeant. 147.

Doctrina Christiana.

Quomodo in vniuersum sit probanda. 11. & sequentibus. Ex quinque potissimum locis argumenta duci, quibus veteres Patres ad eam probationem vsi sunt. 14. Exponuntur & confirmantur ordine eiusmodi veterum argumenta. 15. & sequentibus, neque tamen eiusmodi argumentis fides nostra propriè & principaliter diuina reuelatione nititur. 11. 12. 13. Sunt tamè illa argumenta nobis quædam motiua ad credendum, ibidem. Iisdem au-

tem argumentis probari Sectario reuera à Christiana doctrina defecisse. 17. & deinceps.

E.

Ecclesia.

Quid sit, & quam latè illius ratio pateat. 120. & seq. Variam illius posse originem assignari iuxta varias eius acceptiones. 121. 122. Varias esse illius partes seu gradus, & quinam ad vniquemq; illorum pertineant. 123. 124. 125. Errores tres circa Ecclesiæ formam vitandos. 125. vsque ad 128.

Ecclesiæ proprietates.

Quod ad rem attinet, parum interesse, quomodo numerentur, & posse ad octo capita reuocari. 128. 129. Estigitur Ecclesia Vna. 129. & seq. Sancta. 131. & seq. Catholica. 133. & seq. Apostolica. 136. Rectè ordinata. 137. Visibilis. 138. & seq. Indefectibilis à veritate. 144. & seq. Vnicum perfrugium salutis. 149. Quarum Ecclesiæ prærogatiuarum, quæ sit vis & ratio, locis citatis sigillatim explicatur. Maxime autem notandum, quo sensu dicatur Vna. 130. Item, visibilis. 138. 139. Vbi, quisnam propriè sit status controversiæ de claritate Ecclesiæ indicatur. Ite ratio ostenditur, qua Sectariorum argutiæ & canillationes omnes contra claritatem Ecclesiæ, facillè repelli possunt. 143. 144.

Ecclesiæ Nota.

Qualis sit Sectariorum tergiversatio, in questione de vera Ecclesia dignoscenda. 150. & seq. Notæ quas illi assignat, euidenter refutatur. 151. & seq. Oportere veras Notas Ecclesiæ esse quædam illius accidentia notiora secundum nos, quàm ipsam rationè essentialem Ecclesiæ. 171. & seq. Huiusmodi Notas Ecclesiæ pro vario & eiusdem Ecclesiæ statu,

statu, variari aliqua ex parte potuisse. 172. & seq. Posteaquam Ecclesia per orbem diffusa fuit Notas illius esse priores sex proprietates ex illis octo supra numeratis, idque confirmari ex Scriptura. 174. & seq.

Ecclesia Romana.

Hanc solam esse veram Christi Ecclesiam, fuisse demonstratum, ex legitimis Ecclesie Notis 176. vsque ad 215. Confutatis omnibus cauillationibus Sectariorum.

Ecclesia vera, hoc est, Romana, auctoritas.

Illius munus esse proponere fidelibus, quæ sunt credenda ex fide, atque aded determinare etiam qui libri sint canonici. 68. 335. & seq. Neque propterea tamen Ecclesiam esse regulam ipsius Scripturæ; sed nobis illam quidem diuinitus pro regula esse propositam, ut libros sacros certo discernamus. 340. Errare illam non posse. 144. vsque ad 148. Esse etiam indicem Apostolicarum traditionum. 397. Neque hic obstare, quod alioqui ipsa Ecclesia in iudicio fidei Scripturis & traditionibus tanquam regulis quibusdam niti debeat. 339. 340. & 397. Explicatur item illa quæstio, quam de comparatione auctoritatis Scripturæ & Ecclesie nonnulli mouerunt. 341. 342. Auctoritas Ecclesie, & Romani Pont. & Conciliorum, quomodo re ipsa sit vna & eadem. 404. 405.

Ecclesie Hierarchia & ordo.

Eminere in differentia variorum vitæ statuum & officiorum. 210. Descriptio breuis totius eius auctoritatis & ordinis Hierarchici. Ibidem. Hierarchicum ordinem, itemque vitæ status tripartito diuidi. Ibidem & 211. Quis totius ordinis Hierarchici finis sit. 212.

Editio librorum sacrorum.

Explicatur & defenditur Concilij Tridentini Decretum de editione vulgaris. 346. & seq.

F.

Fides.

Quas sit eius ratio, & unde concipiatur. 72. Diuinæ reuelationi ut fundamentum suo innititur. 11. & seq. Fulcitur tamen aliis argumentis tanquam motiuis credendi. Ibidem. Duplicem animi motum in eo qui credit esse discernendum, & vtrumque sua quadam ratione niti. 11. 12. 13. Cur tam facile sit errare in rebus fidei. 72. Duo ab humana ratione de fide cogitari. 11. In corruptâ ex omni parte fidem requiri, nec posse vnumquemque secundum quamlibet fidem saluari. 61. & seq. Nec retineri fundamentum fidei, nisi fides integra retineatur. 154. Christianam fidem cum obedientia quadam coniunctam esse oportere. 72. 73. Multa que scripta non sunt, credi oportere. 105. & seq. & 367. & seq. Necessarium ad salutem esse ut aliquid credatur, duobus modis intelligi posse. 99. Quam ob causam iustum censeri debeat præceptum credendi. Vide supra. *Auctoritas seu Regula fidei.*

G.

Gregorius Magnus.

Quo sensu scripserit: Antichristi præcursorem esse, qui se Episcopum vniuersalem appellare audeat. 306. 307. Item Episcopum Ecclesie Romanæ, vniuersalem alioqui Episcopum esse, disertis verbis ab ipso asserti. Ibidem.

H.

Hæresis.

Cur oporteat in Ecclesia quandoque oriri hæreses. 72. Semper in Ecclesia notatas fuisse, ac notari posse exortites hæreses. 191. & 192.

Heretici.

Quis propriè sit hereticus. 67. 318. Tenent Scripturam solum ad speciem. 49. Illius etiam claros locos corrumpunt. 112. Carent vnitatem. 178. Commune illis

I N D E X

illis est à Traditionibus ad solas Scripturas prouocare. 364. Iam olim solitos fuisse suos errores fucare Euangelij nomine. 46. Illorum criminatibus aduersus Rom. Pontificem quomodo respondendū sit. 305. 306. Non sunt membra Ecclesiæ, & tamen iustè ab illa puniuntur. 123. 124. Illorum institutum paucis verbis describitur ex Tertulliano. 184. Iudicium eius congregationis, quæ ante excitatam ab illis controuersiam pro vera Ecclesia ab omnibus habebatur, satis semper fuisse, vt meritò pro hæreticis haberentur: vnde conuincitur, Sectarios huius temporis planè hæreticos esse. 52. & 53. Vide infra. *Sectary.*

I.

Imperatores.

ROMANORVM Pontificum primariam in Ecclesia auctoritatem agnouisse & protestatos esse, etiam ante Phocam, a quo Caluinus & alij Sectarij nugantur, Romanum Põtificem habere primatum. 287.

Judei.

Calamitates quas patiuntur omninò esse pœnam eius peccati quod in Christum commiserunt 39 & 40. Ipsos etiam vel inuitos nostram fidem testificari. 42. Quatenus etiam debuerint Traditiones nõ scriptas recipere. 369. 370. Item quasnam Traditiones non oportuerit ipsos recipere. 374. 372.

L.

Libri sacri.

QUINAM sint libri Canonici. 335 & seq. Non illis contineri omnia fidei dogmata, neque idcirco scriptos esse, vt in illis omnia comprehenderentur. 373. vsque ad 381. vbi respondetur objectionibus Sectariorum.

M.

Martyres.

Ab illorum constantia veritatẽ Christianæ fidei rectè probari. 19 & seq. Nec potuisse illos Ethnicos aut iam posse Sectarios

ex hoc loco pro disciplinis suis argumentum ducere. 21. & seq.

Miracula.

Diuinitus ad confirmationem Christi doctrinæ fuisse facta. 31. 32. Et vnde id colligi possit. 33. 34. Item iure exprõbrari Sectariis, quod ipsi nullis miraculis probent doctrinam suam. 37. 207. Et quàm illi ridiculè ipsa miracula Apostolorum ad doctrinam suam referri velint. 208. 209. Falsa miracula à veris, quomodo discernenda sint. 35. 36. Quo sensu D. Paulus scripserit Antichristi aduentum in omni virtute fore. ibid. Quare etiam Christus significarit in causa religionis nõ esse fidendum signis & miraculis.

P.

Patres.

QUATENUS quorundam scripta sint approbata ab Ecclesia. 319. Ex vno Augustino intelligi posse, non nisi Sectarios Patrum veterum auctoritate. 17. 18. 19. Explicantur illorum quædam loca, quibus videntur significare omnes Apostolos fuisse æquales. 233. 239. 240. Item alia quædam, ex quibus Sectarij confirmare contendunt, ex sola Scriptura esse argumentandum. 395. 396. Et alia passim alibi. Afferuntur etiam illorũ locupletissima testimonia, tum pro aliis fidei principiis, quæ in hac Analyti passim confirmantur, tum maxime pro D. Petri & Rom. Pontificis primatu parte VII. & VIII. Itemq; pro Traditionum auctoritate. 391. & seq. Vide etiam *Doctores & Augustinus, &c.*

D. Paulus.

Petiit approbationem doctrinæ suæ à D. Petro. 258. & cur id fecerit, sententiã Patrum. 259. Fuisse D. Petro inferiorẽ. 258. Quomodo illi in gentibus, & Petro in circuncisione Euangelium commissum fuerit. 259. Quod Petri reprehenderit nequaquam esse argumento Petrum non habuisse inter Apostolos primatum. 260.

D. P.

S E C V N D V S.

D. Petrus.

Fuisse petram dictū à Christo super quam ædificaretur Ecclesia, multis argumētis & testimoniis probatur. 223. 224. & seq. Agnitum etiam illius principatum fuisse reliquis Apostolis. 255. Cur non ipse elegerit Diaconos. 257. Cur ex aliorum etiā consensu controuersiam de obseruatione legalium definiri voluerit. 257. Ipsi curæ fuisse etiā commissos reliquos Apostolos. 259. Neq; magnopere oportuisse tamē vt in illos vereretur imperio & auctoritate. 256.

D. Petri primatus.

Qua ratione probetur. 217. Confirmatur ex variis Euangelij locis adiuncta interpretatione Patrum 219. vsque ad 260. Item peculiari quadam ex verbis Christi argumentandi forma. 260. & seq. argumento ducto à Monarchiæ ratione. 263. & seq. Item testimonio omnis antiquitatis. 267. & seq. Quibus locis etiam respondetur ad ea, quæ contra eiusmodi probationem obijciunt Sectarij.

D. Petri Successor.

Aliquos fuisse futuros D. Petri Successores in cura Ecclesiæ vniuersali probatur. 1. ex Ecclesiæ consensu. 270. 2. ex forma Christi verborū ad D. Petrum. 271. 3. ex sine eorundem verborum, ac institutionis Christi. 271. 272. 4. exemplo veteris sinagogæ. 272. Confutantur Sectariorum cauillationes contraria. 273. 274.

Pontifex Romanus.

Esse ipsum D. Petri successorem ostenditur. 275. vsq. ad 308. Nec tamen idem proprie esse D. Petro succedere, & à Christo accipere eandem auctoritatem, quam habuit D. Petrus, licet hæc duo, quod ad rem attinet, sint coniuncta, & recte posterius ex priori concludi. 275. Esse autem hanc quæstionem de successione, controuersiam facti, quæ proinde testimoniis omnium ætatum recte definiatur. 277. Prose-

runtur igitur ea testimonia locupletissima. 277. vsq. ad 288. Neque iure tantum Ecclesiastico, sed etiam diuino Pontificem Romanum D. Petro succedere. 291. 292. 293. Electionem tamen illius modumq; eligendi, Ecclesiæ ipsi competere. 275. 276. Varios fuisse modos eligendi in Ecclesia Romanos Pont. in D. Petri successores. 297. 298. Esse reuera legitimum Pontificem eum, qui in D. Petri locum electus est, quatenus possit esse etiam certum de fide. 301. 302. 304. 305.

Pontificis Romani primatus.

Quid nomine huius primatus intelligatur, & quomodo idē primatus probari debeat. 218. 219. Concluditur ex tribus pronunciatis quæ ordine confirmantur. 219. vsq. ad 308. Vbi Sectariorum contrariæ cauillationes suo quæque loco refutantur. Debere ab omnibus recipi quidquid Romanus Pontifex per eam auctoritatē determinat. 308. & seq. Toties illum per eam auctoritatem determinare, quoties in controuersia fidei ad alteram partem obligare vult vniuersam Ecclesiam. 211. 212. Nec posse illum in definiendo errare. Ibidem. Responderur objectionibus septem contrariis. 312. vsque ad 332. Infallibiliter etiam ab eo religiones approbari & canonizari Sanctos. 213. & seq. Discutitur illorū sententia qui Pontificem errare posse dixerūt. 320. & seq. Aliquid interesse, vtrum Pontifex definiat controuersia iam ante præiudicatā manifestē in Ecclesia, aut non ita præiudicatā. 321. Qua ratione recte dici possit, Pontificis auctoritatē in rebus tantum necessariis esse infallibile: & quomodo vna quadam ratione omnia quæ ille determinat, sint necessaria. 322. 323. Variis modis diuinitus impediri posse Pontificem ne errorem definiat, neque id fore miraculum. 324. 325. Explicantur casus decem, in quibus obijciunt, diuersos Pontifices errasse. 326. & seq.

Quem.

Quem nam modum à Pōtifice seruari oporteat in definiendo. 325. 326. 331. 332. Et quæ velut regulæ ab eo consuli debeant. Ibidem. De quibus regulis sigillatim deinceps agitur. 333. vsq; ad 427. Debere illum alios etiam rerum diuinarum peritos cōsulare. 428. Possere etiam infallibiliter definire sine consensu Collegij Cardinalium. 428. 429. Semper fuisse in Ecclesia iudicem controuersiarum fidei, ex ipsa etiam Ecclesiæ praxi perpetua ostendi. 430. (431.

Propheticæ prædictiones.

Qua forma ex illis pro veritate Christianæ doctrinæ sit argumentandum. 43. Quomodo ex eo etiam loco doctrinæ Sectariorum possit redargui. 45. 46. Prædictiones eiusmodi non omnes eiusdem rationis esse, indeque fieri, vt quædam non compleantur. 355.

R.

Regula fidei.

Non modò vniuersam doctrinam fidei, sed etiam quamlibet sui partem posse dici suo modo credendi regulam. 380. Vbi ostenditur Sectarios contra D. Paulum disputare, cum colligunt Scripturam solam sufficere, quia est fidei canon & regula. Vide etiam suprâ. *Autoritas.*

Religio Christiana.

Ipsam solam esse fide prudenti dignam, omnes autem sectas cum ea pugnantes, esse incredibiles. 59. Admirabiliter eorum animos mutari qui ex illius præscripto incipiunt viuere. 24. 25. Et inde etiam maximè cōvinci posse Sectas omnes longissimè hodie abesse à religione Christiana. 26. Vide suprâ. *Doctrina Christiana.*

S.

Schisma.

SCHISMA quod fuit in Ecclesia à tempore Urbani VI. vsq; ad tempus Concilij Constanti, nihil obstare legitimæ

successioni subsequentiū Pontificum, 296. 297. 298. Nam & alia plura schismata fuisse prius in Ecclesia, quibus semper occurri potuit. Ibidem.

Scriptor Canonici.

Quomodo se Scriptores Can. habuerint in sacra doctrina litteris mandanda. 334. 335. Fuisse in ea re singulari quadam ratione motos à Spiritu sancto, longe secus quàm ab eodem Spir. S. Pontifex mouetur in definiendo, quamuis & hic etiam definiat infallibiliter. 355.

Scriptura sacra.

Quæ sit eius ratio & cur verbum Dei dicatur. 333. 334. Quibus libris cōtineatur. 335. & seq. Esse reliquis omnibus Scripturis antiquiorem. 50. Infallibilem omnino esse illius auctoritatem. 340. 341. 345. & seq. Nihil in ea contineri, quod non sit scriptum in sancto Spiritu S. 356. 357. Quæ sit illius cū Ecclesia comparatio. 341. Obscuram esse, & quo sensu id asseratur ab Orthodoxis. 85. & seq. Et quidem etiam in his locis ex quibus hæreticos oportet redargui. 100. Quàm multa ad illius rectam intelligentiam requirantur. 86. & seq. Locorum collationem non penitus difficultatem intelligendi Scripturam remouere, sed plerumque augere potius, & ipsos Sectarios magis irretire. Quod & ratione & exemplis ostenditur. 88. & seq. Illum esse certissimum Scripturæ sensum, quem Ecclesia proponit. 357. Possere ad illius intelligentiam iuuare documenta sex, quæ in specie hæc traduntur. 358. 359. 360. Et tamen quosdam esse Scripturæ locos ita difficiles, vt vix vlla regula ad eorū intelligentiam satis esse queat, vt Aug. etiam affirmavit. 93. 94. Possere autem vna quadam ratione plerumque Scripturæ locos dici claros: alia tamen ratione omnes ferè esse difficiles & obscuros ac ex ea re varias Patrū de Scriptura sententias commodè posse intelligi. 101. 102. Explicatur quo sensu Aug. (sicut & alij etiam veteres) significari per-

perspicue tradi in Scripturis ea quæ sunt necessaria ad salutem. 99. 100. Confirmatur etiam Scripturarum difficultas ex ipsismet Scripturis, Sectariorum cauillationibus refutatis. 94. & seq. Neque obstat quod Scriptura alioqui lucerna & lumere dicitur, & quomodo hæc quæ frustra obiciunt Sectarij intelligi debeant. 97. & seq. Porro neq; omnia quæ necessario credi debent, contineri in Scriptura. 105. & seq. 367. & seq. vsque ad 384. quibus locis respondetur etiam ad obiectiones Sectariorum. Facillimè illam ab hæreticis adulterari, etiam in locis qui alioqui sunt clari. 111. 112. 113. His igitur & aliis quibusdã argumentis fuscè probatur, Scripturam solam non esse sufficientem iudicè controuersiarum fidei. 84. & seq. Neque idcirco tamen Scripturam sacram (sicut Sectarij calumniantur) vel reprehendi, vel accusari, quin imò ipsorum Sectariorum proprium hoc esse crimen. 102. vsque ad 105. Scripturæ veteris Testamenti quæ fuerint causæ. 386. 387. Quare etiam doctrina noui Testamenti scripta sit. 374. & seq. Quo sensu diuinitus prohibitus fuerit Scripturæ aliquid addere. 384.

Sectarij.

Non videri eos aliquid firma fide credere, si consequenter ratiocinentur. 10. Destitui maiorum testimonio & auctoritate. 17. 18. 19. Nec niti testimonio antiquorum Martyrum, quorum etiam sententias Orthodoxas palàm reprehendere non erubescunt. 22. 23. 24. Quales sint illorum doctrinæ fructus, ipsi etiam testantibus. 26. 27. 28. Esse Pseudoapostolos. 30. Quænam in Scripturis existant de illorum doctrina prophetiæ. 45. Impiam illam & impuram esse. 47. Et qui tamen fiat, quod non sit communiter recepta, cum pruriat alioqui auribus & carni. 48. Esse eam à Diuo Iacobo paucis verbis de-

scriptam. 54. Quàm vanè iacent doctrinam suam omnium esse antiquissimam, eamq; ex ipso vsque Paradiso deducant. 50. 51. Et tamen ipsos alias satis testari se nouisse doctrinam. 213. Quomodo ex forma à Tertulliano præscripta eiusmodi nouitas doctrinæ redarguatur. 214. Aut falsam fuisse Christi prophetiam de futuris hæreticis, aut Sectarios nunc hæreticos esse. 51. 52. Non posse illos confidere, se habere certam fidem de Christo. 55. Neminem posse illis prudenter assentiri 157. vsque ad 159. & 167. 168. 203. vsque ad 207. Quale sit illorum doctrinæ fundamentum, in quo omnes impiè consentiunt. 153. 154. Nec tam eum consensum ipsis obstat, quod minus se vicissim hæreses damnent. 155. Renouasse illos planè veterum hæreticorum errores. 185. Eiusdem auctoritatis iudicio, & eodem modo illos iam condemnari, quo veteres omnes hæretici in Ecclesia condemnati & proscripti fuerunt. 52. 430. & 431.

Sectarij quidam nominati.

Antonij Sadeclis redarguitur incertitia. 160. 164. 171. 173. 188. 191. Caluini cauillationes. 106. 208. 209. 265. 266. 267. 273. 274. 287. Centuriatorum impudentia aduersus sanctos Martyres. 22. 23. 24. Quomodo laborauerint isti potius pro nobis. 196. 197. Kemnitius confutatur. 95. 337. 368. & seq. vsque ad 371. Item 372. 373. 378. 380. 386. 392. 393. 394. 416. & seq. Lutherus, quomodo conscientia stimulis initio repugnauerit. 57. Desperabat de iis discipulis, qui studebant lectioni veterum Patrum. 18. Confutantur passim illius sicut & aliorum Sectariorum argumenta.

T.

Traditiones.

Quæ illarum sit ratio & differentia. 361. & seq. Omnes Traditiones etiam

M m practi.

INDEX SECVNDVS.

practicas spectare ratione quadam ad fidem. 363. Controversia de Traditionibus quis propriè sit status. Ibid. Omnibus hæreticis fuisse commune illas auersari. 364. Sed ex iisdem principiis probantur, quibus ad earum oppugnationem perperam abutitur Sectarij. vide 364. vsque ad 396. Re-
 At in primis Traditionem aliorum dogmatum Ecclesiæ probari ex eo, quod ipsi libri sacri ab eadem Ecclesia certissimè traditi sunt. 367. & seq. vide etiam. 105. & seq. Non posse villo modo probari, quod Sectarij perperam contendunt omnia dogmata fidei ipso Scripturarum canone fuisse comprehensa. 374. & seq. Quin imò contrarium ex ipsis Scripturis constare. 373. 374. Item etiam ex testimonijs

Patrum. 391. & seq. Nec esse timendum fore ut doctrina Traditionibus custodita corrumpatur. 390. 391. Verem tamen Traditionem ipsam per se sine præfenti aliqua auctoritate Ecclesiæ non esse sufficientem iudicem omnium que possunt esse, controuersiarum fidei, probatur breuiter tribus argumentis. 117. Quanam autem legitime sint Traditiones ex aliqua quatuor Regulari posse cognosci. 397. & seq.

V.

Verbum Dei.

Quæ sit de verbo DEI Orthodoxa doctrina. 381. Vide etiam *Scriptura*.



POSTRE-

POSTREMVS INDEX
ARGVMENTORVM, EX QVIBVS
EVIDENTIVS INTELLIGI POTEST, LON-
GISSIME A VERA RELIGIONE SECTARIOS OMNES
aberrare: quorum argumentorum tantum capita breuiter
hic notantur, indicatis locis, quibus (vt series & ra-
tio institutæ Analysis ferebat) ipsa argu-
menta tractata sunt.

1. *QVIA principium doctrina Sectariorum quod in primis in contemptu auctoritatis Ecclesie Romanæ consistit, facile homines deducit ad Ethnicismum: Vt breuiter ostenditur* Pag. 10
2. *Quia ex iisdem argumentis, quibus veritas generatim Christiana doctrina olim à sanctis Patribus probata est, planè conuincitur, doctrinam Sectariorum quicumque fidei Ecclesie Romanæ repugnant, non esse reuera Christianam. 15. vsque ad 60. Vbi peculiariter. 52. formula quedam argumenti notada est, qua euidentissimè demonstratur, Sectarios esse ex eorum hæreticorum numero, quos Christus prædixit fuisse futuros.*
3. *Quia qui sectis addicti sunt facile in eam opinionè (ex desperatione quadam inuenienda veritatis) inducuntur, vt sibi persuadeant quemlibet in sua fide posse salutem consequi. Quod, quàm falsum sit, ostenditur.* 61. vsq. ad 69
4. *Quia veram fidè ex aliqua auctoritate humana inspirata diuinitus qua ad determinandas omnes controuersias accommodatissima sit, necessariò oportet cum quadam in assentiendo obedientia addiscere, &c. vt ostenditur. 70. vsque ad 82. A tali autem aliqua auctoritate Sectarios fidem non discere, cum solam Scripturam sequi volunt, ostenditur deinde euidentissimè.* 84. vsque ad 118.
5. *Quia collatione Scripturarum, qua vna maximè niti Sectarij volunt, facillimè hæretici omnes abutuntur ad errorem. ipsaq. potius auget plerunque questionis difficultatem.* 88. vsque ad 94.

Mm 2

6. Quia

INDEX

6. *Quia Scriptura lumen non ibi ubi ipsa Scriptura illuminat, sed in tenebris ingenij sui tanquam sub modio querunt.* 97. & 98.
7. *Quia secundum illorum doctrinam, qua ponunt, sola Scriptura esse nitendum, multa non possent, neq. deberent credi, qua diinitus reuelata & certissima sunt, nec tamen continentur in Scriptura. 105. vsq. ad 110. Quod argumentum fusiùs etiam postea confirmatur & defenditur.* 372. vsq. ad 381
8. *Quia cum ex sola Scriptura verã fidem discendam esse contendunt, perinde est ac si vellent ab ipso per se Deo sine ullo humano ministerio esse discendam, ex quo tandem sequitur, non eos reuera à Scriptura fidem discere, sed ex ingenio suo proprio vanam fidem comminisci.* 116. vide etiam. 114. 115.
9. *Quia cum aiunt, Ecclesiam suam fuisse aliquando inuisibilem, ea re coguntur agnoscere Ecclesiam suam non esse veram Ecclesiam Christi.* 138. vsque ad 144.
10. *Quia omnes Sectarij in questione de vera Ecclesia (ne appareat, eos hereticos planè esse & à vera Ecclesia defecisse) callidè tergiversantur: neque ostendunt hominibus veras & idoneas notas ad Ecclesiam veram internoscendam, ut salutem in ea consequi possint.* 149. vsque ad 171.
11. *Quia facillimum est cuius prudenti homini, licet eruditus non sit, formula quadam ratiocinandi breuissima (que ponitur. 158.) euidenter concludere, se esse deceptum à Sectariis.*
12. *Quia cum alioqui concedant Sectarij, Ecclesia vera auctoritatem valere in fidei questionibus: ita tamen de Ecclesia ratiocinantur, ut euidentissimum sit, non posse, secundum illorum doctrinam, in vlla fidei questione interponi auctoritatem vera Ecclesia.* 163. vsque ad 170.
13. *Quia insania quedã Sectariorum est (D. Augustino iudice) Scripturae sententiam nolle ab illa eadem auctoritate discere à qua ipsam etiam Scripturam accipere oportet. 107. & 108. Quod argumentum rursus. 367. vsq. ad 372. tractatur: ibiq. Sectariorum ca-*
niã.

TERTIVS.

uillationes refelluntur, quibus illi ab eo se argumento expedire frustra nituntur.

14. Quia certissimum est, nullius cœtus Sectariorū (quantumuis actu in doctrina consentientis) fidem censerī ac dici posse VNAM eomodo quo fides vera & Christiana in Scripturis VNA dicitur. 130. 131. & 177. vsque ad 180.
15. Quia planè extra veram Christi Ecclesiam sunt omnes Sectarij, vt euidenter ostenditur ex legitimis Ecclesie notis, quæ nulli cœtui Sectariorum, sed soli Ecclesie Romanæ conueniunt. 167. vsq; ad 215.
16. Quia veterum hereticorum errores Sectarij renouârunt. 185. & 186.
17. Quia prorsus incredibile est, quod Ecclesia Romana ab Apostolica doctrina (sicut Sectarij prætendunt) aliquando defecerit. 187. vsque ad 197.
18. Quia euidentissimum est, nullo modo Sectarios habere uocationem diuinam. 202. vsq; ad 209
19. Quia quiuis etiam indoctus potest, forma quadam ratiocinationis adhibita, euidenter intelligere, non se posse prudenter Sectariis potius quàm Catholicis hoc tempore assentiri. 205. vsq; ad 207
20. Quia certissimum est, à Sectariis fuisse traditam nouam doctrinam, non autem veterem restitutam. 213. vsq; ad 215
21. Quia, Diuo Petro & Romanis Pontificibus tanquam illius successoribus, à Christo tributam esse supremam in Ecclesia auctoritatem infallibiliter definiendi quæstiones fidei, atq; ad eò hereticas esse Sectariorum opiniones per eam auctoritatem damnatas, certissimum ex historia Euangelica & testimonio totius antiquitatis est, si quidquam aliud omnino in religione est certum: vt perspicue & ordine explicatur, probatur, & defenditur. 216. vsque ad 333.
22. Quia id ipsum maxime quoq; euidenter confirmatur, peculiari quadam forma argumentandi, quæ ad eam rem usurpatur. 260.

INDEX TERTIVS.

- vsq. ad 263. *Quae forma argumenti similiter accommodari potest ad modum & verba, quibus Romanorum Pontificum auctoritatem omnis antiquitas (ut locis citatis ostenditur) testata est.*
23. *Quia ex iisdem argumentis, quibus Sectarij contendunt, nullas esse Traditiones Apostolicas non scriptas, quibus certo nisi possint, definitiones fidei (per quas illi euidenter damnantur) contra potius, tales esse aliquas Traditiones conuincitur. 364. vsque ad 398.*
24. *Quia vel nulli unquam verinominis haeretici fuerunt aut futuri sunt, vel Sectarij iam eo maxime nomine haeretici sunt, quod definitioni atq. sententiae Tridentini Concilij repugnandum esse arbitrantur: ut euidentissime demonstratur aduersus vanos ac impios Kemnitij & aliorum Sectariorum praetextus. 418. vsque ad 421.*
25. *Quia eiusdem auctoritatis iudicio de heresi condemnati sunt, a qua omnes quotquot unquam fuerunt haeretici, sunt condemnati, nempe sententia Apostolica sedis Romanae. 430. 431.*

FINIS.

Collegij Societatis Iesu Paderbornae A^o 1591



ERRATA HOC MODO CORRIGENDA SVNT.

POST epistolam dedicatorem in carmine de huius libri argumento, versu 39. lege: claramq; facem. Pagina 12. v. 25. fidem. p. 14. v. 3. locis proferru. p. 18. v. 28. tum. p. 19. v. 6. in margine, sanctam, pro Apostolica. p. 21. v. 5. & p. 28. v. 14. & 16. in marg. homil. p. 25. v. 3. in marg. 1. Pet. 4. p. 27. v. 4. vitam. & v. 18. conqueritur. p. 32. v. 13. opera Christi. p. 41. v. 13. in marg. epist. 3. p. 45. v. 2. dicere. p. 64. v. 26. propius. p. 79. v. 20. veritates. & in marg. v. 1. Ioan. 6. p. 80. v. 6. in marg. Psal. 93. p. 84. v. 17. sententiam. p. 93. v. 8. in marg. Malach. 1. p. 110. v. 27. hominum. p. 113. v. 11. in marg. 2. Pet. 3. & p. 125. v. 4. Matth. 25. p. 129. v. 20. vnitatem. p. 133. v. 12. in marg. Psal. 18. p. 136. v. 15. in marg. Psal. 86. p. 168. v. vlt. & 1. sequentis pag. redundant illa verba: vbi nulla de controuersis talis certus est. p. 180. v. 5. in marg. Ecclesiam. p. 190. v. 3. sola fidei virtute. p. 204. v. 10. nos. p. 226. v. 29. Ecclesia. p. 230. v. 13. abundantiore. p. 233. v. 9. in marg. Apocal. 21. & p. 235. v. 20. cap. 21. p. 243. v. 20. vnusquisq;. p. 256. v. vlt. in marg. 1. Paral. 9. p. 259. v. 18. capite decimo. p. 265. v. 26. toti & v. 17. defuisse. p. 267. v. 10. in marg. annuerit. & v. 12. VIII. probatur. p. 269. v. 10. Damafus & in marg. v. 27. Hispania. p. 278. v. penult. Canonibus, & in marg. v. 26. Rescripto. p. 290. v. 4. decedenti. p. 298. v. 7 & 8 in marg. Acta Concilij Basiliensis. p. 306. v. 12. in marg. oppugnare. p. 341. v. 19. adde verbum: Respiciamus. p. 346. v. 25. Canoniam. p. 351. v. 7. viam. p. 364. v. 2. sine. p. 368. v. 6. in marg. ita lege: Responso ad Sectarioru cauillationem, & praesertim Kemnitij: & p. 383. v. 3. & 4. dele: Parte V. probat 2. In Scripturarum Indice ex lib. Numeri, v. 2. lege, vt mutetur. Ex lib. Sap. v. 1. lege, Sapientia.

Cetera prudens Lector facile corriget.

